cxx ii.
[illegible]
[illegible] jugne.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] qua
[illegible] homs
[illegible]
[illegible] mente
[illegible] genome
[illegible]

DEUSDEDIT

PRESBYTERI CARDINALIS

TITULI APOSTOLORUM IN EUDOXIA

COLLECTIO CANONUM

E CODICE VATICANO EDITA

A PIO MARTINUCCI

PRAEFECTO ALTERO BIBLIOTHECAE VATICANAE

VENETIIS
EX TYPOGRAPHIA AEMILIANA

MDCCCLXIX

Lectori Editor

Deusdedit, Presbyter Cardinalis tituli Apostolorum in Eudoxia, duo opera exaravit, quorum alterum inscribitur *Canonum collectio,* quam Victori III Romano Pontifici nuncupavit, alterum vero, cui titulus *Libellus contra invasores et simoniacos et reliquos schismaticos,* sedente Urbano II, *venerabilibus in Christo fratribus Sanctae Romanae Ecclesiae clericis* inscripsit. De altero hoc opere omittimus verba facere, quae ad ejus commendationem conferre possent: satis erit nobis de hujusce collectionis pretio, quam modo typis mandandam curavimus, aliquid disserere.

Petro et Hieronymo Ballerini presbyteris Veronensibus negotium datum est hujus codicis evolvendi, iique de ipso amplissimum pro-

tulere judicium in praeclaro illo tractatu, quem editioni operum S. Leonis Magni adjecerunt. Quapropter piaculum putaremus addere, vel minuere quidquam ex iis, quae viri illi doctissimi in eruditissima elucubratione tradiderunt, ac proinde illam huic nostrae editioni praemittendam censuimus. Ea tantummodo praetermisimus, quae in nostra editione leguntur, quaeque illi ex codice excerpta in suo tractatu inseruerunt, nempe epistolam ejusdem Deusdedit ad Victorem III et fragmenta epistolarum S. Gelasii I, Pelagii I, Honorii I et S. Gregorii II.

« Ex hac epistola (nempe ex dedicatoria » ad laudatum Victorem III) patet collectionis » divisio in libros quatuor, quorum primus de » Primatu et potestate Ecclesiae constat ex ti- » tulis, seu capitulis 251, secundus de Romano » Clero ex cap. 132, tertius de rebus Ecclesiae » ex cap. 159, et quartus de libertate Eccle- » siae et rerum ejus ac Cleri ex cap. 162.

» Quae vero et quam gravia in ipsis li- » bris contineantur, demonstrat ipsa titulorum » tabula, quae post epistolam nuncupatoriam » statim subjicitur. Haec veluti rerum index, » seu totius operis breviarium Ferrandiano si-

» mile videtur; siquidem in describendis sin-
» gulorum librorum titulis, si quae in aliis li-
» bris ad eundem titulum ex. gr. primi libri
» pertinent, ea pariter ex iisdem libris indicat.
» In ipso autem collectionis corpore textus hoc
» ordine proferuntur. Primo sacrae Scripturae
» loca, ubi opportuna sunt, descripta leguntur;
» dein Canones Conciliorum. Graecarum autem
» synodorum canones nunc ex Dyonisiana ver-
» sione, nunc ex Prisca producuntur, aliquando
» etiam ex utraque: nam lib. 1, num. 1. Nicaenus
» canon sextus primum ex Prisca, dein ex Dyo-
» nisiana recitatur hac notatione: *alia trans-*
» *latio sic habet.* Nonnumquam etiam, sed ra-
» rius, Isidoriana interpretatio adhibetur. Cum
» vero quicquid ex Prisca, vel Isidoriana affer-
» tur, inveniatur in codice Vat. 1342, qui ad ve-
» terem Lateranensem bibliothecam pertinuis-
» se traditur; hoc codice Cardinalem Deusdedit
» usum fuisse valde credibile est. Ex Prisca
» nimirum profert aliquot canones Nicaenos,
» Antiochenos et Chalcedonenses; ex Isidoria-
» na vero, unum Ancyranum et alium Gan-
» grensem: uti sane illi ex Prisca, isti ex Isi-
» doriana translatione in eodem codice descri-

» buntur. Post canones sequuntur decreta Ro-
» manorum Pontificum, in quibus nonnulla ex
» Pseudoisidorianis apocryphis. Plura suppe-
» tunt ex registro Gregorii VII, qui Victori III
» praecesserat. Subduntur, ubi locum habent,
» Patrum testimonia, et nonnulla ex Justiniani
» legibus, quaedam ex historia Anastasii Bi-
» bliothecarii, ex *Pontificali Romano,* quo
» vitae Pontificum describuntur, ex libro Ro-
» manorum Pontificum, qui dicitur *Diurnus,*
» ex historia Paulli Diaconi, ex chronico Vi-
» ctoris Turonensis, et ex actis S. Bonifacii
» Episcopi Moguntini. Inseritur antiquus *Ordo*
» *Romanus,* qui incipit: *In quacumque scho-*
» *la reperti fuerint pueri bene docti litte-*
» *ras, tollantur et nutriantur in schola*
» *Cantorum etc.* Est Ordo Romanus nonus
» a Mabillonio editus tom. 2 Musei Italici, pag.
» 89, qui tamen in nostro codice variantes le-
» ctiones notatu dignas, et vetustiorem aetatem
» praefert.

» Plura addit Cardinalis ex tomis Latera-
» nensis basilicae ad patrimonium S. Petri per-
» tinentia, ex quibus nunc unum, nunc aliud
» volumen laudat, quae esse ait *in archivo*

» *sacri Palatii Lateranensis*. Celebris est » liber *de censibus* Cencii Camerarii, qui po» stea fuit Romanus Pontifex Honorius III. » Hic liber impressus est a Muratorio tom. 5 » Antiquitatum Italicarum. Deteximus vero ea, » quae in hoc libro leguntur a pag. 827 ejus» dem editionis, *Hadrianus Papa obtinuit* » etc. usque ad pag. 842, totidem verbis (qui» busdam variantibus exceptis) a Cardinali » Deusdedit ex tomis Lateranensibus fuisse » transcriptas lib. 3, c. 149 et seqq. a pag. 85 » ipsius codicis ad pag. 92 usque. Hinc au» tem perspicitur utrumque ex iisdem fontibus » ebibisse, Deusdedit vero saeculo et amplius » ante Cencium idem opus suae collectioni in» seruisse. Alia porro documenta ex laudato » Lateranensi Archivo Deusdedit adjecit pag. » 92 et seqq. quae in vulgato Cencii libro non » leguntur, nimirum integra privilegia Roma» nae Ecclesiae data a Ludovico Pio, Ottone I, » et Henrico I. Accedunt juramenta Roberti » Ducis Apuliae et Calabriae, ac Jordani, et Ri» cardi Principum Capuae, et alia ejusdem ge» neris quamplura, quae partim edita sunt, » partim inedita. Praeter regesta Gregorii I et

» VII, ac Joannis VIII jam impressa, idem
» Cardinalis nonnulla fragmenta profert ex epi-
» stolis Gelasii I, Pelagii I, Honorii I et Gre-
» gorii II, ex quibus non pauca ex hac sola
» collectione supersunt. Lucas Holstenius quae-
» dam ex his typis impressit, quae postea in
» editiones Conciliorum traducta fuerunt. Alia
» vero, quae Holstenius omisit, ex eodem co-
» dice heic proferimus: in quibus etsi quaedam
» apud Gratianum recepta leguntur, cum ta-
» men in editionibus Conciliorum una cum aliis
» fragmentis ex Gratiano excerptis vulgata non
» fuerint, heic indicanda visa sunt, ut in nova
» Conciliorum editione non omittantur. Illa au-
» tem tantum indicaturi sumus, quae in colle-
» ctione Deusdedit reperimus; cetera enim quae
» apud Gratianum extant fragmenta aliunde
» transcripta, et in Conciliis nondum impressa,
» iis accuratius inquirenda et colligenda relin-
» quimus, qui novam Conciliorum editionem
» curabunt. »

FRAGMENTA EPISTOLARUM GELASII I.

IN COLLECTIONE CARD. DEUSDEDIT.

« Lib. I, c. 139. *Gelasius Helpidio Episcopo Volaterrano inter cetera. Quo ausu, qua temeritate etc.* uti » apud Gratianum causs. XXIII, q. 8, c. 26, ubi correcto- » res Romani in notis ex collectione Polycarpi locum a » Deusdedit omissum suppleverunt. Hoc fragmentum in » Conciliis omissum cum ceteris reponendum est.

» Lib. I, c. 140. *Gelasius Majorico et Joanni Episcopis. Ita nos Squillacinorum caedes geminata Pontificum etc.* uti apud eumdem Gratianum causs. XXV, » q. 2, c. 25.

» Lib. 3, c. 92. *Gelasius Crescomio, Joanni et Messalae Episcopis. Decessorum statuta etc.* uti apud Gra- » tianum ibid. c. 19, ubi male *Messaliae Episcopis.*

» Lib. 3, c. 93. *Gelasius Joanni Episcopo Sorano.* » *Certum est quidem etc.* uti apud Gratianum de consecr. » dist. I, c. 7. Noster autem codex addit in fine: *Data Idibus Aprilis.*

» Lib. 3, c. 94. *Gelasius Seneciorni Episcopo. Piae mentis amplectenda devotio est, qua se Julius V. H.* » (vir honorabilis) *etc.* uti in Gratiano causs. XVI, q. 7, c. » 26. Codex addit in fine: *Data XIII Kal. Augusti.*

» Lib. 3, c. 100. *Gelasius Agilulpho post cetera. Pre-*

» *cor autem ut reculam.... frater et Coepiscopus meus Ho-*
» *norius* [1] *etc.*

» Ibidem. *Gelasius Januario post cetera. Sed causas*
» *quibus beneficia etc.*

» Ibidem. *Gelasius Firminae illustri feminae post*
» *cetera. Ad cumulum vero mercedis etc.*

» Lib. 3, c. 101. *Gelasius actoribus Urbici. Constat*
» *vos intulisse etc..... anni* [2] *Consulatus Asterii et Prae-*
» *sidii VV. CC. de indictione III auri solidos XXX. No-*
» *tavi V Kal. Augusti* [3] *Flavio V. C. Consule.*

» Alia cautio dici ac iisdem verbis subjicitur ab eo-
» dem Gelasio data Vincomalo, ubi solum fundi nomen
» dedit.

» Lib. 4, c. 55. *Gelasius Hercleuvae* [4] *Reginae. Qui*
» *pro victu pauperum etc.*

FRAGMENTA EPISTOLARUM PELAGII I.

» Lib. 3, c. 102. *Pelagius Melleo Subdiacono inter*
» *cetera. Notariorum Sedis nostrae insinuatione etc.*

» Lib. 3, c. 103. *Pelagius Mauro Episcopo Praene-*
» *stino inter cetera. Didicimus de patrimonio Helviade etc.*

(1) Hic Honorius fuit Salonitanus Episcopus, ad quem aliae duae Gelasii epistolae editae sunt.

(2) An. 494.

(3) Idest Flavio Victore, qui fuit Consul an. 495.

(4) Anonymus a Valesio editus de gestis Theodorici Regis hanc Reginam ejusdem Theodorici genitricem memorat. *Mater Erelieva dicta Gothica, Catholica quidem erat, quae in baptismo Eusebia dicta.*

» Lib. 3, c. 104. *Pelagius Nursae Patricio Anagno-*
» *stico inter cetera. Bene noverit excellentia vestra etc.*

» Lib. 3, c. 105. *Pelagius Boetio Praefecto Praetorii*
» *Africae inter cetera. Romana cui Deo auctore praeside-*
» *mus ecclesia etc.*

» Lib. 3, c. 109. *Pelagius Juliano Episcopo Cingu-*
» *lano. Constat dilectionem tuam intulisse rationibus Ec-*
» *clesiae etc. D. Notavi die III Kal. Augusti*[1] *post con-*
» *sulatum Basilii V. C.*

» Lib. 3, c. 110. *Pelagius Dulcitio defensori post*
» *quaedam. Praeterea rationes nobis nescio quas etc.*

» Lib. 3, c. 111. *Pelagius Vito defensori inter cetera.*
» *Ideoque tibi praesenti jussione mandamus etc.*

DUAE EPISTOLAE HONORII I.

» Lib. 3, c. 117. *Honorius Gratioso Subdiacono. Ne*
» *cuiquam labor ac diligentiae etc. Dat. Id. Decemb. Indict.*
» *XIV.*[2]

(1) Supplendum *XVIII post Consulatum Basilii*, idest anno 559 quo III Kal. Augusti ad finem accedebat Indictio septima. Pelagius autem I anno sequenti obiit die tertia Martii, currente Indictione octava. Episcopus Cingulanus subscriptus legitur Constituto Vigilii an. 553. Fragmentum alterius epistolae Pelagii I ad eumdem, editum est a Baluzio tom. 5 Miscellan. pag. 466, et recusum a P. Mansio t. 1. Supplem. Concil. pag. 432.

(2) An. 625.

» Lib. 3, c. 118. *Honorius Servodei notario. Quo-*
» *tiens a nobis illud petitur etc. Dat. IV. Idus Maji Indict.*
» *XIV.* [1]

EX REGISTRO GREGORII JUNIORIS.

» Lib. 3, c. 119. *Gregorius Stephano Presbytero at-*
» *que aliis duabus successivis personis. Quotiens illa a*
» *nobis tribui sperantur etc. Dat. Id. Aprilis Indict. VIII.* [2]

» Duo fragmenta ex epistolis Joannis VIII Pontificis
» ad Angelbertam Imperatricem et Ludovicum Imperato-
» rem, et litterae ejusdem Pontificis ad Annonem Episco-
» pum Frisingensem, quae ex MS. Colbertino 2576 vul-
» gavit Baluzius lib. 5 Miscellaneorum pag. 489 et 490
» ex hac nostra collectione videntur excerpta, in qua le-
» guntur lib. 3, c. 121, 122 et 123. »

Praeterea de hoc nostro scriptore agit Antonius Augustinus Episcopus Tarraconensis *de emendatione Gratiani,* Anonymus Melicensis *de viris illustribus*, Augustinus Theiner *Disquisitiones criticae in praecipuas Canonum collectiones,* et Card. Baronius (ad an. 1059 n. 30, ad an. 1080 n. 30, ad an. 1087

(1) An. 626.
(2) An. 725.

n. 23 et seq.) qui praeclarum de eo protulit testimonium. « Hoc anno, vivente adhuc Victore » Papa, Deusdedit presbyter Cardinalis tituli » Eudoxiae, commentarium elaboravit his tem» poribus opportunum pro Ecclesia Catholica » contra schismaticos, quem et dedicavit Vi» ctori Papae. Extat ejusmodi lucubratio tanto » viro digna in Vaticana Bibliotheca *collectio* » *canonum* nuncupata. »

Porro de vita illius, quamquam infelix illa aetas nulla de ipsa monumenta memoriae prodidit, nonnihil esse videtur innuendum. In epistola, quam Victori III inscripsit, utitur titulo *exiguus Presbyter tituli Apostolorum in Eudoxia.* In illa autem quam praemittit alteri contra simoniacos aliosque sui temporis haereticos eumdem ferme titulum adhibet, videlicet *Deusdedit ultimus Presbyter Apostolorum in Eudoxia.* Dubitari nequit, quin fuerit Presbyter primarius, seu Cardinalis, prouti nunc eodem fere modo assignantur Cardinalibus tituli presbyterales, vel diaconiae. Hujusmodi titulum sive appellationem *exigui*, vel *ultimi* tunc temporis adhibendi mos erat, quemadmodum solet Romanus Pontifex se appel-

lare servum servorum Dei. Etiam insigniorum monasteriorum Abbates titulo *exigui* aut *minimi* illis temporibus gloriabantur. Ad Cardinalitiam autem dignitatem, juxta Ciacconii auctoritatem, a sancto Gregorio VII noster auctor provectus est. Ad haec Jacobus Grimaldus beneficiarius et praeses tabularii Vaticanae basilicae, qui floruit saec. XVII in suo opere inedito, cui titulus: *Catalogus omnium Archipresbyterorum Sacr. Vaticanae Basilicae Principis Apostolorum*, eum inter Cardinales Archipresbyteros ejusdem Basilicae enumerat, illamque ecclesiam quartum Archipresbyterum annos duodecim et mensem unum rexisse scriptum reliquit, ejusque obitum anno 1098, Urbano II Pontifice, adscribit. Verum Laur. Cardella in op. lingua vernacula conscripto *Memorie storiche de' Cardinali di S. R. Chiesa* anno postero obiisse, praeterea Germania ortum, et ad Hispanias missum sub Gregorio VII Legatione Apostolica perfunctum fuisse tradit. Anno quidem 1099 vita functum esse similius vero videtur, quum in Bullis Paschalis II editis anno 1099 titulo S. Petri ad vincula Albericus ab idibus Octobris no-

tetur. De legatione etiam Hispanica, quae dicitur ei fuisse commissa, ambigi non sine causa potest. Etenim in epistolis Gregorii VII una tantum legatio apparet ad Hispanos transmissa, in qua Amatum Episcopum Oloronensem et Abbatem S. Pontii legatos adhibuit, quin de nostro Cardinali mentio ulla habeatur. Attamen e codice nostro eruitur Cardinalem Deusdedit aliquando in Germaniam profectum esse, siquidem in formula jurisjurandi ab Othone I praestiti Joanni XII Summo Pontifici haec in margine verba notantur: *hoc sacramentum invenit scriptor hujus libri in Saxonia in monasterio, quod dicitur Luineburg* (lib. 4, c. 161).

Codex, qui hanc collectionem complectitur, est palimpsestus. Ex vestigiis vetusti characteris folia illa membranacea continebant capitulare Evangeliorum, sive Evangelia singulis Dominicis, vel feriis, aut festis diebus assignata. Ob amanuensis inscitiam codicem illum habuimus mendosissimum. Nihilominus eosdem errores, eademque vitia in nostra editione diligenter curavimus, ut in omnibus fideliter cum autographo congruerent. Quamquam viri clarissimi

Ballerini opinentur exemplar hujus codicis suppar esse ipsi auctori, videtur tamen absonum fidei, quod prae oculis auctoris tam multis scateat mendis, ac plerisque in locis sensus sit mancus et obscurus. Quapropter proprius fidem putamus, sequiori aevo ab imperito amanuense fuisse transcriptum, quum ejusmodi characterum forma etiam saeculo insequenti sit adhibita. Quae quidem assertio non caret fundamento. Nam in principio Codicis nostri Rom. Pontificum elenchus praeponitur, in quo sic notatur. — III Victor m. III. d. III. — II Urbanus XI. m. III. d. XV. — II Paschalis. — Quum autem epoca Pontificatus Paschalis omittatur, et cum eo desinat catalogus Rom. Pontificum, ni fallimur, consequitur, codicem exaratum fuisse ab an. 1099 ad an. 1118. Difcilis insuper lectionis codex est ut dignosci potest ex specimine alterius ex paginis, quod in fronte nostrae editionis exhibemus. Huic Vaticanae Bibliothecae fortasse accessit cum codicibus Card. Bessarionis, quippe ad calcem postremae paginae haec verba notantur: *Est basilicae Ss. Apostolorum de Urbe*. Quod erui videtur tum ex forma characterum saec. XV

usitata, quo tempore titulus Apostolorum in Eudoxia, antiqua appellatione dimissa, *s. Petri ad vincula* jam nuncupabatur, tum etiam ex nomine *basilicae,* quo unus titulus Ss. Apostolorum supra reliquos distinguitur, et Bessarioni in promotione ad Cardinalitiam dignitatem tributus fuit.

Hac nos editione sacrorum Canonum studiosis, praesertim adventante sacro Concilio oecumenico, quod auctore Summo Pontifice PIO IX in Vaticana Apostolorum Principis Basilica indictum est, nova monumenta illustranda proponimus, quibus Ecclesiae Catholicae sensibus in ecclesiastica disciplina adornanda nova seges suppeditetur, atque exiguus, quem pertulimus, labor in Dei omnipotentis gloriam cedat ejusque Ecclesiae benevertat.

BEATISSIMO ATQUE APOSTOLICO VIRO

PONTIFICI DOMNO PAPÆ VICTORI TERTIO

ET OMNI CLERO SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

DEUSDEDIT EXIGUUS PRESBYTER

TITULI APOSTOLORUM IN EUDOXIA.

Novit beatitudo vestra quod sancta Romana Ecclesia iccirco omnium Ecclesiarum mater scribitur et creditur, quoniam beatus Petrus ipsius institutor prius Patriarchalibus sedibus in Oriente et postea e latere suo primos dedit pastores omnibus urbibus, quæ sunt in Ocidente. Ipsi hæc ordinatio maxime competebat, cui principaliter Christus Dei Filius cœlestis regni clavibus traditis suas oves pascere iusserat et pro cuius fide ne deficeret specialiter oraverat, cuique fratres suos in eadem fide confirmare præceperat. Cuius tam excellentissimi privilegii insignia munera diligenter attendentes CCC. XVIII. patres qui in Niceno consedere concilio, statuerunt ut Athanasius Episcopus Alexandrinus scribit beato Felici Papæ, non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec Episcopos damnari et omnia maiora negotia ad eiusdem iudicium debere deferri.

Sed et Sardicense Concilium quod CCC. Episcopos habuit teste universali Sinodo quæ a suis conditoribus VIII' dicitur cap. III° et IIII° et VI° et VIII° eadem statuit, et ita inter cetera beato Papæ Iulio scripsit: Optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput idest ad beati Petri Apostoli sedem de singulis quibusque provinciis domini referant Sacerdotes. Huic etiam ante illam synodum, tantum reveren-

tiæ ab antiquis patribus legitur impensum fuisse, ut ille insignis martyr Cyprianus Africanæ provinciæ Primas legatur in suis epistolis presbyterorum et diaconorum Romanam Ecclesiam post martyrium Faviani gubernantium statutis humiliter paruisse, et eorum quæ apud suam provinciam gerebantur directis ad eos epistolis rationem reddidisse. Quin etiam idem clerus legitur in epistolis ad eumdem Cyprianum missis, et ad Siciliam et diversas partes epistolas direxisse, et nondum præsidente Cornelio pro imminentibus tunc negotiis etiam ad celebrandam Romæ sinodum Episcopos convocasse. Quæ cum ita sint, satis impium videtur, quemlibet qui cum christiano nomine glorietur, christianis temporibus Romanæ ecclesiæ monitis non acquiescere, cui sub persecutionis crudelitate Deo digni pontifices tam devote paruerunt, etiam dum careret Pontifice. Arbitrati quippe sunt patres spiritu Dei pleni, beatos Apostolos Petrum et Paulum in ea magnificis meritis vivere et præesse, fidemque quam ab eisdem suscepit, quæ in toto mundo eodem beato Paulo attestante annuntiata est et laudata, in eadem usque in sæcula non deficere, sed ut eidem beato Petro imperatum fuerat, usquequaque positos fratres in eadem fide confirmare. Hæc et si interdum adversis mundi flatibus opprimitur, meritis tamen Principum Apostolorum qui in ea et vivunt et præsident non obruitur. Quoniam et si aliquando approbatione portæ inferi adversus eam valent, tamen Ihesu Domino orante pro fide Petri ne deficiat, nullatenus prævalent.

Itaque ego auctoritatis ipsius privilegium quo omni christiano orbi præminet ignorantibus patefacere cupiens, Domino mihi opem ferente, ex variis sanctorum Patrum et Christianorum principum auctoritatibus potioribus quibusque in unum congestis, præsens defloravi opusculum, quadrifaria dispartitum partitione. Nam primus liber continet privilegium auctoritatis eiusdem Romanæ Ecclesiæ. Et quoniam Ecclesia sine clero suo esse non potest, nec clerus absque rebus quibus temporaliter subsistat; huic subiunxi secundum et tertium de clero et rebus eiusdem ecclesiæ. Quia vero sæculi potestas Dei

ecclesiam sibi subiugare nititur, libertas ipsius et Cleri et rerum eius tertio et maxime IIII° libro evidenter ostenditur.

Singula (*sic*) autem deflorationes huic operi insertas, iuxta ordinem capitulorum minime locavi, quia pene omnes aliæ bina, aliæ plura in se negotia continent. Et si secundum numerum negotiorum de quibus agunt acciperent sectionem, mihi laborem plurimum, et auctoritati afferrent derogationem. Ideoque moneo scriptorem, ne lector graviter offendatur, ut non solum in emendatione codicis, verum etiam in utrisque numeris recte scribendis, et cautissime emendandis, diligentiam adhibeat, scilicet in eo qui sub positus est quibusque capitulis; et item in eo qui per totum codicem propositus est singulis deflorationibus.

Porro si qua hic inserta, quod etiam in Evangelistis sepe contingit, sibi invicem contraria videbitur, discretionis (*sic*) adibita facile patebit, quod neque sibi, nec extra positis scripturis adversentur. Quod si patenter adversari contingerit, inferior auctoritas potiori cedere debebit. Itaque primum defloravi neque optima de quibusdem universalibus sinodis idem Nicena, Ephesyna prima Calcedonensi et VI° et VII° et VIII° quæ partim a IIII sive a V Patriarchis, ab eorum partim vicariis sub diversis temporibus universaliter celebratæ fuisse noscuntur. De quarum auctoritate nisi qui insaniat nemo quod dubitet. Sed et de reliquis Conciliis orientalibus non ab re putavi quæ congrua mihi visa sunt nuntiare, a quibus videbam Romanos Pontifices in suis constitutionibus, quod et curiosus lector deprehendere poterit auctoritatem accepisse. Preterea quidam assumsi de Cartaginensi Sinodo, quæ a CC. et XVII. Episcopis sub Papa Zosimo acta est, præsentibus et ipsius legatis, Faustino Episcopo, et Philippo, et Asello Presbyteris in qua eisdem præsentibus confirmata sunt et inserta eidem sinodo Africana concilia diversis (*sic*) ac temporibus de quibus Celestinus et Simachus et Adrianus quædam videntur in suis decretis inserere. Et quoniam adversarius dum rationi succumbit auctoritatem infamat, sciendum est, quoniam omnia concilia sive universalia, sive provincialia quæ ante Chalcedonensem sinodum acta fuerant, postea confirmata et corroborata fuerunt, in eadem cap. 1.

quod ita se habent. Regulas sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constituta proprium robur obtinere decrevimus. Nam Chalcedonense Concilium quod a DC. XXX Patribus sub Leone Papa gestum est, eius auctoritatis ac firmitudinis, ut quisquis eius soliditatem non tenet, cuiuslibet vitæ atque actionis existat ut beatus Gregorius ait, etiam si lapis esse videatur extra Dei ædificium iacet. Sed et de auctoritate canonum Apostolorum qui per Clementem R. Pontificem de greco in latinum translati dicuntur, Quorum etiam auctoritatem VII[a] universalis synodus Patrum CCC. L. et idem Gregorius in suo registro uti videtur, de eorum inquam et quorumlibet aliorum canonum auctoritate, Anastasius Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius in prolago eiusdem VII[a] universali synodi quam de greco in latinum transtulit, Iohanni VIII Papæ ita scribit. Prædecessore vestro beatissimo Papa Stephano, et Apostolatu vestro decernente non tantum solos Apostolorum L canones ecclesia recipit, utpote tubam Spiritus Sancti, sed etiam omnium omnino probabilium patrum, et sanctorum conciliorum regulas et institutiones admittit, illas dumtaxat, quæ nec rectæ fidei, nec bonis moribus obviant, sed nec Sedis Romanæ decretis ad modicum quid resultant quia potius adversarios potenter impugnant. Epistolas autem Clementis ad Iacobum contra quas quidam garrire videntur, autenticas ostendunt successores eius Anacletus et Alexander et quidam alii Pontifices et a Deo Benedictus monachorum pater qui ex illis plures sententias in suis scriptis inseruerunt. Sed et de Apostolicæ Sedis auctoritate hic plurima congessi. Quedam etiam de opusculis beati Hieronimi cuius eloquium ut Augustinus de eo ait contra Iulianum, ab Oriente in Occidentem instar solis refulget. Quedam de opusculis beatorum Cypriani, Ambrosii, Augustini, et aliorum patrum. Et omnimodis operam impendi ut essent plenissima auctoritate quæ hic congessi, quoniam sicut aliquos quibus hæc placerent ita non defuturos quosdam qui his inviderent non ignoravi. Preterea antiquum ordinem electionis seu consecrationis Romani Pontificis et Cleri eius huic operi inserere libuit. Nam quidam olim in Dei et sanctorum

Patrum sanctionibus contemptum, ad sui scilicet ostentationem et adscribendam sibi ventosam auctoritatem quæ nullis canonicis legibus stare potest scripserunt sibi novam ordinationem eiusdem Romani Pontificis. In qua quam nefanda quam Deo inimica statuerunt, horreo scribere; qui legit intelligat. Porro de modo dicendi (*sic*) subditos pauca hic inserta sunt, quoniam et laboriosum et alterius operis arbitratus sum ad hoc sacram deflorare scripturam. Potissima autem ad id operis mihi visa sunt Evangeliorum et Apostolorum epistolæ, et Clementis, et pastoralis Gregorii, et super evangelia omeliæ eiusdem XI° et VIII° et VIII° et X° et super Ezechielem. Et quoniam dum brevitati studeo, plurima utilia me praeterire doleo, moneo curiosum lectorem, ut cum vacat, his a quibus haec deflorata sunt studium adhibeat, non ut defloratis aliquid adiungat, sed ut suo desiderio satisfaciat. Hoc itaque opus vestræ Paternitati dedicavi quod non solum sanctæ Apostolicæ Sedi sed omni Ecclesiæ et omni clerico profuturum putavi. Obsecro autem legentem in Domino ut pro meis excessibus ad Dominum intercedat.

Explicit prologus. Incipiunt capitula libri primi.

Quod Romana Ecclesia a Christo primatum optinuit. Cap. XVIIII. L. LXXVI. et in IIII° libro XCII.

Quod ab eodem omnium ecclesiarum caput sit instituta. Cap. L. et LXIIII.

Quod ab eodem summorum negotiorum diffinitio illi tradita sit. Cap. LIII.

Quod eodem iubente ad ipsum Apostoli instituerunt. Cap. VIIII. XLVIII. LIIII. LVII.

Item de eadem re. Cap. LVIII. LVIIII. LXV. LXVII. LXVIII.

Quod eius singulare privilegium sit aperire et claudere celum. Cap. VIII. XVIIII.

Quod quorumlibet Pontificum obligatione solvat, illius nemo. Cap. CIII.

Quod eius privilegia nulla possint virtutem (*sic*) convelli. Cap. LVIIII. Cap. CXXIII. lib. IIII° cap. XLI. XCII.

De principatu Apostolorum Petri et Pauli. Cap. CII. CCXX. CCXXII.

Quod idem (*sic*) Romanam Ecclesiam universo orbi prætulerunt. Cap. L.

Quod ipsi eam primam fecerint sedem. Capitulo eodem.

Quod pro eadem specialiter orent. Cap. item in eodem et XLVII. et CII.

Quod ipsi uno die et uno tempore passi fuerint. Cap. L. et CCXXVIII.

Quod tres principales sedes in orbe constituerint. Cap. item L.

Quod eorum constitutionem Nicena Sinodus secuta sit. Cap. I. et XXX. in lib. IIII° cap. XCIII.

Quod Alexandrina sedes subdita sit Romanæ. Cap. VI. et XVIIII. et XXV. et CC.

Item de Antiocena. Capitul. XXVII. et LXX.

De Constantinopolitana. Cap. CL. et CLXV. et CCI.

Quod Romana Ecclesia omnium ecclesiarum sit caput et mater. Cap. VI. et XXVIII. LX. et CXXXI.

Item de eadem re. Cap. CCI. et CCXXXVIII. et CCXXXVIIII.

Quod fundamentum et forma sit omnium ecclesiarum. Cap. CXIII.

Quod eadem singulis urbibus aut Episcopos direxit aut dirigi iussit. Cap. XLVII. et LI. et LIIII. LXXXVI.

Quod eadem Patriarchatus et Archiepiscopatus instituit. Capitulis item de eisdem et CXXXVI.

Quod non solum Occidentis sed etiam Orientis Episcopi ab eadem honorem consecrationis acceperint. Cap. XVIIII. LXXVI. et XCIIII.

Quod omnibus ecclesiis largita est suam vicem non potestatis plenitudinem. Cap. C. XIII.

Quod ab eadem unitas sacerdotalis orta sit. Cap. C. XIII.

Quod Apostoli constituerunt nullam debere fieri sinodum absque auctoritate. Cap. LXX.

Quod generale synodos ipsam convocare debeat. Cap. VIII. et LXXVI.

Quod non fit regularis sinodus sine huius auctoritate. Cap. XVIIII. et XXXVII. et XXVIII.

De eadem re. Cap. LXXII. LXXVIII. CXXVIIII.

Quod non sit consuetudo Papæ præesse universalibus sinodis nisi per legatos suos. Cap. XCV.

Quod legati eius in omnibus sinodis primi damnationis sententiam inferunt et primi subscribunt. Cap. IIII. XXVIIII. XXXIII. XXXV. XXXVIII.

Quod legatis ipsius fit proclamatio sub nomine eiusdem. Cap. XXVIIII.

Quod necessitate exigente universalibus sinodis ad Romanam sedem appellatur. Cap. XXX. et XXXVIII.

Qualiter Orientales sinodis subscribunt quas mittunt Papæ. Cap. XXX. XLIII.

Quod ei liceat comprovinciales sinodis (*sic*) et omnia provincialia negotia etiam per vicarios suos retractare. Cap. XV. XX. XXII. LVIII. LXX. LXXI.

Quod eius auctoritate iam VIII. universales sinodi celebrate sunt. Cap. XXXIIII. XXXV. XXXVIII. CLXXXV.

Quæ sinodus dicitur universalis. Cap. XXXVII.

Quod provincialia concilia cedant universalibus. Cap. CXLVI. CCXXIII.

Quod priora universalia interdum emendantur a posterioribus universalibus. Cap. CCXXIII.

De celebratione concilii in anno. Cap. II. XLVIII. LXVIII. XCIIII.

Quod post Christum Petrus primus Ecclesiæ pontifex sit. Cap. XLVIIII. L.

Quare ecclesia super unum edificatur. Cap. CC. XVI.

Quare beatus Petrus specialiter claves et principatum iudicii accepit. Cap. CC. XXX.

Quod sicut Petrus est princeps omnium Apostolorum, ita Romanus Pontifex omnium Pontificum. Capitula L. CC. XL. In libro IIII° Cap. I.

Quod potestatem sibi traditam a Domino Petrus soli Clementi contulerit. Cap. XLVII. et C. XIIII.

Ut ab omnibus Coepiscopis eadem discussio fiat inter provinciam. Cap. LX. et LXXVIII.

De iudicibus dandis ab Apostolica Sede. Cap. XVIII. et XX. et XXII. XLVIII. CLV. CCXXVI.

De accusatoribus testibus et de accusatis et defensoribus et item de iudicibus et omni iudicario ordine. Capitula CLVI., libro quarto.

De executoribus dandis ab eadem. Cap. CLVI. CLXIII. et in III° libro LXXI. CXII. CXIII.

De dubiis rebus. Cap. XC. CI. CXXXIII.

Quod Episcoporum iudicia Apostolicae Sedis auctoritate finita, ad eamdem referri debeant, ut ibi dein terminentur. Cap. LVII. et LVIIII.

De Episcopis expulsis absque eius sententia. Cap. XVIIII. LXXIIII. LXXVII.

De his qui eos expellunt. Cap. XVIIII. et LXXVI.

De appellationibus Episcoporum ad Apostolicam Sedem. Cap. VIIII. et X. et XI. XVIIII. LIIII. et LVIII.

Quod appellationis causas ipsa finire possit, etiam absente Pontifice. Cap. LIIII.

De eadem re. Cap. LXI. LXVIIII. LXX. LXXII.

De Episcopo accusato non appellante Apostolicam Sedem. Cap. CXXVI.

De evocato Episcopo ab Apostolica Sede. Cap. LIIII. et CCXXXVI.

De appellante ab eadem. Cap. CXXVI. CXXVII.

Et ut alter Episcopus non ordinetur in sede illius cuius causam ipsam nondum finivit. Cap. X. XXI. LVII. LVIII.

Ut vocatus Episcopus ad suam sedem non redeat nisi causa sua peracta. Cap. LIIII.

Ut peracta causa non redeat absque Apostolicis litteris. Item in eodem Cap.

Quod ab omnibus oppressis Apostolica Sede et Sacerdotum iudicio appellari possit. Cap. XLVIII. LVIIII.

De his qui capiunt venientes ad eamdem. Cap. LXXII. CXCVII.

Quod de qualibet mundi parte ad eamdem appelletur, ab illa nusquam. Cap. CIII. CXXVII.

Quod nonum Capitulum Chalcedonense de appellatione, a decretis PP. Iulii et Victoris sit acceptum. Cap. XI. XXXII. LVIII.

Quod Romana Sedes etiam inferiorum clericorum causas determinat. Cap. CXXXI. CXXXII. CLXIIII. CLXV.

Ut difficiliora negotia gradatim ad eam deferantur. Cap. XVIIII. XLVIII. XCVIII. CXXXI. CCXXI.

Quod solus Romanus Pontifex absque comprovincialibus Episcopis quorumlibet causas audiat quod nulli alii Pontifici licet. Cap. XIII. LVI.

Quod ei liceat ubilibet sinodum celebrare et consecrationes facere. Cap. CLVIII. CCXXXIII.

Quod sine ulla sinodo solvat quos iniqua sinodus damnat. Cap. CIII.

Quod etiam cum solo concilio clericorum suorum damnet quos oporteat. Cap. in II° libro XXXVI. XXXVIII.

Quod absque sinodo Episcoporum damnaverit Episcopos. Cap. CIII. et in II° lib. LXXXVIIII.

Quod sine huius consensu nulla sinodus quempiam damnet Episcopum. Cap. CXXXIIII.

Quod hæc sola sedes, sine ulla Episcoporum sinodo quemlibet damnet Episcopum. Cap. CXXXIIII.

De maturitate sententiæ Apostolicæ Sedis. Cap. CXXXIII. et CLXXVII. CCXVIII. CCXXII. CCXXIII.

Quod Apostolicæ Sedis iudicium retractari non possit. Cap. CIII. et in libro IIII° XCV.

Quod ratione exigente ipsa suum retractare iudicium. Cap. LXXXVII. CXXXIII. et in libro III° XCII. CCXXIII.

Quod necessitate cogente novas instituat leges. Cap. CI. CXCVIIII. CCXXXVI.

Quod absque eius auctoritate nihil novi præsumi debet in ecclesia. Cap. XVIIII. CCII. CCXXXVI. CCXXIII.

Quod causa exigente sanctorum patrum temperet instituta. Cap. CI. CV. CLXXVI. in IIII° libro XCIIII. XCV.

Quod nulla scriptura sit autentica nisi illius iudicio sit roborata. Cap. V. LXXVIII. XCI. CVI. CCXXII.

Quod Romana Ecclesia nunquam a vera fide erraveraverit (*sic*). Cap. LXVI. LXXIII.

De doctrina eiusdem. Capitula CCXXXVII.

Quod Damasus et Siricius scribant de Liberio quem Hieronimus scribit in chronica, post subscriptionem iterum exulatum fuisse. Cap. LXXXI. LXXXV.

Item de Liberio. Cap. CCXXXII. et in IIII° lib. Cap. CXXXV. et de Vigilio Cap. CCXXXIIII.

Quod Romana Ecclesia a fidelitate iniquorum subiectos eorum possit absolvere. Lib. IIII° CVI. CVII. CXXXVIII.

Ut Episcopi ad comitatum non eant nisi licentia Romani Pontificis vel sui Primatis. Cap. XXIII. XLII. CXXXVIIII. CLI.

Ut finitimi Episcopi annualiter Romam veniant. Cap. CXX.

Quibus in locis Romana consuetudo servari debeat. Cap. LXXXVI. CV.

De inobedientibus Apostolicæ Sedi. Cap. LV. CXVIIII. CXXIIII. CLXXIIII. CLXXXVIIII. CCXXXVI. CCXLVI.

De reverentia quæ illi debetur. Cap. LXXI. LXXVIII.

De his quæ eius contra decreta fiunt. Cap. CXXI. CCXLI.

De inobedientibus universalibus sinodis. Cap. XXXVI.

De transgressoribus Canonum. Cap. XIIII. XXXVI. LXXX. et in IIII° lib. Cap. L.

De auctoritate Canonum Apostolorum quorumlibet Canonum, quære in prologo et Cap. LVIIII. CXXIIII.

Ut absque Romano Pontifice (*sic*) licentiam basilicæ novæ non consecrentur. Cap. CIIII.

Ut item absque eius licentia novæ parrochiæ non instituantur. Cap. CXXVIII.

Quod illi liceat duas Episcopales sedes et dua monasteria unire. Cap. CLII. CLIII. CLIIII.

Quod sibi alterius ecclesiæ parrochianum ordinat. Cap. XII. CLVII. CXLVI.

Quod violenter promotum in pristinum restituat gradum. Cap. CLX.

Quod violenter translatum in priorem locum reducat. Cap. CLXI.

Quod iniuste communione privatum communioni restituat. Cap. CLXXXIII. CLXXXIIII.

Quod pro civium peccato episcopalem sedem aufert a loco suo. Cap. CXL.

Quod absque eo Episcopus non mittatur a sede ad sedem. Cap. LII. LX. LXII. CCXXXV.

Quod mutatio non fiat sine consensu Cleri sedis illius in quam mutatio fit. Cap. XCIII. et CCXXXV.

Quod per inferiores ordinis clericos male viveutes coerceat Episcopos. Cap. CLX. in IIII° lib. LXII.

Quod etiam cuilibet ecclesiastice persone committat executionem Concilii celebrandi in sua provincia. Cap. CLXVIII. et CXCVIII.

Quod etiam inferioris ordinis persone committat vicem suam in provincia. Cap. CLXII. CCXXVIIII.

De Pallio intra menses III a Romana Sede suscipiendo. Cap. LXXVIIII. CXXXV.

De pagina fidei quæ Apostolicæ Sedi mittitur pro Pallio. Cap. LXXVIIII. CXCI. et de usu eius CLXVIIII.

Quibus in locis Thessalonicensis Episcopus Romani vices habeat. Cap. CXXX. in lib. IIII° CXXXVI.

De Pallio Archiepiscopi prime Iustinianæ Illirici. Cap. CLXVI. et quibus in locis habeat vices Romani Pontificis. Capitula CCXI.

De simili iure Cartaginensis Archiepiscopi. Cap. eod. et CCII.

De Pallio Archiepiscopi Corinthiorum. Cap. CXLVIIII.

De Pallio Archiepiscopi Nicopolitani. Cap. CLXXXVIII.

De Pallio Archiepiscopi Nicomediorum. Cap. CLXVII.

De prisca consuetudine Pallii. Cap. CLXVIII.

Quod nulli liceat uti dalmatica nisi licentia Romani Pontificis. Cap. CXLVII.

De consecratione et cautionibus Ravennatis Archiepiscopi. Cap. CCIIII. CCVIIII. in secundo libro XCV. XCVI. in IIII° libro Cap. CLXII.

De consensu vel dissensione que fit in electione Pontificis. Cap. IIII. XCVI. CVII. CXVI.

Ut de Presbyteris vel Diaconis eiusdem Ecclesiæ eligatur Episcopus. Cap. XCII. XCIII. XCVI. CXXIII. CCVI. in II° lib. cap. CXXXI.

Ut laicalis potestas se non interserat electioni vel promotioni Pontificis. Cap. CCXLIIII. in lib. III° cap. CLII. CLIII. CLIIII. In II. CXXXI. In lib. IIII° cap. XI. XVI. XVII. XVIII. XX.

Quod si necessitas exigat possit invitari acooperandum (*sic*). Cap. XXXVIIII. In libro III° cap. CLVI. CLVII. In IIII° XVI. capit.

Quod etiam Constantius Arrianus Imperator, pulso Liberio non prohibuerit Pontificem ordinari de Romano Clero. Cap. in lib. II° LXXXIII.

Ubi Pontifex Romanus eligatur. Cap. CXXXVIII. CCVII. in lib. II° XCVII.

Qualiter Romanus Pontifex debeat eligi vel consecrari. Cap. XCVII. in lib. II°.

Decretum electionis futuri Pontificis. in II° lib. cap. XCIII.

Ut Clerus non compellatur ad subscribendum illum. Cap. CVIIII.

Professio eius antequam consecretur. Cap. XCIIII. in II° lib.

Ut qui electus fuerit e vestigio consecretur. Cap. CCIII.

Ut ab omnibus comprovincialibus Episcopis consecretur. Cap. III. LXIII. CCXIIII.

Quod electio beati Gregorii et beati Ambrosii concordet sanctæ universali VIII synodo quamvis post eos tempore primi Nycolai celebrata sit. Cap. CLXXX. CCXC. In IIII° lib. XVI.

Quod consecratus Romanus Pontifes (*sic*) tribus patriarchalibus sedibus synodicam mittere debet. Cap. CLXXXI.

Ut natale ordinationis suæ annualiter celebret. Cap. CXI.

Quod uno existente Pontifice, alter eius in loco esse non possit. Cap. CCXI. CCXIIII.

De his qui Papa superstite pro Romano Pontificatu alicui favorem præstant. Cap. CVII. CCXV.

Expliciunt capitula libri primi. Incipiunt II.

Quod Presbyteri sint sal terræ et lux mundi. Cap. XXIII.

Quod Presbyteri qui præsunt, habeant ligandi et solvendi potestatem. Cap. LXX. CXIII.

De Romanis ecclesiis et cymiteriis divisis presbyteris Urbis Romæ. Cap. XXX. LXXXVI. LXXXVII.

Quod olim alii Presbyteri ecclesiarum, alii cymiteriorum erant. Cap. XXX. XXXVII.

De terminis et iure parrochiarum eorumdem. Cap. XXX.

Quod titulis pertineat baptismus et penitentia, et sepultura. Cap. LXXX.

De sacramento Dominici Corporis, quod ipsis mittitur a Rom. Pontifice. Cap. XXXVII.

Quod Romani Pontifices presbyteros suos fratres et compresbyteros appellant. Cap. XXXIIII. XXXV. XXXVI.

Quod Presbyteri sint secundi ordinis post Episcopum suum. Cap. XL in lib. III°.

Quod Sardicense concilium Rom. Ecclesiæ Presbyteros appellet laterales iudices. Cap. XX. in I° lib.

Quod Romani Pontifices tantum cum concilio cleri sui damnaverunt sepe quos oportuit. Cap. XXXVI. XXXVIII. LXXXVIIII.

Quod Presbyteri in Concilio secundum tempus ordinationis suæ resideut. Cap. XLV.

Quod absente Rom. Pontifice, Clerus eius quorumlibet causas diiudicat. Cap. XXIII. LXXI. CI. CII. CIIII.

De eadem re, in I° lib. cap. LIIII et LVIII.

Ut sententia Episcopi Presbyterorum et Diaconorum subscriptione firmetur. Cap. XVIII. LV. LVI. LXIIII.

De eadem re. Cap. LXVIIII. CVI. CXVIIII.

Ut Episcopus quolibet loco sedens, stare Presbyterum non patiatur. Cap. XVII.

Ut Presbyteri cum suo Episcopo consecrent sequentes ordines. Cap. XLIII.

Ut Episcopus absque consilio Presbyterorum suorum clericos non ordinet. Cap. XX. XXVI.

Cum eodem Chrisma consecrent. Cap. XCVIIII.

Ut Presbyteri præsente suo Episcopo et eo iubente in Ecclesia prædicent. Cap. CX. CXII. CXV.

Ut absente Episcopo consignent etiam in fronte. Cap. LXIII. CVII. CXII.

De differentia consignationis Episcopi et Presbyteri. Cap. LXXXI.

Ut absente Episcopo reconcilient penitentem. Cap. XVIIII. CXII.

Ut eodem absente populo benedicant. Cap. CXII.

Quod in principalibus festis cum Rom. Pontifice Cardinales Presbyteri Missam celebrant. Cap. XCVIII.

De loco et ornatu eorum. Cap. XXIIII. LI. LII.

Quod Presbyteri et Diaconi dalmaticis utuntur. Cap. LXXXI. CXXIIII.

De sandaliis et mappulis eorumdem. Cap. I. lib. IIII°.

Quod aliis clericis non licet eadem habere insignia. Cap. XC. et in I° lib. cap. XLVIII. et CLXVIIII.

Ideo Rom. Clerici locum antiquorum habent patriciorum. Cap. I. lib. IIII°.

Ut II Presbyteri et III Diaconi in omni loco assint Episcopo. Cap. XXVIIII.

Ut posteriores ordinati non præferantur prioribus. Cap. XLII. et LXXXI.

Ut Clerici honorent suum Episcopum et ipse eos. Cap. VIIII. et CVIIII. CXV.

De ordinatu Sacerdotum. Cap. VIII. XV. XLVIIII. LXXIII. LXXIIII. CXX. XXVIIII.

De reverentia minorum erga maiores suos. Cap. L.

De Presbyteris qui non sunt Cardinales. Cap. XIII.

Quod hi qui non sunt Presbyteri Cardinis (*sic*) in sinodo cathedrales sedes non habeant. Cap. XLV.

Quod Cardinalibus non debeant præponi non Cardinales. Cap. LXI.

Unde dicantur Cardinales. Cap. CXXX.

De honore Sacerdotum. Cap. III. cap. XXX. LX. C. CIII. in lib. IIII° LVIII.

Ut nullus cedat honori suo. Cap. XLI. CIII.

De potestate sacerdotum. Cap. CXXI. In I° lib. CCXIIII.
Quod Diaconi ministri sunt Presbyteri et Episcopi. Cap. XV. CVII.
Quod absque Diaconis Presbyter nomen habet, officium non habet. Cap. CXI.
De Diaconis qui se præferunt Presbyteris. Cap. CVII. et CXIIII.
Quod non oporteat Diaconos in Presbyterio sedere. Cap. XLIIII.
Ut non sedeat in medio Presbyterorum. Cap. IIII. CXXVIII.
Ut iussione Presbyteri sedeat. Cap. XIIII. XV.
Ut Diaconus in conventu Presbyterorum interrogatus loquatur. Cap. XV.
Ut eundem honorem habeat a subsequentibus ordinibus. Cap. XIIII. XXXIII.
Ut tempore oblationis et lectionis tantum alba utantur. Cap. XV.
Ut absente Episcopo vel Presbytero baptizet. Cap. XLIIII.
Ut populo communionem iubente Presbytero eroget. Cap. XV.
De officio Presbyteri et Diaconi. Cap. CVII. CXI. CXII. CXVI.
De utriusque absentia a suis ecclesiis. Cap. X. et ut sæcularibus negotiis non implicentur. Cap. CVI.
Qualiter Prælati eligi debent. Cap. LXVII.
De uno Episcopo, et uno Archipresbytero, et uno Archidiacono unius civitatis. Cap. CXVIII.
Qualiter Archipresbyter, et Archidiaconus eligantur. Cap. LX. CXIIII.
Ideo sublimior gradus sit Presbyteratus quam Archidiaconatus. Cap. LXXII. CXIIII. et in I° lib. CLX.
Qui funguntur vice Pontificum. Cap. XXXIIII. XLVI. LXXVII. LXXVIIII. CV. CXXII.
De officio Archidiaconi. Cap. LVIII.
De officio Vicedomini et electione eius. Cap. LIIII. LVIIII. LXXXVI.
De electione Oechonomi et officio eius. Cap. V. LIIII.
Ut ad potiorem gradum quilibet invitus non promoveatur. Cap. LVII.
Ut in duabus ecclesiis quilibet clericus non numeretur. Cap. VII.

Ut Clerus et Ecclesia laicis non subiaceant. Cap. LIIII.

Ut in Romana Ecclesia ordinatus aliæ ecclesiæ non militet. Cap. CLVII. in lib. I.°

De his qui transferuntur ab ecclesia in aliam ecclesiam. Cap. VII.

De forensibus clericis. Capitula. Eodem.

De oblocutoribus sacerdotum. Cap. C. in lib. III° cap. XXXII. in IIII° cap. CLVI.

Qualiter Episcopus clericos suos corripere debeat. Cap. XL. LXVIII. CVIIII.

De Presbytero et Diacono contemnente Episcopum suum. Cap. VIIII. et XII.

De tertia vocatione Presbyteri ante eius remotionem. Cap. XII. XXII. XLVIII.

Quod absque Episcoporum concilio, Cardinalis Urbis Rom. removeri non debet. Cap. XLVIII. LXXXIII. CXXV.

De accusatoribus et accusatis et defensoribus, et numero et qualitate testium. Cap. XXXII. LXXXI. in lib. IIII° CLVI.

De iudicibus et qualitate iudicii, in I° lib. cap. XVIII. in III° LXXXVI.

De presbytero et diacono segregatis ab Episcopo suo. Cap. VIII. et XI. et XXII. in lib. IIII° cap. XLVII.

Quod successor Episcopus a decessore suo remotum et recipit et provehit. Cap. XI. CXXIII.

Expliciunt capitula libri II. Incipiunt III.

Quid sint res ecclesiæ. Capitula XXXI.

De his qui oblationes ecclesiæ accipiunt præter Episcopum vel eum cuius interest. Cap. XLIII.

De raptoribus in aliis terroriis (*sic*) morantibus. Cap. eod.

De his qui sub occasione pauperum accipiunt easdem oblationes. Cap. eodem.

Item de accipiente, dante, possidente, rapiente. Cap. eod. et XXVIII. et XXXI. et XXXII. et XXXIII.

De his qui parentum defunctorum, vel suas oblationes ecclesiæ auferunt. Cap. XXV. XXVI.

De his qui iussu vel largitione principum res ecclesiæ filiis suis relinquunt. Cap. XLIII.

Ut processio populi auferatur ab ecclesia, cuius oblationes laici accipiunt. Cap. XCV.

De fructuum oblationibus. Cap. XIIII.

De his qui res ecclesiæ auferunt et ecclesiasticis iniuriam faciunt. Cap. XXXII. L. LXXXVI. LXXXVIIII.

De his qui ecclesiæ vel clero iniuriam faciunt, publicis et ecclesiasticis legibus coerceantur. Cap. LXXXVI. LXXXVIIII. XCVII. XCVIII. CXXXIIII. CXXXVIII. CXXXVIIII.

Item de eodem in lib. IIII° cap. CL. XLIII. CLIIII. CLV.

De his qui non corriguntur sacerdotali ammonitione. Cap. XLIII.

De auctoritate privilegiorum ecclesiæ. Cap. XXVIII. XXXV. LXVII. LXXXVIII. CVI. CXXXIIII.

De eodem in II° lib. cap. XLIIII. in IIII° CL.

Quod IIII portiones fieri debent redditu et oblatione fidelium. Cap. XXXVII. XXXVIII. LXVIII. LXXX. LXXXV.

Quod Romano Pontifici non liceat perpetualiter alienare prædium Romanæ Ecclesiæ. Cap. XXXVIIII. et XLIIII.

Quod res non liceat illi perpetualiter commutare. Cap. XXXVIIII.

Quibus liceat illi dare in usum fructum rura eiusdem ecclesiæ. Cap. eod. et VIII. et XLIIII.

De commodatione domorum eiusdem ecclesiæ. Cap. XXXVIIII.

Quod Presbyteris Rom. Ecclesiæ non liceat quicquam alienare de rebus eiusdem. Cap. CI. XL.

Quæ licet illis alienare de titulis suis. Cap. eod.

Que non licet illis perpetuo alienare de eisdem titulis. Cap. item in eodem.

De alienatore omnium prædictorum. Cap. quo supra et VIII. et LII. et LIII. et LIIII. et LV.

De eo qui petierit et acceperit. Cap. X. et XLI. et CXXXVII. CXXXVII.

De Presbyteris et Diaconis qui subscribunt danti Pontifici. Cap. XLI.

Quod cartæ quæ de perpetua alienatione facte sunt, inanes sunt. Cap. X. XLII.

Quod liceat cuilibet clerico Rom. Ecclesiæ vocem contradictionis afferre. Cap. XLII.

Ut quilibet Episcopus non vendat rem Ecclesiæ inconsulto Episcoporum vel Presbyterorum concilio. Cap. XV. XVII.

Ut Presbyter non vendat rem ecclesiæ inconsulto Episcopo. Cap. XVII.

Si defuncto Episcopo Presbyteri vendiderint rem ecclesiæ. Cap. XIII.

De redditibus ecclesiæ viduate. Cap. V. In lib. I° cap. CXXXVII.

Ut res ecclesiæ rebus Episcopi non misceantur. Cap. II.

Quod Episcopus rebus ecclesiæ tamquam commodatis utatur. Cap. XXI.

De propriis rebus Episcopi et sequentium ordinum. Cap. IIII. XVI. XX. LXVI. CXXXIIII. CXL.

De Episcopis et Presbyteris usurpantibus res suarum ecclesiarum. Cap. XXIIII. XLVIII.

Ut ecclesiam habens Episcopum, habeat et œchonomum de proprio clero. Cap. V. et LXI. et in II° lib. cap. V.

De vice domino Episcopi, et maiore domus eius. In II° libro cap. LIIII.

Ut Episcopus res ecclesie dispenset per Presbyteros et Diaconos. Cap. I. et V. in II° lib. cap. CXXVI.

Ut Episcopus et Presbyter etiam poma dividant cum aliis clericis. Cap. III.

De quantitate portionum clericorum. Cap. XXXVII. XXXVIII. LXXX. LXXXV. CXVI. et in II° lib. CXXVIII.

Ut dispensatio ecclesiastica sine testimonio non sit. Cap. XXVIII. in II° lib. cap. V.

Quod omnia quæ sunt ecclesiæ nota debent esse Presbyteris et Diaconis. Cap. XXII.

De Episcopo qui res ecclesiæ non cum notitia Presbyterorum et Diaconorum tractat. Cap. XXIII.

Quod irrita sit donatio vel commutatio Episcopi, sine consensu Presbyterorum. Cap. XXI. XXXIIII.

Quod Episcopo depopulanti res ecclesiæ clerus eius obviare debet. Cap. XXIII. et XCVI. In II° lib. LVIII.

De Episcopo auferente partes clericorum. Cap. XXXVII. LXXXVIII. in II° lib. CXI.

De clericorum coniugatorum portione. Cap. LXVIIII.

Ut infirmis clericis eorum consueta commoda non auferantur. Cap. LXXVII.

Ut successor Episcopus restituat clericis quartam quam ante successor non dedit. Cap. LXXVIIII.

Ut Episcopi rem tituli presbyteri sui non usurpent. Cap. VII. XVIII. XVIIII. XLVIIII.

Ut ministeria ecclesiæ ad alteram non transferantur. Cap. XCVIIII.

Ut successor Episcopus decessoris mala facta emendet. Cap. XXVI. XCII.

De cura clerici et pauperum etiam tempore belli. Cap. XV.

De administratoribus religiosorum locorum. Cap. CXLI.

Quod res ecclesiæ divitibus dari non debent. Cap. VIII. CIIII. CXXX. CXXXI. CXXXIII.

Quod clericis non laicis debent committi patrimonia ecclesiæ. Cap. XLV. LX. LXI. CXXXII.

Quod alterius ecclesiæ clericis non debent committi. Cap. XC. in II° libro.

Quod rectores patrimoniorum iurare debent. Cap. LXXIIII. et CLV. et CLVI. et CLVII.

De singulis ducibus et iudicibus patrimoniorum. In I° lib. cap. CC. XLII. CCXLV.

Exemplar locationis rerum ecclesiasticarum. Cap. CXVII. CXVIII. CXVIIII.

Ut annui redditus patrimoniorum a notariis describantur. Cap. LXXV. XCII.

Ut patrimoniorum rectores per singulas indictiones desusceptum accipiant et patrimoniorum conductores similiter. Cap. CI. CII. CIII. CVIIII. CXI.

Qualiter per rectores eosdem corripit Episcopos male agentes. Cap. LXII. LXIII. LXXVIII.

Qualiter iidem rectores se habeant erga subditos eorumdem Episcoporum. Cap. LXIIII. LXV. LXX. LXXI.

Qualiter quibuslibet opem ferant. Cap. LXXI. LXXII. LXXIII.

De commendatione legatorum Rom. Ecclesiæ. Cap. CXIIII. CXV. CXX. in lib. IIII° LV.

De his qui legationem Ecclesiæ impediunt. Cap. XXX. CXX.

De commonitorium (*sic*) eis Rom. Pontifex facere debet. Cap. LXXXVIII. in I° lib. cap. XLI. CXCV.

De rescripto Legatorum. Cap. LXXXVII.

Quibus ecclesiæ decimæ dentur. Cap. XXVII.

Quod sacrilegi sint qui decimas ecclesiæ auferunt. Cap. LVI.

De nolentibus dare decimas. Cap. LVIII. CXLVI. CXLVII. CXLVIII.

De Abbatibus qui primitias et decimas sibi vendicant. Cap. LVII. in II° lib. cap. CXXI.

De oblatione ad Missarum sollemnia. Cap. item LVII.

De his qui fugiunt matrices vel baptismales ecclesias. Cap. LI. XCIII.

De his qui tribus Dominicis absunt a conventu ecclesiæ. Cap. XXIIII in I° lib.

De privilegio monasteriorum. Cap. VI. XC.

De his qui sibi faciunt diversoria episcopia vel monasteria. Cap. VIIII.

De his qui in monasterio convertiti dimidium bonorum suorum titulo relinquant. Cap. LVIIII.

Ut Missæ publice in monasterio populo non fiant. Cap. LXXXII. XC.

Ut capellæ absque Missis publicis consecrentur. Cap. CVII. CVIII.

Ut proprium Presbyterum non habeant. Cap. CVII. CVIII.

De ecclesiis quæ noviter hædificantur. Cap. VI. CVII. CXLV.

De clero earumdem. Cap. CXLV.

Ut Misse publicae in eis non fiant. Cap. CVII. CVIII.

De immunitate ecclesiarum. in IIII° lib. CLIII.

Quod conditores ecclesiæ nihil iuris in ea habeant. Cap. XCIIII. CXXVIIII. Cap. XCI. et in IIII° lib. CXXXIII.

Quod vincula beati Petri titulo Eudoxia sint etiam beati Pauli.

Explicit capitulatio libri III. Incipit IIII.

De auctoritate Constantiniani privilegii. Cap. I.

Qualiter Imperator Constantinus Apostolicam Sedem exaltaverit. Cap. eod.

Quibus in locis eidem prædia contulerit. Cap. eod.

Que insignia Rom. Pontifici et Clero eius contulerit. Cap. item eodem.

Qualiter eius dispositioni totum Occidentem reliquerit. Cap. item eodem.

Quod imperialem coronam eidem contulerit, et diffinierit terrenum imperium Romæ potestatem non habere. Capitula, quo supra.

Qualiter hac in causa suos obligaverit successores. Cap. quo supra.

Qualiter hoc privilegium confirmaverit. Cap. item primo.

De privilegio Rom. Ecclesiæ. In I° lib. cap. CL. XXXVIIII. CCXXXVI. CCXXXVIII. CCXL.

Quod privilegia Rom. Ecclesiæ nulla possint virtute dirrumpi. XLI. XCII.

Quod sæculi potestas præcipue a beati Petri sede ea quæ vera sunt debet cognoscere. Cap. XL. XLI. LXXXVIII.

De obedientia eiusdem erga eandem. cap. XLV.

De reverentia antiquorum Imperatorum erga eandem. Cap. I. II. III. IIII. V. XLVII. LVI. XCVI. CX. CXII. CXXXVIIII. CXL. In I° libr. CCXXXVI. CCXXXVII. CCXXXVIII. CCXL.

Item de reverentia Francorum Imperatorum cap. X. CXIII. CXIIII. in I° lib. CCXLII. et quod Rom. Ecclesiæ non ipsi prædia contulerint sed restituerint. Cap. X. L. in lib. III° cap. CLII.

Quod quisquis per eam promovetur alienus est a sacro ordine. Cap. XIII. et XIIII.

De pecunia promotionis causa suscepta et de his qui eam accipiunt. Cap. CLI. X. CLII.

De his qui compellunt id quod contra fas est agere. Cap. XXX. In I° lib. CLXXXIIII.

De his qui contra pacem Ecclesiæ sunt. Cap. XXXVIII.

De expetendo humano auxilio contra eosdem. Cap. XVI. XXII. XXVII. LI. LXI. LXII. LXVIII. LXXVIII. CVII. CVIII. CXIII. CXIIII. In primo libro CCXXXVI.

De clericis utrum se armis tueri debeant. Cap. CXXXI. CXXXII.

De his qui iuste reos puniunt. Cap. XXVIII. XXVIIII. XXXVII. LXI. CXXVI.

Quod illud quod necessitas pro remedio reperit cessante necessitate, debet cessare. Cap. CLVII.

Quod maiorem ruinam faciat maior turba peccantium. Cap. CLVIIII.

Quedam de penitentia. In primo lib. cap. XXXVIII. In II° XVIIII. CI. CII. CIII. CIIII. In III° LXXXVI. In IIII° cap. XV. LXXII. LXXVI. CXVII. CLX.

HYSIDORUS

IN PRÆFATIONE CANONUM.

Scire autem vos LXXX Episcopos qui hoc opus me incipere et perficere coegistis, et cunctos reliquos Domini sacerdotes oportet, quod plura quam illa XX cap. quae apud nos habentur Nicenæ sinodo reperimus et in decretis Iulii PP. LXX. cap. eiusdem Synodi esse debere legimus. Quam epistolam in suo loco cum ceteris ponemus. Nam quod plura quam XX capita sint Niceni Concilii, in multis inveniuntur locis. Legimus enim in Constantinopolitano Concilio ita. Manifestum est quod illa quæ sunt per unam quamque provinciam ipsius provinciæ sinodus dispenset, sicut Niceno constat decretum esse concilio. Legitur in epistola Innocentii Papæ Victricio Episcopo directa ita. Si quæ causæ vel contentiones inter Clericos et laicos, vel inter Clericos tam maioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, ut secundum Nicenam sinodum congregatis omnibus eiusdem provincie Episcopis iudicium terminetur.

Sanctæ etiam memoriæ Theophilus Alexandrinus Episcopus in suis epistolis meminit in Concilio Niceno statutum esse ut ab VIII. id. Martii usque in diem non. Aprilis, diebus scilicet XXVIII. qualiscumque luna nata fuerit in quolibet medio spatio prohibet facere initium primi mensis. XIIII. vero luna, a XII. kal. Aprilis usque in XIIII. kal. Maii, sollerter inquiri, etiam si die sabbatorum inciderit, consequenti die dominico, idest luna XV. Pascha celebrari conscripsit. Et si die Dominico luna XIIII. eiusdem mensis, idest primi evenerit, ipsa transmissa in altera die Dominica Pascha sine dubio cele-

brari conscripsit. His et aliis quamplurimis exemplis, patet plura esse, quam XX cap. Nyceni concilii, et veram esse prædictam Iulii PP. epistolam. Nobis autem quidam fratrum nostrorum Aurientales testati sunt se vidisse Concilium Nicenum, habens potiorem IIII^{or} evangeliorum magnitudinem, continens in se sessiones Episcoporum, et introductiones, iudiciaque querimonia atque diffinitiones et constitutiones nec non et subscriptiones eorum.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Ex Concilio Niceno cap. VI.

Antiqva consvetvdo optibnvit, de qua scribit Anacletus in tertia epistola sua, ut Urbis Rome Episcopus habeat principatum et suburbicaria loca idest regna quæ tunc erant sub urbe et omnem provinciam sua sollicitudine gubernet. Quæ vero apud Egyptum sunt, Alexandriæ Episcopus omnium habeat sollicitudinem. Similiter autem et circa Antiochiam et in ceteris provinciis privilegia propria serventur ecclesiis. Alia translatio sic habet. Antiqua consuetudo permaneat in Egypto, vel Libia et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quam quidem et Romano Episcopo pariter mos est. Similiter autem et apud Antiochiam ceterasque provincias sua privilegia unicuique serventur ecclesiæ.

II. Ex eodem cap. V.

Servetur et ista sententia, ut hi, qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur. Requiratur sane si forte aliqua indignatione, aut contentione, aut aliqua commotione Episcopi sui excommunicati sunt. Ut ergo hæc digna possint examinatione perquiri, recte visum est per singulos annos in singulis quibusque provinciis, bis in anno Episcoporum concilium fieri, ut simul in unum convenientes ex omni provincia huiusmodi examinent questiones. Ut ita demum

qui ob culpas suas Episcoporum suorum offensas contraxerunt, digne etiam a ceteris excommunicati similiter habeantur, quousque in communi vel ipsi Episcopo suo visum fuerit, humaniorem circa eos ferre sententiam. Habeatur autem semel concilium ante dies quadragesimæ, ut omnibus si quæ sunt simultatibus amputatis mundumque sollæque (*sic*) Deo munus possit offerri. Secundum vero agatur circa tempus autumni.

III. Ex eodem cap. IIII.

Episcopum oportet ab omnibus Episcopis si fieri potest qui sunt eiusdem provinciæ ordinari. Si vero hoc difficile fuerit, vel aliqua urgente necessitate, vel itineris longitudine, certe tres Episcopi debent esse congregati. Ita ut etiam eorum qui absentes sunt consensum litteris teneant, et ita faciant ordinationem. Potestas sane vel confirmatio pertinebit per singulas provincias ad Metropolitanum Episcopum.

In eodem. In una civitate duo Episcopi esse non videantur.

Item in eodem. Nullus clericus in duabus ecclesiis ministrare præsumat.

IIII. Ex eodem cap. VI.

Per omnia autem manifestum est quia si quis præter voluntatem et conscientiam metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hoc Concilium magnum et sanctum censuit non debere esse Episcopum. Sane si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum ecclesiasticam regulam, duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicunt, optineat plurimorum sententia sacerdotum. Et cetera. Item in subscriptionibus. Osius Episcopus Cordubensis provinciæ Hispaniæ legatus Apostolice Sedis sanctæ Rom. Ecclesie dixi. Ita credo. Victor et Vincentius Presbyteri et Legati sanctæ Apostolicæ Sedis Ecclesiæ Rom. subscripserunt.

V. Exempla eiusdem Concilii.

Beatissimo Papæ Urbis Romæ Silvestro. Osius Episcopus Cordubensis provinciæ Hyspanie, et Victor et Vincentius Presbyteri Urbis Romæ et cæteri Episcopi CCC. X et VIII. salutem. Quoniam corroborata est omnis divinis mysteriis ecclesiastica utilitas et ea quæ ad robur pertinent sancte Ecclesie Catholice et Apostolice ad Sedem tuam Romanam, explanata de græco in latinum gesta sancti Concilii scribimus. Itaque censeat gloria vestra in vestre Apostolice Urbis sinu Episcopos vobiscum abere concilium sicut decet, ut firmet vestrum sanctimonium, gradus præfixos, vel textus ordinationis. Quoniam quidquid constituimus in Niceno Concilio, precamur ut vestri oris consortio confirmetur. Oret beatitudo tua pro universo Concilio. Data VIII. kal. Sept. Paulino et Iuliano Consulibus.

VI. Exempla Athanasii Episcopi Alexandrini.

Domno sancto et Apostolici culminis dignitate venerando, Marco sanctæ Romanæ Apostolicæ Sedis atque universalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius et universi Egyptiorum Episcopi. Nycenam sinodum in contumeliam nostram et omnium Christianorum Ariani incenderunt. Quapropter precamur Pater beatissime ut illa nobis exemplaria quæ sanctæ recordationis prædecessori vestro Silvestro, missa fuerunt, sub tuta nobis mittatis stipulatione. Nam sub nostræ præsentiæ testimonio per beatos viros Victorem et Vincentium Presbyteros et Apocrisarios Apostolicæ Sedis missa sunt prædicto Papa Silvestro cum astipulatione subnixa, capitula LXX. Sane præsentibus nobis LX. in memorata sinodo capitula tractata sunt. Scilicet XXX. a græcis græca lingua edita, et XXX. a latinis latine tractata sunt. Sed visum est CCC. et VIII. Patribus ut X capitula adunarentur in congruis locis, et ad formam LXX. discipulorum vel totius orbis terre linguarum LXX. tanti et

tam excellentis Concilii fierent capitula, quæ omnem Christianorum orbem in una fide firmarent. Et infra. Nunc ergo optamus ut a vestræ Sedis auctoritate, quæ est caput et mater omnium ecclesiarum, et ad correptionem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur.

VII.

Domnis Venerabilibus et fratribus Athanasio et universis Egyptiorum Episcopis, Marcus Sanctæ Romanæ Apostolicæque Sedis et universalis Ecclesiæ Episcopus. Et infra. Diligenter requirentes in sancto nostræ et Apostolicæ sedis scrinio eadem quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Silvestro sunt directa LXX. sicut significastis capitula, illesa invenimus. Ipsa vobis propter auctoritatem et subscriptionem tantorum patrum et eius magni concilii minime misimus sed per eadem coram apocrisariis vestris alia similia eumdem numerum, eademque verba et ipsam subscriptionem continentia vobis scribere et subscriptam stipulationem et confirmationem mittere curavimus. Et cetera.

VIII.

Iulius sanctæ Rom. et Apostolicæ Sedis Episcopus, Orientalibus Episcopis. Decuerat vos adversum sanctam Rom. et Apostolicam Ecclesiam limate et non hyronice loqui, quoniam et ipse Dominus noster Ihesus eam decenter alloquutus ait. Tu es inquid Petrus et super hanc petram, et reliqua, habet potestatem singulari privilegio sibi concessam aperire et claudere ianuas regni celestis, quibus voluerit. Et infra. Cur sinodum ad statum Ecclesiarum et fratrum subvertendum et Niceni magni Concilii destructionem in Antiochia fecistis? Aut cur nobis inconsultis Episcopos ad sinodum vocastis, ad quam nec Maximus Hierosolimitanus venit, nec nostra interfuit legatio? Canonibus quippe in Nicena synodo iubentibus non de-

bere præter sententiam Romani Pontificis ullo modo concilia celebrari, nec Episcopos damnari.

Secuntur hæc ex prædicto Concilio Niceno capitula, idest.

VIIII.

Ut omnes Episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quotiens necesse fuerit libere Apostolicam appellant Sedem atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea sicut profuerit pie fulciantur, defendantur, liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores et ecclesiasticas causas et Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur Episcopi qualiter erga fratres egerint, quam eiusdem sedis Papæ fieri placuerit.

X.

Placuit ut accusatus vel iudicatus a comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet et adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se aut per vicarios suos eius retractare negotium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Episcopus. Quoniam quamquam comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Rom. Pontifice permissum est, cum beato Petro non ab alio quam ipso dictum sit Deo, Quæcumque ligaveris. Et reliqua.

XI.

Si quis putaverit se a proprio Metropolitano gravari apud Patriarcham vel Primatem dioceseos, aut pæne universalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur sedem. Et infra. Culpantur enim, ut scriptum est, fratres qui aliter circa Episcopos iudicare præsumunt, quam Apostolicæ Sedis Papæ iudicare placuerit.

XII.

Nullus Episcopns alterius Parrochiannm præsumat retinere, aut ordinare absque eius voluntate, vel iudicare, salva tamen in omnibus Apostolica auctoritate. Quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita et diiudicatio.

XIII.

Salvo in omnibns Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus Metropolitanus absque ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia aliquorum audiat causas, quia irritæ erunt aliter acte, quam in conspectu eorum omnium ventilatæ, et ipse si fecerit, coerceatur a fratribus.

XIIII.

Alienis erroribus sauciatum, vel a sui propositi tramite recedentem, aut sacris canonum iussionibus inobedientem suscipere non possumus, nec impedire recte credentes, vel sanctorum patrum sanctionibus obtemperantes permittimus. Quia inter fideles et infideles magna debet esse discretio.

XV.

Ut provincialis synodus retractet per vicarios Urbis Rom. Episcopi, si ipse decreverit.

XVI.

Primates accusatum discutientes Episcopum non ante sententiam proferant damnationis quam Apostolica freti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes et canonice examinatos testes regulariter convincatur.

XVII.

Similiter ne summorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut dispereat, neque in re dubia certa iudicetur sententia, nec ullum iudicium nisi ordinabiliter habitum teneatur, plura de his ideo hic non inseruimus, nec vacuare vilemve facere prædictam Synodum videremur, aut fastidium legentibus aut audientibus prolixa faceret epistola. Si quis autem de his ampliora scire voluerit in sacro nostre Sedis Ecclesiæ scrinio, et alia et ea quæ prædiximus invenire poterit.

XVIII.

Statuit Nicena synodus ut nullum sententia nisi a suo iudice dicta constringat. Iudices autem alii esse non debent, nisi quos ipse qui impetitur elegerit, aut quos suo consensu hæc sancta Sedes aut eius primates auctoritate huius sancte Sedis delegaverint. Item in eadem.

Decuerat vos iuxta præfatas regulas si aliqui egissent contra suum ordinem mandare nobis et expectare quod ad vestra consulta scriberemus, in tantum ut si etiam quicquam grave intollerandumque committerent, nostra præstolaretur censura, et nihil prius aliud decerneretis, quam quod nobis placeret cognovissetis.

Data K. Novembr. Feliciano et Maximiano VV. CC.

XVIIII.

Domno ter beatissimo et honorabili sancto Patri Felici sanctæ Sedis Apostolicæ Urbis Romæ Papæ, Athanasius, et universi Egyptiorum, Thebaidorum, et Libiorum Episcopi in sancta Alexandrina synodo Dei gratia congregata. Et infra. Quia semper antecessores nostri, et nos a vestra Apostolica sancta Sede auxilium ausimus, et nostri vos curam abere cognovimus præfatam et Apostolicam et summam expetimus iuxta

canonum decreta Sedem, unde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes et dogmata suscepere. Et infra. Nam scimus in Nicena magna synodo CCC. X. et VIII. patrum ab omnibus concorditer esse corroboratum, non debere absque Rom. Pontificis sententia concilia celebrari, nec Episcopos damnari, licet hæc et alia quamplura pernecessaria ab hereticis qui nos cotidie infestant et perdere nituntur, ut facilius nos capere possint, sint sinodica incensa capitula. Qua de re hac inventa occasione, omni canonica et apostolica postposita auctoritate nos vi a propriis, vobis inconsultis, illicite expellunt sedibus. Item infra.

Similiter et a prædictis patribus est definitum consonanter ut si quisquam Episcoporum aut metropolitanum aut comprovinciales vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam appellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi et solvendi speciali privilegio super alias concesso ipsa firmamentum a Domino fixum et immobile percepit. Quoniam ipsam formam universorum titulorum lucidissimam Dominus Ihesus Xpus vestram apostolicam constituit sedem. Ipsa est sacer vertex in qua omnes vertuntur, sustentantur, relevantur, et sicut in Christo Christiani, ita et in petra Christi idest Petro renovantur ecclesiæ. Item infra. Nam fuit semper vestræ Apostolicæ sedis licentia iuste damnatos vel excommunicatos potestati vestræ sua auctoritate restituere, et sua eis omnia reddere, et illos qui eos condepnaverunt aut excommunicaverunt apostolico punire privilegio, sicut etiam nostris et anterioribus cognovimus temporibus actum. Porro primates et ipsi qui episcoporum et summorum ecclesiasticorum negotiorum causas suscipere debent in præfixa Nicena synodo sunt dinumerati, ne imposterum ex hoc contentio oriretur. Item infra. Nec fas est supplicium apostolicæ sedis in scripto aut sine scripto preces oblatas despicere. Sed ut condecet et ut privilegium vestre sedis nos et illic canonice convocemur, et ante vos de nostris obiectionibus canonice cum omni probitate certemus, sicut prædecessores nostri penes vestros fecerunt antecessores, et sicut canonica in prædicto sinodo docetur con-

stituta. Item infra. Antiquis enim regulis censitum est ut quicquid quamvis in remotis aut in longinquo positis provinciis super Episcoporum querelis aut accusationibus ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset quam ad notitiam alme Sedis vestræ esse deductum, ut huius auctoritate iuxta quod fuisset pronuntiatum infirmaretur, aut firmaretur. Indeque sumerent normam unde ecclesiæ sumpsere prædicationis exordium, ne passim ab insidiatoribus columnæ averterentur ecclesiæ. Certum est quod eidem sanctæ Sedi vestræ in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem decrevere reverentiam deberi pro rebus inquirendis atque determinandis quas sollicite decet vesteque (*sic*) ab ipso præsulum examinare vertice apostolico, cuius sollicitudo semper fuit et est tam mala dapnare, quam probare laudanda. Quo circa humillimum vestro Apostolico culmini persolventes obsequium. Et infra. Vestrum est nobis manum porrigere quia vobis commissi sumus. Vestrum est nos defendere atque liberare, nostrumque est a vobis auxilium petere, et vestris parere iussionibus. Et post paulum. Quia non est ovium insidias luporum prævidere, sed pastorum. Scimus enim ut per sedis vestre sancte præsules, primo apostoli deinde successores eorum fecerunt vos universalis ecclesiæ curam gerere. Nam ut omnes Metropolitani vel reliqui Episcopi sua odia aut vindictas in reliquos Episcopos exercere non auderent, ideo nominatim in nicena sinodo expressi sunt; primates qui reliquos episcopos audire et iudicare debeant ne ulla fraus in iudicio episcoporum possit irruere...

XX.

Si quis Episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, et putaverit bonam causam se habere, et petierit ut iterum iudicium renovetur si placet omnibus ut sanctissimi Apostoli Petri memoriam honoremus, scribatur vel ab his qui examinaverunt iudicium, vel ab episcopis qui in proxima provincia morantur, Romano Episcopo. Et si iudicaverit renovandum esse iudicium renovetur, et det iudices. Si vero probaverit ta-

lem causam esse ut ea non replicentur quæ acta sunt, quæ decreverit Romanus Episcopus confirmata erunt. Si ergo hoc omnibus placet statuatur. Sinodus ℟. Placet.

XXI.

Gaudentius Episcopus. Dixit. Addendum si placet huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulistis ut cum aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum episcoporum iudicio, qui in vicinis locis morantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in Urbe Romæ alter Episcopus in eius cathedra post appellationem eius qui videtur esse depositus omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Romani Episcopi determinata.

XXII.

Osius Episcopus. Dixit. Placuit ut si Episcopus accusatus fuerit et iudicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, et de gradu suo deiecerint eum, si appellasse videatur, qui deiectus est, et confugerit ab beatissimum Urbis Romæ Episcopum, et voluerint se audiri, si iustum putaverit ut renovetur examen, scribere his episcopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi omnia diligenter exquirant et iuxta fidem veritatis definient. Quod si is rogat iterum causam suam audiri, et deprecatione sua moverit Episcopum Rom. Ecclesiæ ut e latere suo mittat Presbyterum, erit in eius potestate quod velit et quod estimet. Et si decreverit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere Episcopos provinciales ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit.

XXIII.

Qui vero Romam venerint, sicut dictum est, sanctissimo fratri Coepiscopo nostro Romanæ Ecclesiæ preces quas ha-

bent contradant, ut ipse prius examinet, si honeste, et iuste sint et præter diligentiam atque sollicitudinem ut ad commitatum præferantur. Universi responderunt placere sibi.

XXIIII.

Osius Episcopus dixit. Memini superiori concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in ea in qua moratur civitate, tres dominicos dies idest per III. septimanas non celebrasse conventum, communione privaretur. Si hæc circa laicos constituta sunt, multo magis Episcopum non licet nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas quæ detineat, ut amplius a suprascripto tempore absens sit a sua ecclesia. Universi dixerunt placere sibi. Item in eodem. Ita Episcopus ad possessionem suam accedat, ut neque res domesticæ per absentiam eius detrimentum sustineant, et ne frequenter veniendo ad civitatem alterius suspicionem iactantiæ vel ambitionis incurrat.

XXV.

Domno meo dilectissimo fratri et Comministro Iohanni Antioceno Episcopo, Cyrillus Alexandrinus in Domino salutem. Et infra. Quedam definivit sancta Romanorum sinodus quæ scripsit ad tuam reverentiam, quibus est necessarium obedire, retinentes totius Occidentis communionem. Scripserunt enim ad patres et ad Dei cultores Thessalonicenses Ruphum et ad alios quosdam per Macedoniam Dei optimos cultores Episcopos, qui etiam semper concurrunt decretis eius. Scripserunt nihilominus et ad Hierosolimorum Dei culturem Episcopum Iuvenalem. Tuæ igitur est religiositatis considerare quod utile est. Nos sequemur quæ ab ea sunt iudicata.

XXVI.

Piissimis et Deo amantissimis, Theodoxio et Valentiniano semper Augustis, sancta Synodus congregata in Epheso. Et

infra. Congregatis igitur nobis in die mensis secunda et XX secundum Romanos, Nestorium a sacerdotio corruptaque doctrina removimus, depositionem eius canonicam facientes, atque laudantes Deo amantissimum et sanctissimum Episcopum maximæ Romæ Celestinum, qui ante nostram sententiam reprehendit heretica Nestorii dogmata, et ante nos protulit adversum eum sententiam propter ecclesiarum cautelam et traditam nobis fidem ab Apostolis.

XXVII.

Sanctæ Sinodo quæ per gratiam Dei congregata est in hac Ephesi metropoli, Cirillus Episcopus Alexandrinus et Meminon Episcopus eiusdem Ephesi. Et infra. Iohannes Antiochenus Episcopus putans nos dampnationis nomine posse percelli, contumeliis intollerabilibus affecit. Et certe dum hæc quæ Nestorium damnaverat sinodus, plus CC. numero Episcopos sanctos habuerit, ille congregavit hereticos, et alios accusatos, XXX. fere numero. Et neque a constitutis ecclesiasticis habens potestatem aut iudicare quemquam nostrum, aut omnino tale aliquid attemptare maxime contra maiorem sedem, dum utique vel si eum liceret iudicare convenerat sequi ecclesiasticas regulas, et admonere nos, qui contumeliis affecti sumus cum hac universa vestra sinodo vocare ad satisfactionem. Nunc autem nihil horum excogitans neque amorem Dei in animo habens, eadem hora qua Ephesum ingressus est, occulte et nullo nostrorum omnino sciente, quod præsumebatur suum delusit caput, ne dicamus ecclesiasticas leges, et sententia condempnationis iniuriatus est eos, qui nesciunt usque ad hodiernum diem vel qualem habuit ad hanc rem occasionem. Quoniam igitur consequens est non sic calcari ecclesiasticas leges nec inaniter contra potiores assurgere aut talia occulte præsumi, quæ non faceret aliquem contra unum ultimum ecclesiæ gradum tenentem, et sub potestate eius constitutum. Hic autem est ipse cum illis qui hoc cum eo egerunt, necessario offerimus vestræ reverentiæ istos libellos, adiurantes vos per sanctam et

consubstantialem Trinitatem evocare et ipsum Iohannem et eos qui cum eo faoinus operati sunt, ut venientes ad sanctam sinodum, satisfaciat de sua præsumptione. Parati enim sumus docere eum iniustum et non legitimum contra nos iniuriæ facinus admisisse. Acathius Militensis Episcopus dixit. Non erat possibile ut qui seipsos a sancta sinodo subtraxerunt et adiecerunt se eis qui malæ sectæ Nestorii sunt coniuncti, præsumere contra priores huius sanctæ universalis sinodi aliquid agere, nullam habentes auctoritatem omnino.

Quoniam autem placuit vestræ sanctitati et pro his eos ad iudicium trahi, vocentur per reverentissimos Episcopos. Et infra. Cum iam tertio per reverentissimos Episcopos vocatus fuisset, Iuvenalis Episcopus Hierosolimitanus dixit. Oportebat quidem Iohannem reverentissimum Episcopum Antiochiæ ad sanctam universalem sinodum confestim ad satisfactionem illatorum sibi concurrere, et Sedi Apostolice quæ nobis considet magnæ Rome et Apostolice Hierosolimitanæ Ecclesie Dei obedire, et honorem deferre apud quam maxime sedem et Antiocenam mos est ex apostolica consequentia et traditione regi et apud eam iudicari.

Item exempla eiusdem sinodi ad Papam Celestinum. Nos igitur merito indignati per tertiam vocationem tentavimus quidem equam, tam contra ipsum Iohannem quam contra alios sententiam proferre legitime, quam ipse contra leges in eos qui in nullo reprehensi sunt protulit. Ut autem eius temeritatem patientia vinceret, licet iuste hoc pateretur et legitime, servavimus iudicio tuæ reverentiæ. Et nunc interim eos sine communione fecimus, amputantes illis omnem sacerdotalem potestatem ut nullus possit ledere per suas sententias. Eos qui ita ferociter et contra canones irruere solent ad pessimas et sevissimas res, quomodo non erat necessarium ea quam non habuisset etiam volentes nos adimere eis legendi potestatem? Fratribus igitur nostris et comministris Cirillo et Mennoni qui hanc iniuriam sustinuerunt communicavimus, evacuantes ex scripto illorum ludum invalidumque et effectu carentem modis omnibus pronuntiantes. Iniuria erat solummodo et aliud

nihil. Viri enim numero XXX. quorum quidem alii sunt heresis macula notati, alii autem e suis civitatibus eiecti, qualem habent synodi personam? aut qualem virtutem contra synodum congregatam ex omni orbe? Consederunt enim nobiscum et qui a tua sanctitate destinati sunt reverentissimi Episcopi Archadius et Proiectus et cum eis reverentissimus Presbyter Philippus tuam nobis præsentiam donantes in se et Apostolicæ sedis locum replentes. Indignetur ergo tua religiositas competenter pro his quæ facta sunt, si enim data fuerit voleutibus licentia et maiores iniuriis sedes afficere et contra eas in quibus non habent potestatem si contra leges et contra canones proferre sententias, magis autem iniurias his qui pietate certamina sustinent, ibunt ad ultimam confusionem Ecclesiæ res. Castigatis autem secundum congruum modum talia audentibus vacabit omnis perturbatio et condecens canonibus reverentia ab omnibus servabitur.

Ut autem omnia integre cognoscatis quæ acta sunt, destinavimus gesta, et subscriptio synodi.

Salvum te esse et ut memor sis nostri in Domino deprecor, dilectissime et desideratissime. Subscripserunt vero deinceps omnes Episcopi nominatim.

XXVIII.

Paschasinus vir reverentissimus Episcopus et Vicarius Sedis Apostolicæ cum in medio una cum aliis viris reverentissimis collegis suis stetisset, dixit. Beatissimi atque Apostolici viri Papæ Urbis Romæ quæ est caput omnium ecclesiarum præcepta habemus præ manibus, in quibus præcipere dignatus est eius apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in concilio, sed audiendus introducatur, hoc nos observare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos exibimus. Quibus in græco iterum pronuntiatis per Beronicianum virum devotum et secretarium sacri Consistorii, gloriosissimi iudices et amplissimus Senatus dixerunt. Quis enim specialiter ingeritur Dioscoro reverentissimo Episcopo? Pa-

schasinus vir reverentissimus Episcopus et Vicarius Sedis Apostolicæ, dixit. Cum intromissus fuerit, necesse est ut illi obiiciatur. Lucentius reverentissimus Episcopus dixit, et Vicarius Sedis Apostolicæ. In iudicio suo necesse est eum reddere rationem, qui cum personam nec iudicandi habent surripuit, et ausus est synodum facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam factum est nec fieri licuit. Paschasinus beatissimus Episcopus et Vicarius Sedis Apostolicæ dixit. Nos contra præcepta beatissimi atque Apostolici Papæ gubernatoris Sedis Apostolicæ venire non possumus, nec contra ecclesiasticas regulas, vel contra Patrum statuta. Gloriosissimi iudices et amplissimus Senatus dixerunt. Convenit vos specialiter quid erraverit exponere. Lucentius reverentissimus Episcopus dixit. Non patimur tantam iniuriam nec nobis fieri nec vobis, ut iste sedeat qui iudicandus advenit. Gloriosissimi iudices dixerunt. Si iudicis optines personam non ut accusator debes prosequi, et Dioscoro Episcopo Alexandriæ secundum iussionem gloriosissimorum iudicum et amplissimi Senatus residente in medio. Et residentibus Romanis in propriis sedibus et tacentibus, Eusebius religiosissimus Episcopus Donylei, transiens in medium, dixit. Per salutem Dominorum universi mundi, iubete preces meas legi, læsus enim sum a Dioscoro, lesa est fides. Occisus est Flavianus Episcopus, et simul mecum ab eo iniuste dampnatus est. Gloriosissimi iudices et amplissimus Senatus dixerunt. Preces legantur, et residente in medio ex iussione omnium Eusebio reverentissimo Episcopo, Beronicianus vir devotus a secretis sacri Consistorii accipiens preces ab eo recitavit.

XXVIIII.

Sanctissimo et beatissimo universali Archiepiscopo et Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, et sanctæ universali Chancedonensi synodo per voluntatem Dei et sacram præceptionem congregatæ, libellus a Syrione Alexandriæ Diacono. Item in eadem. Sancto et beatissimo et universali Archiepiscopo, et Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, et sancto universali concilio

secundum Dei voluntatem et sacrum nutum congregato Chalcedonensi civitate, Anastasius quondam Presbyter magnæ Alexandriæ civitatis. Item in eadem. Cuiusdam Sophronii sub eisdem verbis. Item in eadem. Cointhus Episcopus Focensis dixit, inter cætera

Quoniam sanctitas vestra et semel et II° et III° vocavit Dioscorum et nullatenus voluit obedire, petimus vestram sanctitatem, magis autem habentes locum sanctissimi Papæ Leonis promulgare in eum, et regulis insitam contra eum proferre sententiam. Omnis enim universalis synodus censor efficitur vestræ sententiæ.

Paschasinus Episcopus dixit. Iterum dico. Quid placet vestræ sanctitati? Maximus Episcopus magnæ Antiochiæ civitatis dixit. Quod videtur sanctitati vestræ, et nos concordes efficimur. Paschasinus Episcopus Libitanus provinciæ Sycilie, (*sic*) et cum ipso Licentius Episcopus Herclanensis, et Bonifatius Presbyter magnæ Romanæ Ecclesiæ tenentes locum sanctissimi et beatissimi Archiepiscopi Apostolicæ sedis magnæ et senioris Romæ Leonis pronuntiaverunt. Manifesta facta sunt que a Dioscoro quondam Alexandrinæ magne civitatis Episcopo commissa sint adversus regularem ordinem et ecclesiasticam disciplinam. Et infra. Et quod semel et II° et III° per reverentissimos Episcopos vocatus regulariter minime voluit obedire, propria utique stimulatus conscientia. Et paulo post. Unde sanctissimus et beatissimus Archiepiscopus magnæ senioris Romæ Leo per nos et per presentem sanctam synodum una cum beatissimo et omni laude dignissimo beato Petro Apostolo, qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ et recte fidei fundamentum, nudavimus eum tam episcopatus dignitate, quam etiam omni sacerdotali alienavit ministerio. Item post confirmationem singulorum, Paschasinus Episcopus Lylibei et Vicarius beatissimi et Apostoliei universalis Ecclesiæ Papæ Urbis Romæ sanctæ synodo præsidens, in Dioscori damnationem consensu universalis concilii subscriptis (*sic*) Lucentius Episcopus Ausculanæ civitatis similiter. Bonifatius presbyter Romanæ Ecclesiæ similiter. Item post eosdem Episcopi DCXXX.

XXX.

Anatholius reverentissimus Archiepiscopus Constantinopolis dixit. Propter fidem non est dampnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domno nostro Archiepiscopo Leoni, et tertio vocatus est et non venit, ideo dampnatus est. Et paulo post. Per iussionem gloriosissimorum iudicum vadens in sacrum palatium Beronicianus devotissimus et secretarius sacri Consistorii, et post paulum rediens ista sinodo interlocutus est, præcepit divus et piissimus domnus noster. Et post pauca. Quia in partibus occidentalibus fieri habet sinodus si reverentia nostra hic voluerit de vera et orthodoxa fide indubitanter finire. Reverentissimi Episcopi clamaverunt. Multi anni Imperatoribus. Et paulo post. Qui contradicunt et subscribunt, ipsi ambulent. Item paulo post. Qui contradicunt Nestoriani sunt. Qui contradicunt Romam ambulent. Item post pauca. Ut Leo sic credimus. Qui contradicunt Euthicianiste sunt, Leo recte exposuit. Item in ultima actione eiusdem, Pascasinus Episcopus Vicarius Sedis Apostolicæ dixit. Trecentorum X. et VIII. sanctorum Patrum canon sextus. Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem Egyptus ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam et Romano Episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem et qui in Antiochia constitutus est, et in ceteris provinciis, primatus habeant ecclesiæ civitatum aliarum. Item in fine ultimæ epistolæ eiusdem concilii cuius initium est. Repletum est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, ita scriptum est Papæ Leoni. Anatholius Episcopus Constantinopolitanus. Valere me in Domino ora, Deo amantissime pater. Maximus Episcopus magnæ civitatis Antiochiæ. Valere me in Domino ora, Deo amantissime et sanctissime et beatissime Pater. Iuvenalis Episcopus Hierosolimitanorum. Valere me in Domino ora, sanctissime et beatissime Pater. Ciriacus Episcopus Heracleæ Metropolis. Valere me in Domino ora, sanctissime et beatissime Pater. Diogenes Episcopus metropolis Quizici. Valere me in

Domino ora, sanctissime et beatissime Pater. Florentius Episcopus Sardensium civitatis metropolis Lidiæ. Valere te oro Deo amantissime Pater. Constantinus Episcopus metropolis Bostre. Valere me ora domne sanctissime et beatissime Pater. Theodorus Episcopus metropolis Damasci. Valere te oro in Domino Deo amantissime Pater. Similiter et çeteri Metropolitani.

XXXI.

In VIII. actione Calcedonensis Concilii statutum est, ut Antiochenus Episcopus habeat dioceses in duas Fenices et Arabiam. Hierosolimitanus vero, III. Palestinas. Et nulla posthac de hac causa ipsis ecclesiis contentio relinquatur, et huic constitutioni primi subscripsere Legati Romani.

XXXII.

Si clericus habet causam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum apud Synodum provincie iudicetur. Quod si adversus eiusdem provincie Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem dioceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitane et ipsa iudicetur.

XXXIII.

Conveniente sancta ac universali sinodo, quæ per imperialem decretum congregata est, in hac a Domino conservanda regia urbe. Idem Theodoro, et Georgio venerabilibus Presbyteris, et Iohanne venerabili Diacono locum repræsentantibus sanctissimi ac beatissimi Papæ, antiquæ Romæ Agathonis, et Georgio venerabili et sanctissimo Episcopo huius magnæ Constantinopoleos novæ Romæ, et Petro Deo amabili Presbytero, et Monacho locum servante sedis Alexandrie magne civitatis, et Machario Archiepiscopo Theopoleos Antiochiæ, et Georgio religioso Presbytero monacho et Apocrisa-

rio, Theodoro locum servante sanctæ sedis Ierosolimorum, et Iohanne Episcopo civitatis Portuensis, et Abundio Episcopo civitatis Patrenensis, et Iohanne Episcopo civitatis Regitane locum repræsentantibus venerabilis Concilii, quod circa Romam est CXXV. venerabilium Episcoporum, qui etiam per proprias subscriptiones declarantur, in suggestione ab eis facta ad piissimum Principem Constantinum, et cetera, et post nomina Episcoporum sequitur. Et Georgio Presbytero et Monacho monasterii renati positi in antiqua Roma, et Conone et Stephano, presbyteris et monachis monasterii quod vocatur domus arsicia, positi similiter in antiqua Roma. Item in octava actione, Macharius venerabilis Archiepiscopus Antiochie dixit. Non dico duas voluntates aut duas operationes in incarnationis dispensatione Domini nostri Ihesu Christi, sed unam voluntatem et Dei virilem operationem. Sancta Synodus dixit. Postquam non consentit orthodoxis suggestionibus, Agathonis sanctissimi Papæ Romani, quibus omnes consentiendo grate suscepimus, prævidimus hunc de sede sua surgere et respondere. Et surrexit. Et infra. Sancta Synodus exclamavit. Hereticum se Macharius manifeste demonstravit. Novo Dioscoro anathema. Novus Dioscorus foras mittetur. Novo Apolinario malos annos, certo alienatur ab episcopatu, nudetur a circumposito ei pallio. Et denudatus est in medio stans. Item ex subscriptionibus XVII. et XVIII. actionis. Theodorus humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum gerens Agathonis ter beatissimi, universalis Papæ subscripsi. Georgius humilis Presbyter sanctæ Romanæ ecclesiæ, ut supra. Iohannes humilis Diaconus S. R. Ecclesiæ, et cetera, ut supra. Georgius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ definiens subscripsi. Petrus misericordia Dei Presbyter, et locum servans Apostolice sedis Alexandrinæ magnæ civitatis subscripsi. Theophanes Episcopus Theopoleos, idem Antiochiæ definiens, subscripsi. Georgius humilis Presbyter locum gerens Theodori Deo amabilis, et loci servatoris Apostolicæ Sedis sanctæ Christi Domini nostri Hierosolimorum civitatis subscripsi. Iohannes misericordia Dei Episcopus Thessalonicensis, et Vi-

carius Apostolicæ Sedis Romæ legatus definiens subscripsi. Theodorus misericordia Dei Episcopus civitatis Tremituntæ, insulæ Cipri, et locum gerens Epifanii Archiepiscopi eiusdem insulæ Cypri definiens subscripsi. Theodorus humilis Presbyter sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, locum gerens beatissimi Archiepiscopi subscripsi. Iohannes indignus sanctæ Portuensis Ecclesiæ Episcopus, Legatus totius Concilii sanctæ Sedis Apostolicæ Urbis Romæ definiens subscripsi. Stepanus misericordia Dei Episcopus Corinthi, et legatus Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ definiens subscripsi. Basilius misericordia Dei Episcopus et metropolitanus civitatis Gortinæ insulæ Cretæ et legatus totius Concilii Apostolicæ principalis sedis antiquæ Romæ definiens subscripsi. Abundantius humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ civitatis Tempsanæ, legatus totius Concilii sancte Sedis Apostolicæ Urbis Romæ definiens subscripsi. Iohannes indignus Episcopus ecclesiæ Regitanæ, legatus totius Concilii, sanctæ Sedis Apostolice Urbis Romæ definiens subscripsi. Et post hoc subscripserunt reliqui Episcopi.

XXXIIII.

Cum Arrius divisor atque partitor Trinitatis insurrexisset, continuo Constantinus semper Augustus, et Silvester laudabilis, magnam atque laudabilem atque insignem contra eum Nicenam synodum congregavit.

II. Cum vero Macedonius Spiritus sancti negavit divinitatem, et damnantem servum prædicaret, maximus imperator Theodoxius, et Damasus fidei adamas, cuius solidam mentem aggressiones atque conflictus alienarum sectarum nullatenus sauciarunt. Georgiusque et Nectarius in hac regia urbe sacrilegam eius linguam a sacerdotio absciderunt.

III. At cum Nestorius Christum divideret et partiretur, Celestinus et Cirillus cum Domino conspirantes, divisorem eiecerunt. Hoc Ephesus et ibidem gestorum tabule per litterariam vocem dum sileant causas ipsas loquuntur.

IIII. Deinde Euthicetis insania delirante alteram fabulam

et ipsius Salvatoris humanitatem penitus recusantem, et umbrosam quamdam eius ad nos similitudinem pristigiantem. Leonis tabula tamquam Leonis rugitus viriliter ex Roma vociferans Archimandritam bestiam perterruit, atque a monachio Grecæ proiecit, eiusque fantasias evanescere fecit. Hanc profecto a Domino infrascriptam tabulam Marcianus Imperator et Anatholius Constantinopolitanus Antistes cum omni Calcedonensi concilio amplexi sunt, et cum hac consonantem Euthiçetis et Dioscori intelligentiam evacuaverunt.

V. Sic igitur post hoc Vigilius Iustiniano piissimo consonavit, et quintum Concilium constitutum est, et quorumdam opuscula repleta abominatione anathematizata sunt.

VI. His ita se habentibus inspiratione sancti Spiritus conspirante nos CLX. invicem consonamus et consentimus, et Agathonis beatissimi Patris nostri et Summi Papæ dogmaticis litteris, nec non et suggestioni sanctæ quæ sub eo et synodi CXXV. patrum concordamus.

Et infra. Et anathemati subiecimus Theodorum Pharanitanum. Sergium et Paulum et Phyrrum, et Petrum, et Honorium, et Macharium, et Stephanum discipulum eius, et Polichronium, et omnes qui constituerunt, et qui constituere præsumunt, unam voluntatem et unam operationem in Domino nostro Ihesu Christo. Summus autem nobiscum concertabatur Apostolorum Princeps. Illius inmitatorem et sedis successorem habuimus fautorem et divini sacramenti mysterio illustrantem per litteras confessionem nobis illa Romana antiqua civitas obtulit, et dogmatum diem a vespertinis partibus extulit. Carta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur.

XXXV.

Conveniente sancta et universali synodo quæ per divinam gratiam et piam sanctionem imperatorum Constantini et Hyrenæ matris eius congregata est in Nicea clara metropoli Bithiniensium provinciæ, idem Petro reverentissimo Archipre-

sbytero Romanæ Ecclesiæ sancti Apostoli Petri, et item Petro reverentissimo Presbytero et Abbate monasterii sancti Sabæ Romæ siti, retinentibus locum Apostolicæ Sedis, almi et sanctissimi Archiepiscopi senioris Romæ Adriani, et Tharasio sanctissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, et Iohanne ac Thoma reverentissimis Presbyteris et monachis, et vicariis trium apostolicarum sedium orientalium dioceseos, et Agapio Episcopo Capadociæ, et Iohanne Episcopo Ephesi et ceteris. Item in subscriptionibus actionum. In nomine Domini nostri Ihesu Christi. Petrus misericordia Dei Archipresbyter sanctæ Dei catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, et locum complens Adriani sanctissimi, et apostolici Papæ senioris Romæ omnes recipiens qui conversi sunt ab impia heresi reprobantium venerabiles imagines, secundum traditionem et doctrinam sanctorum Patrum nostrorum, omnia quæ superius offerunt approbans et consentiens subscripsi. Petrus misericordia Dei Presbyter, et Eugymenus monasteri sancti Sabæ, et cetera ut supra. Tharasius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ similiter. Et post hoc subscripserunt. Iohannes et Thomas Presbyteri, et Vicarii trium Apostolicarum Sedium Alexandriæ, et Antiochiæ, et Hierosolimorum, et Episcopi numero CCCL.

XXXVI.

Hi qui spernunt magisteria sanctorum Patrum et traditionem Catholicæ Ecclesiæ occasionem prætendentes et assumentes voces Arrii, et Nestorii, et Euthicetis, et Dioscori, atque peribentes quod inde veteri ac novo testamento evidenter fuerimus edocti non sequimur doctrinam sanctorum Patrum, neque sanctarum universalium synodorum, atque traditionem Catholicæ Ecclesiæ, anathema. Item in eadem ex prima actione. Tharasius Episcopus sanctissimus Patriarcha dixit. Legatur ad Ruphinianum missa sancti patris nostri Athanasii epistola. Et cum lectus esset locus qui dicit, ita ut his qui cadunt in eresim, et præsunt impietati, ignoscatur quidem cum pænitentiam

gesserint, non autem ultimus eis detur locus si de clero, his vero qni auctores non fuerunt impietatis sed per necessitatem et vim abstrauntur, placuit ut venia detur, et habeant in clero locum maxime cum excusationem pro sua soriam (*sic*) dederint. Sancta sinodus dixit. Patet eos qui auctores non fuerunt impietatis, quamque tracti et vim passi sunt, recipi in sacerdotium. Prelatus vero vel genitores hereseon, in saeerdotium non amisit. Et infra. Cum vero quereret utrum debere recipi ordinatio eorum, qui ab hereticis promoti sunt. Petrus Deo amabilis Archipresbyter locum retinens sanctissimi Papæ Adriani dixit. Ut aiunt hystoriograhi sanctus Meletius ab Arianis ordinatus est, et ascendit super ambonem, et prædicavit, homousion, ordinatio vero eius non est repudiata. Theodorus Episcopus, et qui cum eo Episcopi Siciliæ dixerunt. Verum dixit Domnus Archipresbyter Apostolicæ cathedræ. Tharasius Patriarcha, dixit. Anatholius primss sanctæ sinodi Calcedonensis fuit, et ab impio Dioscoro ordinatus est. Ergo suscipiantur qui ab hereticis ordinantur, sicut ille receptus est? Item post alia quedam, si quis studio ad hereticum ierit et susceperit ordinationem, sine receptione sit? et paulo post. Qui ob huiusmodi causam, et fidei destructionem sunt ordinati, et maxime si Episcopi orthodoxi præsentes fuerunt a quibus poterant consecrari non recipiantur. Sic est enim paternus sensus. Si vero synodica promulgatio et concordia ecclesiarum causa orthodoxiæ facta fuerit, qui præsumpserit ab hereticis ordinari depositioni succumbat.

Sancta synodus dixit hoc iustum est iudicium.

XXXVII.

Quomodo autem magna et uuiversalis fuit illa synodus quám neque receperunt reliquarum Presules ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt. Non enim habuit adiutorium illius temporis Romanorum Pontificum, vel eos qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam per vicarios eius, neque per encycliam epistolam quam ad modum lex diem conciliorum, sed

nec consentientes Patriarchas Orientis Alexandriæ scilicet ac Antiochiæ, et sanctæ civitatis, vel comministros et summos sacerdotes qui cum ipsis existunt. Vere fumus caligine plenus obtenebrans oculos stolidorum, et sermo eorum.

XXXVIII.

Dominicum sermonem quem Christus sanctis Apostolis et discipulis suis, dixit, quia qui vos recipit me recipit et qui vos spernit me spernit, ad omnes etiam qui post eos secundum ipsos facti sunt summi Pontifices et pastores principes in ecclesia catholica dictum esse credentes.

Diffinimus neminem prorsus mundi potentium quequam eorum qui patriarchalibus sedibus præsunt in honore, aut movere a proprio throno tenptare, sed omni reverentia et honore dignos iudicare. Precipue quidem sanctissimum Papam senioris Romæ, deinceps autem Constantinopoleos Patriarchas. Deinde vero Alexandriæ, ac Antiochiæ, ac Hierosolimorum. Sed nec alium quecumque scriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare vel componere sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum, quod et nuper Photius et multo ante Dioscorus. Quisquis autem tanta iactantia et audacia usus fuerit, ut secundum Fotium, et Dioscorum in scriptis vel sine scriptis iniurias quasdam contra sedem Petri principis Apostolorum moveat, equalem et eandem et quam illi condempnationem accipiat. Si vero quis aliqua potestate fruens, vel potens pellere temptaverit præphatum Apostolicæ Cathedræ Papam aut aliorum Patriarcharum quemquam anathema sit. Porro si Synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum ecclesia quævis ambiguitatis et controversia, oportet venerabiliter, et cum convenienti reverentia de proposita questione suscitari, et solutionem accipere. Et aut provectum facere aut proficere. Non tam audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices. Item in eadem sinodo in actione VI. Orientalium Synodorum sedium vicarii

dixerunt. Sanctissimi Vicarii senioris Romæ ac nos qui reliquarum sedium vicarii sumus, hæc omnia dissolvimus hodie, gratia Domini nostri Ihesu Christi qui dedit nobis summi sacerdotii potestastem iuste ac congrue ligandi atque solvendi, quoniam violenter et coacte omnia facta sunt. Ille enim Photius prænoscens quod non per hostium intravit in ovile ovium, sed aliunde ascendit, multitudinem Episcoporum, ad se per varias machinationes attraxit, videlicet cyrographis et iuramentis que ipse confecit. Opinatus per hoc in concursum se habiturum proprium præsulatum. Item in actione VII. eiusdem Bachanis magnificus patricius dixit. Vicariis senioris Romæ et reliquarum sedium. Indutiis Photio datis iam completis, duximus eum rursus ad hanc sanctam sinodum. Si ergo iubetis introducatur. Et introductus est innixus baculo et eo Gregorius Siracusanus dudum Episcopus. Tunc Marinus Diaconus et, Vicarius Romanæ Ecclesiæ, dixit. Tollite baculum de manu eius. Signum est enim dignitatis pastoralis, quam hic habere non debet, quia lupus est et non pastor. Et eo ablato, Donatus Episcopus Ostiæ, et Stephanus Nepisinus, et præphatus Diaconus Marinus Vicarii Romani dixerunt. In præcedenti actione venit ad nos vir iste furensis et curialis Photius, et monuimus illum apostolica auctoritate ad revertendum in ecclesia per libelli expositionem, ut recipiamus eum in communione seculari. Interrogate ergo illum si vult facere libellum. Et infra. Bachanis magnificentissimus patricius, dixit. Sanctissimi vicarii senioris Romæ. Cuiusmodi libellum expetitis ab Episcopis Photii. At illi dixerunt. Quem a sancta Romana Ecclesia retulimus, ut reprobent Photium, et omnia acta eius, et anathematizent Gregorium Siracusanum, et accipiant Ignatium Patriarcham et subiiciantur sub pedibus eius, et quod sancta Romana Ecclesia exposuit per omnia faciat. Vicarii orientalium sedium dixerunt. Et nos ita sapimus.

XXXVIIII.

Episcopo non licere pro se alium successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse huiuscemodi constitutum. Servetur autem ius ecclesiasticum id continens, hoc oportet non aliter fieri, nisi cum sinodo et iudicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habet qui dignus exstiterit promoveri.

XL.

Nulli Episcopo liceat a parrochia in aliam parrochiam transire neque per voluntatem suam, neque a populis vim passum, neque ab aliquibus Episcopis coactum. Permanere autem eum oportere in qua ordinatus est a domino in principio. sicut iam dudum est prolatum.

XLI.

Commonitorium fratri Faustino Episcopo, et filiis Philippo et Asello Presbyteris. Zosimus Episcopus. Vobis commissa negotia non latent, etiam vos ita ac si nostra, immo quia nostra ibi in vobis præsentia est cuncta peragite, maxime cum hoc nostrum possitis habere mandatum, et verba canonum quæ impleuiorem firmitatem huic commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt fratres in Concilio Niceno. Cum de Episcoporum appellatione decernerent. Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, et iudicaverint cougregati Episcopi. Et cetera. Quere retro in Concilio Sardicensi capitulo XXII.

XLII.

Placuit, ut quicumque ad comitatum ire voluerit, informata quæ ad Urbem Romam mittitur intimetur, ut idem etiam ad comitatum formam accipiat. Quod si accipiens ad Romanam

tantummodo formatam, et tacens necessitatem quærit, ad comitatum pergere a communione removeatur. Quod si ibi Romæ repentina ei necessitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud Urbem Romam ipsam necessitatem; et de hoc scripta eiusdem Romani Episcopi ferat. Formate autem quæ a primatibus vel a quibuscumque Episcopis Clericis propriis dantur, habeant diem Paschæ. Quod si adhuc eiusdem anni Pasche dies incertus est, ille præcedens adiungatur, quomodo solet post consulatum in publicis gestis scribi.

XLIII.

Rursus placuit ut nemini sit facultas relicta principali cathedra ad aliquam ecclesiam in diocesi constitutam se conferre vel in re propria diutius quam oportet commorari, et curam vel frequentationem propriæ cathedræ neglegere.

XLIIII.

Domno nostro sanctissimo ac beatissimo Patri Patrum Archiepiscopo et Patriarchæ Felici, Archelaus, Iohannes, Alexander, Cosmas, Basiliscus, Photinus, Paulus, Iohannes, Achacius, et omnis qui est in presenti Christianica regina Constantinopolis sancta synodus in Domino gaudet. Et cetera. In fine synodi ita subscribunt XL. II. Episcopi. Archalaus misericordia Dei Episcopus Cesariensis Urbis, sanum me opta sanctissime et beatissime pater. Alexander misericordia Dei Episcopus civitatis Hieraclensis, sanum me ora beatissime pater. Basiliscus Episcopus Enthicenus metropolitanus, sanum me in Domino ora sancte et beatissime Pater. Cosmas Episcopus Nicomediensis metropolitanus subscripsi. Cetera vero per Faustinum diaconum meum et notarium mandans, sanum me ora sancte ac beatissime Pater, similiter reliqua.

XLV.

Nec quisquam sumat sibi pontificatus honorem sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret sed qui locutus est ad eum. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum alio loco dicit. Tu es sacerdos in æternum. Et cetera.

XLVI.

Si quis Episcopus non suscepit officium et curam populi sibi commissam hic communione privetur, quo ad usque consentiat obedientia commodans.

XLVII.

Clemens Iacobo Domino et episcopo. Inter cætera. Clementem hunc ait Petrus Episcopum vobis ordino cui soli prædicationis et doctrinæ cathedram trado. Propter quod ipsi trado a Domino mihi traditam potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus quibuscumque decreverit in terris, decretum sit et in cælo. Ligabit quod oportet ligari, et solvet quod expedit solvi, tamquam qui ad liquidum ecclesiæ regulam cognoverit. Ipsum ergo audite scientes quia quicumque contristaverit doctorem veritatis peccat in Christum, et patrem omnium execravit Deum propter quod et vita carebit. Ipsum autem qui præest cæteris oportet medici vicem agere et non fere bestie furore commoveri. Et infra. Nec ego pro salute omnium obsecrando cessabo. Item in eadem. Episcopos per singulas civitates quibus beatus Petrus non misit, iuxta Domini præceptionem nobis mittere præcepit. Quod etiam facere inchoavimus, et Domino opem ferente facturi sumus. Vos autem per vestras dioceses Episcopos sacrate et mittite, quia nos ad alias partes quod idem iussit agere curavimus. Aliquos vero ad Gallias Hyspaniasque mittimus, et quosdam ad Germaniam, et Italiam

atque ad reliquas gentes dirigere cupimus. Et infra. In illis vero civitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant. Episcoporum primates poni vel Patriarchas præcepit, qui reliquorum Episcoporum iudicia vel maiora negotia in fide agitarent. In illis autem in quibus dudum apud prædictos ethnicos erant, eorum archiflamines, quos tamen minores tenebantur quam memoratos primates Archiepiscopum institui præcepit, qui non primatum sed archiepiscoporum fruerentur nomine. Et paulo post. In singulis vero reliquis civitatibus singulos, et non binos, vel ternos, aut plures episcopos constitui præcepit, qui Episcoporum tantum vocabulo potirentur. Quoniam nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit.

XLVIII.

Anacletus servus Christi Ihesu. Unaquæque provincia XII. suos habeat iudices iustos et non externos, nisi Apostolicæ huius Sedis decreverit auctoritas, quatinus quicumque causam habuerit, apud suos iudicetur. Si autem fuerit negotium ecclesiasticum, apud Episcopos interveniente primate, si maior causa fuerit. Si vero minor Metropolitano. Si vero fuerit sæculare apud eiusdem ordinis viros, iudicio tamen Episcoporum, cum Apostolis privatorum Christianorum causas magis ad Ecclesiam deferri, et ibidem Sacerdotali iudicio terminari voluerit. Omnis enim oppressus libere sacerdotum si voluerit appellet iudicium et a nullo prohibeatur sed ab suis fulciatur et liberetur. Si vero difficiles cause vel maiora negotia orta fuerint ad maiorem sedem referantur. Et si illic facile discerni non poterint aut iuste terminari, ubi fuerit summorum congregatio congregata, quod per singulos annos bis fieri solet et debet, iuste et Deo placite coram Patriarcha vel Primate ecclesiastica, et coram patricio secularia iudicentur in commune negotia. Quod si difficiliores orte fuerint questiones aut Episcoporum vel maiorum iudicia, aut maiores cause fuerint, ad Sedem Apostolicam si appellatum fuerit, referantur. Quoniam

Apostoli hoc statuerunt iussione Salvatoris, ut maiores et difficiliores questiones semper ad sedem referantur apostolicam super quam Christus universam ecclesiam construxit. Dicente ipso ab beatum Petrum Apostolorum Principem. Tu es inquid Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam.

XLVIIII.

Anacletus Episcopus universis Episcopis. In novo testamento post Christum Dominum nostrum a Petro sacerdotalis cepit ordo. Quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi elatus est, dicente Domino ad eum. Tu es inquid Petrus et super hanc petram hedificabo ecclesiam meam, et porte inferi non prevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælorum, et cætera. Hic ergo ligandi et solvendi potestatem primus accepit a Domino.

L.

Auacletus servus Christi Ihesu, hæc vero sacrosancta Romana Ecclesia et Apostolica ipse beato Petro Apostolo, dixit. Tu es Petrus et reliqua usque soluta et in cælo. Adibita etiam societas in eadem Romana Urbe beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis, qui uno die unoque tempore gloriosa morte cum Petro coronatus est. Et ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecraverunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo, eam sua præsentia atque venerando triumpho pertulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud Deum omnium sanctorum fundatur oratio, his tamen Urbis Paulus beatissimus Apostolus Romanis primo cirographo pollicetur dicens. Testis est mihi Deus cui servio in spiritu meo, in evangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Prima ergo sedes est celesti beneficio. Romanæ Ecclesiæ, quam ut memoratum est, beatissimi Petrus et Paulus suo martyrio consecraverunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco eius discipulo atque

evangelista consecrata est. Tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem Beati Petri Apostoli habetur honorabilis, quia illic prius quam Romam veniret, habitavit, et Episcopum constituit, et illic primum nomen Christianorum exortum est. Et post pauca. Inter beatos Apostolos quedam fuit discertio. Et licet omnes essent Apostoli, Petro tamen a Domino est concessum, et ipsi hoc inter seipsos voluerunt, ut reliquis omnibus præesset Apostolis, et cephas, idest caput et principium teneret Apostolatus. Qui et eandem formam suis successoribus et reliquis Episcopis tenendam tradiderunt. Et post pauca. Hæc vero Apostolica sedes et caput cardo, ut præphatum est a Domino et non ab alio est constituta. Et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ Domino disponente reguntur.

LI.

Illi autem qui in metropoli a beato Petro ordinante Domino et a prædecessore nostro sancto Clemente seu a nobis constituti sunt, non omnes primates vel patriarchæ esse possunt. Sed ille urbes quæ priscis temporibus primatum tenuere. Episcopi earum Patriarcharum primatis nomine fruantur. Reliquæ vero metropoles archiepiscoporum aut metropolitanorum et non patriarcharum aut primatuum utantur nominibus, quia hæc eadem et leges seculi in suis continuerunt principibus. Aliæ autem primæ civitatis quas vobis conscriptas in quodam thomo mittimus a sanctis Apostolis et beato Clemente sive a nobis primates prædicatores acceperunt.

LII.

Evaristus omnibus Episcopis per Egyptum. Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec Episcopus ecclesiam suam, ut dimittat eam ad quam consecratus est, absque inevitabili necessitate, aut apostolica vel regulari mutatione nec se alteri ambitus causa coniungat.

LIII.

Alexander Episcopus. Apostolicæ sedis summarum dispositiones causarum, et omnia negotia ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt quasi ad caput ipso Domino dicente Principi Apostolorum Petro. Tu es Petrus et super hanc petram, et reliqua usque erit solutum et in cælis.

LIIII.

Systus universalis Ecclesie Apostolice Episcopus. Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam et apostolicam appellet sedem, et ad eam quasi ad caput suffugium habeat. Et post pauca. Si vocatus ab hac sancta Sede fuerit, non renuat venire. Sed confestim ut ei nuntiatum fuerit, venire festinet, et causas pro quibus vocatus est prudenter disponat, atque si necesse aliquid corrigere fuerit, cum his quos hic primos invenerit, corrigat. Ad ecclesiam tamen suam non prius revertatur quam hic litteris Apostolicis vel formatis pleniter instructus atque purgatus si fuerit unde ut cognoscant vicini sui qualiter hic suam causam finierit. Si quis vero aliter agere præsumpserit, sciat censuram huius sedis cum omnibus membris suis sibi inde esse venturam. Item post pauca. Ab hac enim sancta Sede a sanctis Apostolis tueri et defendi Episcopi iussi sunt, ut sicut eorum dispositione ordinante Domino primitus sunt constituti, sic huius sanctæ sedis dispensationi eorum causas et iudicia servaverunt ut eius protectione futuris temporibus sint ab omnibus adversitatibus liberi.

LV.

Iginus Papa Atheniensibus. Alieni erroris societatem vel a sui propositi tramite recedentem aut Apostolicæ Sedis iussionibus inobedientes suscipere non possumus, nec impedire

recte credentes, vel sanctorum patrum iussionibus obtemperantes permittimus quia inter fideles et infideles magna debet esse discretio.

LVI.

Iginus in Christi nomine almæ Urbis Romæ Episcopus. Salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, nullus metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas, quia irritæ erunt aliter actæ quam in conspectu eorum omnium ventilatæ. Et ipse si fecerit coerceatur a fratribus.

LVII.

Eleutherius Episcopus. Quia omnes Clericorum accusationes difficile est ad sedem Apostolicam deferri, finitima Episcoporum tantum iudicia huc deferantur, et huius sanctæ sedis auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis eorumque successoribus multorum consensu Episcoporum iam diffinitum est. Nec in eorum ecclesiis alii aut proponantur aut ordinentur antequam hic eorum iuste terminentur negotia. Quoniam quamvis liceat apud provinciales et metropolitanos atque primates eorum ventilare accusationes vel criminationes non tamen licet definire secus quam prædictum est.

LVIII.

Victor Romanæ ac universalis Ecclesiæ Archiepiscopus, Theophylo Alexandrino Patriarchæ. Ea vos iudicare ad Apostolicam delatum est sedem quod propter nostram vobis non licet diffinire auctoritatem, idest Episcoporum causas, unde ita constitutum liquet a tempore Apostolorum et deinceps. Placuit ut accusatus vel iudicatus a comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet et adeat apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se aut per vicarios suos eius retractare nego-

tium procuret. Et dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur vel ordinetur Episcopus. Quoniam quamquam comprovincialibus Episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat non tamen definire inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum beato Petro Apostolo non ab alio quam a Domino sit dictum. Quecumque ligaveris et reliqua.

Et alibi, institutis legitur Apostolicis. Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari apud Patriarcham vel Primatem dioceseos, aut penes universalem Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur sedem.

Et infra. Culpantur ut scriptum est fratres qualiter circa Episcopos iudicare præsumunt quam apostolicæ sedis Papam iudicare placuerit.

LVIIII.

Zepherinus Romanæ Urbis Archiepiscopus. Patriarchæ vel Primates accusatum discutientes Episcopum non ante sententiam proferant finitivam quam Apostolica fulti auctoritate. Et paulo post, finis vero eius causæ ad sedem Apostolicam deferatur ut ibidem terminetur. Ad eam quoque ab omnibus maxime tamen ab oppressis appellandum est et concurrendum quasi ad matrem. Quoniam maiores causæ ecclesiæ ab ea et non ab alia sunt terminandæ. Quia licet in alios trausferatur Episcopos, beato tamen Apostolo Petro dictum est. Quæcumque ligaveris, et reliqua. Et infra. Privilegia quæ sola huic sanctæ Sedi concessa sunt et in constitutis Apostolorum eorumque successorum aliis quamplurimis cum eis concinantibus habentur inserta. Sexaginta enim Apostoli sententias præfixerunt cum aliis quamplurimis Episcopis et servandas censuerunt.

LX.

Calistus Archiepiscopus Ecclesie Catholice Urbis Romæ inter cetera. Nulli dubium est quod Apostolica Ecclesia Mater

sit omnium ecclesiarum. Et paulo post. Quicquid ergo sine discretione iustitiæ, et contra huius disciplinam actum fuerit, statum habere ratio nulla permittit. Ieiunium vero quod ter in anno apud nos celebrari didicisti convenientius nunc per IIII tempora fieri decernimus, iuxta prophetam Zachariam qui dicit Ieiunium IIII. et V. et VII. et ieiunium X.^{m} et cetera. Idem in secunda. Si Episcopus utilitatis causa fuerit mutandus auctoritate huius sanctæ Sedis fiat.

LXI.

Favianus dilectissimo fratri Hylario inter cetera. Revera ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur. Et qui non probaverit quod obiecit, penam quam intulerit ipse patiatur. Placuit etiam ut si Episcopus accusatus appellaverit Apostolicam sedem, id statuendum quod eiusdem sedis Pontifex censuerit. Hæc tamen omnino in sacerdotum causa forma servetur, quemquam sententia non a suo iudice dicta constringat.

LXII.

Auycerius (*sic*) Episcopus karissimis fratribus per Beticam atque Toletanam provinciam Episcopis constitutis. Inter cetera. De mutatione Episcoporum unde sanctam Sedem Apostolicam consuluistis, scitote quoniam non transiit de civitate ad civitatem qui non suo libitu aut arbitrio hoc facit, sed utilitate quadam aliorum ortatus et consilio potiorum transfertur. Nec transfertur de minori civitate ad maiorem, qui hoc non ambitu nec propria voluntate facit, sed aut vi a propria pulsus, aut necessitate coactus non superbe sed humiliter ab aliis translatus et intronizatus est. Quia homo videt in facie Deus autem in corde.

LXIII.

Anicius (*sic*) Romanæ Ecclesiæ Episcopus universis Episcopis inter cætera. Si Archiepiscopus de hoc sæculo obierit et

alter ordinandus Archiepiscopus electus fuerit, omnes eiusdem provinciæ episcopi, ad sedem metropolitani conveniant ut ab omnibus ipse ordinetur. Reliqui vero comprovinciales Episcopi si necesse fuerit ceteris consentientibus a tribus iussu Archiepiscopi consecrari possunt. Sed melius est si ipse cum omnibus eum qui dignus est consecraverit. Et licet istud necessitate cogente concessum est, illud quod de Archiepiscopi consecratione præceptum atque prædictum est, idem ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus inmitari licet, quia qui illis præest ab omnibus Episcopis quibus præest debet constitui. Sin autem aliter præsumptum fuerit, iuribus carere non dubium est quia irrita erit eius secus acta ordinatio.

LXIIII.

Pius Apostolicæ Sedis Archiepiscopus omnibus Episcopis inter cætera. In Christo Ihesu habitat omnis plenitudo divinitatis qui hanc sanctam Apostolicam Sedem omnium ecclesiarum caput eius esse præcepit ipso dicente Principi Apostolorum. Tu es Petrus, et cetera.

LXV.

Sother PP. dilectissimis fratribus Italie Episcopis. Divinis et Apostolicis monitis formamus ut pro omnium ecclesiarum statu inpigro vigilemus affectu. Ac si quid usquam responsione invenitur obnoxium celeri sollicitudine ab ignorantiæ imperitia aut præsumptionis usurpatione revocemus.

LXVI.

Lucius Episcopus omnibus occidentalibus Episcopis salutem. Hæc sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi est ecclesia quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut in exordio normam

fidei Christiane percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata in eternum manet secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui suorum discipulorum principi in suis factus est evangeliis. Petre inquiens ecce sathan expetivit ut cribraret vos sicut qui cribrat triticum. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

LXVII.

Dionisius Episcopus Severo Episcopo. Olim et ab initio tantam percepimus a beato Petro Apostolorum principe fiduciam ut habeamus auctoritatem universali ecclesiæ auxiliante Domino subvenire, et quidquid nocivum est auctoritate apostolica corrigere et emendare.

LXVIII.

Felix Episcopus dilectissimo fratri et coepiscopo Benigno. Semper dubia et maiora negotia terminum ab hac sancta Sede a tempore Apostolorum qui eam suis documentis instruxerunt accipere consueverunt. Idem in prima ecclesia in congruo loco intra provinciam ipsam tempore congruo idest autumnali vel estivo concilium regulariter convocari debet, ita ut ab omnibus eiusdem provincie Episcopis illuc conveniatur.

LXVIIII.

Gaius dilectissimo fratri Felici Episcopo. Quecumque difficiles questiones per singulas provincias exorte fuerint, semper ad Sedem Apostolicam referantur.

LXX.

Marcellus dilectissimis fratribus universis Episcopis per Antiochiam constitutis. Si vestra Antiochena quæ olim prima

erat, Romanæ cessit Sedi, nulla est quæ eius non sit subiecta ditioni. Ad quam omnes quasi ad caput iuxta Apostolorum eorumque successorum sanctiones, Episcopi qui voluerint vel quibus necesse fuerit suffugere, eamque appellare debent. Et post pauca.

Simul quidem inspirante Domino constituerunt, ut nulla fieret synodus præter eiusdem sedis auctoritatem. Nec ullus Episcopus nisi legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata super quibuslibet criminibus pulsatus, audiatur vel iudicetur. Quia ut paulo superius prælibatum est. Episcoporum iudicia et summarum causarum negotia sive dubia, Apostolicæ sedis auctoritate sunt agenda et finienda. Et omnia comprovincialia negotia per auctoritatem huius sanctæ universalis Apostolicæ Ecclesiæ retractanda si huius Ecclesiæ præceperit Pontifex.

LXXI.

Dilectissimis fratribus Antiochenis Episcopis, Marcellus. Nec vero liceat sine præiudicio Rom. Ecclesiæ, cui in omnibus causis debetur reverentia custodiri, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei ecclesias nutu divino gubernant ad alias convalere provincias vel aliarum provinciarum Episcoporum iudicium expeti vel pati. Sed omnibus eiusdem provinciæ Episcopis congregatis iudicium auctoritate huius Sedis terminetur. Quod tamen ut præfatum est per eius vicarios si libuerit retractandum et quicquid iniuste actum est reformandum.

LXXII.

Marcellinus Episcopus sanctæ Ecclesiæ catholicæ Urbis Romæ, Marentio. Sinodorum absque huius sanctæ Sedis auctoritate Episcoporum quamquam quosdam Episcopos possitis congregare non potestis regulariter facere. Neque ullum Episcopum qui hanc appellaverit Apostolicam Sedem dampnare, an-

tequam sententia hinc finitiva procedat. Nam si seculares in publicis iudiciis, libellis utuntur appellatoriis, quanto magis sacerdotibus hæc eadem agere licet qui super illos sunt, quibusque dictum est. Ego dixi dii estis. Idem. Qui sponte ad Romanam Sedem conveniunt Episcopi, absque ulla custodia vel excommunicatione vel dampnatione libere ire concedatur.

LXXIII.

Evsebivs dilectissimis fratribus universis Episcopis per Campaniam et Tusciam. Non potest Domini Nostri prætermitti sententia dicentis, Tu es Petrus et super hanc petram et reliqua. Et hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus. Quia in Sede Apostolica semper est extra maculam servata religio.

LXXIIII.

Melchiades dilectissimis fratribus universis Yspaniarum Episcopis. Episcopos nolite iudicare, nolite condempnare absque huius Sedis auctoritate. Quod si feceritis irrita erunt vestra iudicia et vos condemnabimini, hoc enim privilegium huic sanctæ Sedi a temporibus Apostolorum statutum est servari, quod illesum manet usque in odiernum diem. Et post pauca. Hoc privilegium beato clavigero Petro sua vice Dominus solummodo commisit. Quod eius iuste prærogativum successit sedi futuris hereditandum atque tenendum temporibus.

LXXV.

Silvester Papa in Concilio CCLXXVII Episcoporum. Nequo Præsul summus a quoquam iudicetur. Quoniam, sicut scriptum est non est discipulus supra Magistrum.

LXXVI.

Iulius venerabilibus fratribus Orientalibus Episcopis. Primæ Sedi vocandarum generalium sinodorum iura et iudicia Episcoporum singulari privilegio apostolicis evangelicis atque canonicis concessa sunt institutis. Quoniam semper maiores causæ ad sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præcepte sunt. Nec ullo modo potest maior a minori iudicari. Ipsa namque omnibus maior et prælata est ecclesiis, quæ non solummodo canonum sanctorum patrum decretis, sed Domini nostri Salvatoris voce singularem optinuit principatum. Tu es inquiens Petrus et reliqua. Et post pauca. Sancta et universalis Apostolica tenet Ecclesia, non potest præter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari nec Episcopum dampnari. Quoniam sancta Romana Ecclesia primatum omnium Ecclesiarum sancti Patres esse voluerunt. Idem in eadem. Sancti Patres unanimiter in prædicta Nicena statuerunt sinodo ut nullus Episcopus nisi in legitima sinodo et suo tempore Apostolica auctoritate convocata super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur vel dampnetur. Sin aliter a quibusdam præsumptum fuerit invacuum deducatur quod egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo reputabitur. Idem in eadem. Si quis ab hodierna die et deinceps Episcopum præter huius sanctæ Sedis sententiam damnare aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum et proprio carere perpetim honore. Eosque qui absque huius Sedis sententia sunt eiecti vel dampnati, huius Sedis sanctæ auctoritate scitote pristinam recipere communionem et in propriis restitui sedibus. Quoniam et prius a tempore scilicet Apostolorum hæc sanctæ huic Sedi concessa sunt et pro ea in Nicena sinodo sunt concorditer ab omnibus roborata. Idem in eadem. Hanc culpam nullomodo potuissetis incidere, si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis, et beati Apostoli Petri sedes quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis.

LXXVII.

Domno beatissimo et apostolico culmine sublimato sancto Patri Patrum Damaso Papæ et summo omnium Præsulum Pontifici. Stephanus Archiepiscopus Concilii Mauritaniæ et universi Episcopi de tribus conciliis Africanæ provinciæ. Notum vestræ facimus beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros venerabiles videlicet Episcopos, vobis incousultis a proprio deicere moliuntur gradu, cum vestræ Sedi Episcoporum iudicia et summorum finem ecclesiasticorum negotiorum in onore beatissimi Petri patrum decreta omnium cuncta reservare censuerunt sententiam et inquirendi reverentiam de Dei rebus quas omni cura et sollicitudine observare debemus. Maxime vero cum iuste debeant ab ipso præsulum vice Apostolico examinari cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam relevare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est ut quicquid horum quamvis remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tentandum vel accipiendum esset nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, ut eius auctoritate iuxta quod fuisset pronuntiatum firmaretur. Quibus sollicite factum est ut semper vestre sedi consuetudo fuit festinanter occurrere, et pro his viriliter ut pater pro filiis certantes, sicut bene a Ihesu filio Sirach dictum est. Usque ad mortem certa pro veritate, et semper Dominus Deus tuus pugnabit pro te. Accipere enim personam impii non est bonum, ut declines a veritate iudicii. Sin minus illicita sunt hæc, pateat nobis talis omnibus licentia beatissime Pater. Aut scilicet hos vel aliquos etiam minorum graduum clericos nisi legitimo tempore canonice vocatos, aut sine legitimis accusatoribus, aut absque veris et innocentibus testibus, vel nisi manifeste canonice convictos, aut sponte confessos, vel a suis sedibus eiectos, aut suis rebus expoliatos, vocare ad sinodum vel damnare. Quia legimus eorum non posse canonice ad Synodum ante suam diutenendam et gubernandam viribus scilicet pleniter resum-

ptis restaurationem, suisque omnibus sibi legaliter restitutis integerrime vocari, aut veniant ad sinodum nisi sponte voluerint imperare.

Deus igitur creator omnium conservet longevum Apostolatum vestrum, ad stabilitatem sanctarum ecclesiarum et orthodoxæ fidei, vosque pastorem bonum qui pro spiritualibus ovibus vestram ponitis animam, atque baculo pastorali lupos rapaces expellitis omnibus qui oppressi sunt auxilium fertis. Quod et istis atque omnibus vos semper facere optamus sanctissime Pater, subscriptio. Et alia manu. Ora pro nobis karissime Pater.

LXXVIII.

Damasus servus servorum Dei, atque per gratiam eius Episcopus Urbis Romæ. Stephano Archiepiscopo Concilii Mauritaniæ et omnibus Africanis Episcopis. Discute Episcopos et summam ecclesiasticorum causas negotiorum metropolitano una cum omnibus suis provincialibus ut nemo ex eis desit, et omnes singulorum concordent negotiis, licet sed diffinire eorum atque ecclesiarum summas querelas causarum vel damnare Episcopos absque huius sanctæ Sedis auctoritate minime licet. Quam omnes appellare si necesse fuerit, et eius fulciri auxilio oportet. Et infra. Beati Petri vice hodie grandi legatione pro Christo fungimur, et omnes huius sanctæ Sedis præsules eius vices gesserunt, gerunt, et gerent. Et post pauca. Nam ut nostis, Synodum sine eius auctoritate fieri, non est canonicum. Neque ullam unquam concilia rata leguntur quæ non sunt fulta apostolica auctoritate. Item in eadem. Nec extra propriam provinciam fiat, primo discussionis accusatio, sine Apostolica præceptione. Cui in omnibus causis debetur reverentia custodiri. Et post pauca. Et alibi in Canonibus legitur. Quæcumque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, et reliqua his similia. Salva tamen in omnibus Apostolica auctoritate, ut nihil diffiniatur priusquam ei placere cognoscatur. Et si quid grave intollerandum quid acciderit, eius semper expectanda censura.

LXXVIIII.

Quisquis Metropolitanus, intra III menses consecrationis suæ ad fidem exponendam, palliumque suscipiendum, ad Apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate. Sitque licentia Metropolitanis aliis post II et III admonitionem viduitatis æcclesiis cum consilio R. Pontificis ordinando Episcopum subveuire.

LXXX.

Reverentissimo fratri Aurelio. Damasus inter cetera. Violatores canonum graviter a sanctis patribus iudicantur, et a sancto Spiritu cuius instinctu ac dono conditi sunt condemnantur. Quoniam blasfemare Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter ut præfixum est aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Idem. Statuta Sedis Apostolicæ et canonum venerabilia decreta nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum.

LXXXI.

Damasus et ceteri Episcopi Romæ congregati. Dilectissimis Fratribus in hyllirico, inter cetera. Neque enim Nicenæ synodo præiudicium aliquod fieri potuit per nostrum Arimini congregatum, quia non constat neque Romanum Episcopum cuius ante omnia decebat expectare decretum, neque Vincentium qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodivit, neque alios talibus præbuisse consensum.

LXXXII.

Eos qui ab Ecclesiis ad Ecclesias migraverunt, tandiu a nostra communione alienos habemus, donec ad eas redeant civitates iu quibus prius fuerant ordinati.

LXXXIII.

Si quis autem alio de loco ad locum migrans in loco viventis ordinatus est, tandiu vacet sacerdotio qui propriam deseruerit civitatem donec successor eius requiescat in Domino.

LXXXIIII.

Damasus Prospero Numidie primæ sedis Episcopo. Reiterari necesse est quod legitime actum aut collatum minime approbatur si perfectum esse debebit. Nam quomodo honorem possit retinere, quem ab illo accepit qui potestatem dare non habuit legitime invenire non possum. Cum ille qui honorem pontificalem non habuit, pontificalia non potest iura tribuere. Nec hoc sibi poterant vendicare, cuius capaces per hoc quod illis obstiterat non fuerunt.

LXXXV.

Siricius Hymerio Tarraconensi Episcopo. Baptizatos ab impiis Arrianis, denuo baptizare non licet, cum hoc fieri et ab Apostolis vetetur, et post cassatum Ariminense Concilium, missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant.

LXXXVI.

Innocentius Decentio Episcopo Eugubino. Si instituta ecclesiastica ut sunt a beatis Apostolis tradita integra vellent servari domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur. Ac fit scandalum populis qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsum-

ptione corruptas, putant sibi aut ecclesias non conveuire, aut ab Apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis nesciat aut quis non advertat id quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est ac uou unquam custoditur ab omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid quod aut auctoritatem non habeat aut aliunde videatur accipere exemplum? Presertim cum sit manifestum in omuem Italiam, Gallias, Hyspaniam, Africam, atque Siciliam insulasque interiacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores instituerunt sacerdotes. Aut legant si in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi quod Romana Ecclesia custodit a qua eos principium accepisse non dubium est. Nedum peregrinis assertionibus student caput institutionum videantur omittere. Et post pauca. Si quis a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errat, aut commoneas, aut iudicare non differas, aut scire valeamus quæ sint, quæ aut novitates inducunt, aut alterius quam Romanæ Ecclesiæ existimant consuetudinem esse servandam.

LXXXVII.

Innocentius Rufo, Eusebio et ceteris Episcopis Macedonibus. Veniam nunc ad maximum quasi ad quoddam themaphotinum et quod mihi anxium ac difficillimum, maiorum revolvam sententias. Fuerat de illo quoque ut etiam ipsi commeministis aliquid utile gravius coustitutum. Verum quoniam id per rumorem falsum ut asseritis surrectum huic sedi et elicitum per insidias demonstrastis, quia res ad salutem rediit, veniam nos hanc in tantum vobis annitentibus pro condempnatione more apostolico subrogamus. Et infra. Pro vestra ergo approbatione fratres karissimi, et sententia, ac postulatione Episcopum Photinum habetote. Licitum est ita constituere ut deprecamini nostra in melius conversa sententia.

LXXXVIII.

Idem Alexandro Episcopo. Arrianos prætcrea cæterasque huiusmodi pestes quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pænitentiæ, ac sancti Spiritus sanctificationem per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum sacerdotii aut ministerii cuiuspiam suscipere dignitatem. Quam quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate illisque misteriis arbitramur, quoniam cum a catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem Spiritus quam acceperant amiserunt. Nec dare eis plenitudinem possunt quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius quam fidem dixerim perdidere. Quomodo ergo fieri potest ut eorum prophanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur?

LXXXVIIII.

Idem Rupho et Eusebio et ceteris Episcopis. Nos damnamus ab hereticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem abere caput. Ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda qua sanitatem recipiat. Quæ sanitas post vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit. Atque ubi penitentiæ remedium necessarium est illic ordinationis onoret locum. Atque habere non posse. Nam si ut legitur qui tetigerit immundum immundus erit, quomodo ei tribuetur qui munditia solet accipere? Sed contra asseritur eum qui honorem amisit, honorem dare non posse. Nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Ac que scimus et verum est quia quod non habuit dare non potuit. Dampnationem utique quam habuit per pravam manus impositionem dedit. Et qui particeps factus est dampnationis quomodo debeat honorem accipere invenire non possum.

XC.

Item ex decretis Innocentii. De causis de quibus auctoritas minime in libris veteris testamenti et IIII[or] Evangeliorum cum scriptis totis Apostolorum apparet, ad divina recurrito scripta. Si nec nullis ad Catholicæ Ecclesiæ hystorias catholicas a doctoribus catholicis scriptas manum mitte. Si nec ullis Apostolicæ Sedis canones intuere. Si nec in his Sanctorum exempla perspicaciter recordare. Quod si in his omnibus inspectis huius questionis qualitas non lucide investigatur, seniores provinciæ congregata, et iusta illud interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, presbyteros tuos et dicent tibi, facilius namque invenitur, quod a pluribus unum sentientibus quæritur ut Dominus ait. Si duo ex vobis consenserint super terram. Et cetera. Et iterum. Ubi II vel III congregati fuerint. Et cetera.

XCI.

Domno beatissimo et honorandissimo fratri Innocentio Papæ Aurelius, Numidius, Rusticianus, et ceteri Episcopi Concilii Cartaginiensis, inter cetera. Dixit sanctæ frater caritativæ intimandum diximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum et quorumdam perversitate etiam corrigenda. Et cetera.

XCII.

Celestinus. Nec emeritis in suis ecclesiis peregrini et extranei et qui ante ignorati sunt ad exclusionem eorum qui bene suorum civium merentur testimonium præponantur.

XCIII.

Nullus invitis detur Episcopus. Cleri plebis et ordinis consensus et desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur

ecclesia si de civitatis ipsius clericis cuius est Episcopus ordinandus nullus, quod evenire non credimus potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur, habeat unusquisque fructum militie sue in ecclesia in quam sua per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime obrepat. Nec alii debitam alter suadeat vindicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi si se viderint prægravari. Et quod sibi ingeri ex transverso verso cognoverint, non timeant refutare. Quod si non debitum præmium vel liberum de eos qui eos recturus est debent habere iudicium.

XCIIII.

Augustinus in epistola Iacobi. Non est putandum leve esse peccatum personam accipere et contempto paupere instructiore atque sanctiore eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ.

Leo Episcopus, universis Episcopis per Siciliam constitutis. Hanc culpam nullomodo potuissetis incidere, si unde sacrationis honorem accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis. Et beati Apostoli Petri sedes quæ vobis sacerdotalis magistra est dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis. Idem infra ad eosdem. Quia saluberrime a sanctis patribus constitutum est binos in annis singulis debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertio kalendarum Octobrium Romam fraterno concilio sociandi indissimulanter occurrant.

XCV.

Leo Episcopus sanctæ Sinodi Calcedonensi constitutæ. Amplectendum est clementissimi principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad reformandam ecclesiasticam pacem maluit convenire, beatissimi Apostoli Petri sedi iure atque honore servato. Adeo ut nos quoque suis ad hoc litteris invitaret, ut venerabili sinodo nostram præsentiam

præberemus. Quod quidem necessitas temporis, nec ulla poterat consuetudo permittere. Tamen in his fratribus hoc est Pascasino et Lucentio Episcopis Bonifatio et Basilio Presbyteris qui ab Apostolica sede directi sunt, me sinodo vestra fraternitas estimet præsidere. Idem Pulcherriæ Augustæ. Quod vero pietas imperialis me credit debere iterum esse concilio, etiam si secundum aliquid præcedens exigeretur exemplum, nec tamen nequaquam posset impleri. Quia rerum præsentium nimis incerta condicio, a tante Urbis populis me abesse non sineret, et in desperationem animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ ecclesiasticæ viderer patriam et sedem apostolicam velle deserere. Tamen in his fratribus meis quos vice mea misit, me quoque adesse cum cæteris qui affuerint estimate.

XCVI.

Metropolitano defuncto cum in loco eius alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa ex presbyteris eiusdem ecclesiæ vel ex diaconibus optimus eligatur. Et post pauca. Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur quem cleri plebisque consensus concorditer postularit. Ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, metropolitani iudicio is alteri præponatur, qui maioribus studiis iuvatur et meritis tantum. Ut nullis invitis et non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contempnat aut oderit et fiat minus religiosa quam convenit cui non licuerit habere quem voluit. Idem Episcopis per provincias Sequanorum et Viensium inter cetera. Vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in sacerdotum ordinationibus custodiantur. Et infra. Per pacem et quietem sacerdotes qui futuri sunt postulentur. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus et plebis.

XCVII.

Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus cum metropolitani iudicio consecrati.

XCVIII.

Sollicitudinis quidem tue iste ordo esse debuerat ut cum metropolitano tuo primitus de eo quod querendum videbatur esse conferres. Aut si quid ignorabat dilectio tua etiam ipse nescisset, instrui nos pariter posceretis. Quia in causis quæ ad generalem observantiam pertinet nihil sine primatibus oportet inquiri.

XCVIIII.

Non amplius a statuto concilii tempore quam dies XV morentur Episcopi.

C.

Si quis Episcopus civitatis sue mediocritate despecta administrationem loci celebrioris ambierit et ad maiorem se plebem quacumque ratione transtulerit, a cathedra quidem pellatur aliena, sed et carebit et propria. Ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit. nec illis quos per superbiam sprevit.

CI.

Leo Episcopus. Rustico Narbonensi Episcopo, inter cetera. Sicut quædam sunt quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt quæ per considerationem etatum aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper condicione servata,

ut in his quæ vel dubia sunt vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum. Quia universe vie Domini misericordia et veritas, cogimur secundum Sedis Apostolicæ pietatem ita nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum quod constat non unius esse mensuræ, quædam diffiniamus tolleranda quædam penitus amputanda.

CII.

Commune erat omnibus Apostolis periculum de temptatione formidinis quoniam diabolus omnes cupiebat exagitare, omnes cupiebat elidere. Sed tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, et diviuæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Et infra. Si autem pietatis suæ curam omni populo Dei sicut credendum est, ubique prætendit, quanto magis nobis alumnis suis opem suam dignatur impendere, aput quos in sacro beate dormitionis thoro, eadem quam præsedit carne requiescit.

CIII.

Gelasius dilectissimis fratribus universis Episcopis per Dardaniam constitutis. Sed nec illa præterimus, quod Apostolicæ sedi frequenter datum est more maiorum, etiam sine ulla synodo præcedente exsolvendi, quod synodus iniqua mandaverat. Et damnandi, nulla existente synodo quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium synodus orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilhominus Iohannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certe damnaverat, sed simili modo Sedes apostolica etiam sola quia non consensit ab-

solvit. Itemque sanctum Flavianum Græcorum Pontificum congregatione dampnatum pari tenore quoniam sola sedes Apostolica non consensit absolvit. Potiusquam qui illic receptus fuerat Dioscorus secundæ sedis præsulem sua auctoritate dampnavit, et impiam sinodum non consentiendo sola summovit, et ut synodus Calcedoneusis fieret sola decrevit. Idem in eadem. Nec plane tacemus quod cuncta per mundum novit ecclesia. Quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum, sedes beati Petri ius habeat resolvi, ut pote quæ de omni ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter satis constat Achatium nullum habuisse Pontificum sententiam sedis Apostolice sine ulla eius notione solvendi. Qua certe synodo hoc ille præsumpsit quod nec sic absque apostolica sede fas quidem habere efficere. Cuius sedis Episcopus? cuius metropolitanæ civitatis antistes? Nonne parrochiæ Heraclensis ecclesiæ.

CIIII.

Dilectissimis fratribus universis Episcopis per Lucaniam constitutis. Gelasius. Basilicas noviter iustitutas non petitis ex more præceptionibus dedicare nemo audeat.

CV.

Satis indignum est quemquam Pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam beati Petri sedem exequi videat et docere. Satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesie in hac sibimet observatione concordet, quia illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum. Et post pauca. Et si illa nonnunquam sineuda sunt, quæ si ceterorum constet integritas sola nocere non valeant, illa tamen sunt magnopere præcavenda quæ recipi sine manifesta decoloratione non possunt. Ac si ea ipsa

quæ nullo detrimento aliquotiens indulgenda creduntur vel rerum temporumque cogit intuitus, vel accelerate provisionis respectus excusat, quanto magis illa nullatenus mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?

CVI.

Item opuscula atque tractatus omnes diversorum patrum orthodoxorum qui in nullo a sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviaverunt, nec ab eius fideli prædicatione seiuncti sunt, sed ipsius communionis usque in ultimum diem vitæ suæ fuerunt participes, legenda decernimus.

CVII.

Simacho Episcopo Ecclesiæ Catholicæ Urbis Romæ in concilio CCX et VIII episcoporum præsidente, Emilianus Notarius synodi decreta vulgavit dicens. Si quis Papa superstite pro Romano Pontificatu cuiquam quolibet modo favorem præstare convincitur, loci sui ordine privetur. Et post pauca. Si quis Presbyter aut Diaconus aut Clericus Papa incolumi et eo inconsulto, aut supscriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pictacia promittere, aut sacramentum præbere temptaverit, aut aliquod certe suffragium polliceri, vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare atque decernere voluerit, loci sui dignitate vel communione privetur. Universa synodus surgens acclamavit. Exaudi Christe. Simacho vita. Dictum est decies. Pax cum Symacho dictum est XVes. Cuius sedem et annos dictum est octies. Pari severitate feriendum eum, qui hoc vivo sicut dictum est Pontifice quolibet modo fuerit ambiisse convictus aut certe temptasse, omnibus pariter huius culpe reis anathematis pœna plectendis. Simachus Episcopus dixit. Ergo universitati placet, et ab omnibus recognoscitur, vel probatur ista sententia. Universa synodus dixit Placet et quod omnibus placet fiat. Si quod absit transitus Papæ inopinatus

evenerit, ut de sui electione successoris ut supra placuit non posset ante decernere, siquidem in unum totius inclinaverit ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus Episcopus. Si enim ut solet studia ceperint esse divisa eorumdem quibus certamen emerserit convincat sententia plurimorum. Sic tamen ut sacerdotio careat, qui captus promissione, non recto iudicio de electione decreverit. Synodus dixit Placet: dictum est Xes. Propter occultas autem fraudes et coniurationum secretas insidias quas huius sententia districtionis sequitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit notitiam consilia eorum qui contra hanc sinodum de pontificali egerint ambitu et rationabili probatione convicerit participes actionis, huiusmodi non solum purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione quæ non indigna sit sublevetur. Universa synodus surgens acclamavit. Placent omnia. Et adiecit Exaudi Xpe. Symacho vita. Dictum est XXXes. Ut nullus aliter ad Episcopatum Romanum deinceps veniat precamur. Dictum est Xes. Ut nostra decreta confirmes rogamus. Dictum est Xes.

CVIII.

In eadem sinodo. Ennodio Episcopo dictante. Beatus Petrus perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ misit ad posteros. Quod illi concessum per actuum lucem ad illos pertinet quos par conversionis splendor illuminat. Quis sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci decessore præstantur. Aut enim claros ad hoc fastigia eligit, aut qui eliguntur illustrat. Prenoscit quid ecclesiarum fundamento sit habile super quem ipsa moles innititur. Item ibidem. Aliorum omnium causas Deus voluit per homines terminare. Sed istius sedis Præsulum suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri Apostoli successores, celum tantum debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Et infra. Replicabo sanctorum voces Pontificum dignitatem, sedem eius factam toto orbe venerabi-

lem dum illi quicquid fidelium est ubique submittitur, cum totius corporis caput esse designatur. De quo videtur mihi dictum per prophetam. Si hic humiliatur ad cuius fugietis auxilium? et ubi relinquetur gloria vestra.

CVIIII.

Simachus Cesario inter cetera. Ad decretum si faciendum Clericos subscribere adhibito cuiuslibet generis timore nemo compellat, vel primi is aliquibus hortetur. Decretum autem sine visitatoris presentia nemo conficiat, cuius testimonio clericorum ac civium possit unanimitas declarare.

CX.

Hylarius Papa. Nonnulli Episcopatum qui non in meritis præcedentibus datum non divinum munus sed hereditarium putantes esse compendium, concedunt sicut res caducas ita sacerdotium velut legati aut testamenti iure posse dimitti. Nam plerique in mortis confinio constituti in locum suum feruntur alios designatis aliis nominibus subrogare, ut scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio proprium habeatur assensum. Quod quam grave sit, æstimate. Atque ideo si placet, etiam hanc licentiam generaliter de æcclesiis auferamus ne quod turpe dictum est homini se putet debere quod Dei est.

CXI.

Lectis ergo in conventu fratrum quos natalis mei festivitas congregata litteris vestris quæ de ordinandis litteris vestris secundum statuta canonum vel prædecessorum meorum decreta fuerit prolata sententia gestorumque pariter direximus.

CXII.

Hormida Dilectissimis fratribus universis Episcopis per Yspaniam constitutis, libellum professionis fidei Iohannis Constantinopolitani Episcopi iuxta vestram petitionem vobis misimus, sub quo si quis communionem vestram de orientalibus clericis poposcerit, ad eam possit admitti. Secundum quam et de Scithia et de Tracia Illiricique partibus vel Epyri ventis sed et secundum quos de Syria multos iam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere et devia declinasse. Unde pro resurrectione mandamus ut omnis cura et omnis sollicitudo invigilet. Iam nullus est ignorantiæ locus, nullus utatur simplicitatis excusatione prædicta.

Libellus professionis fidei Episcoporum Iohannis Constantinopolitani et Eulalii Cartaginensis qui se a Romana Sede separaverant.

Prima salus est rectæ fidei regulam custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Ihesu Christi prætermitti sententia dicentis, Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo æcclesiam meam. Et hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus quia in Sede Apostolica extra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide separari minime cupientes et patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes hereses, præcipue Nestorium hereticum qui quondam Constantinopolitanæ fuit urbis Episcopus. Dampnatus in concilio Ephesiuo, a beato Celestino PP. Urbis Romæ et a venerabili viro Cirillo Alexandrinæ civitatis antistite. Similiter anathematizamus Euthicen et Dioscorum Alexandrinum in sancta synodo quam sequimur et amplectimur Calcedonensi dampnatum quæ secuta secundum concilium Nicenum fidem Apostolicam prædicavit. Detestamur et Timotheum patricidam illorum cognomento imbutum, discipulum quoque ipsius et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum condempnamus. Etiam condempnamus Acathium Con-

stantinopolitanum quondam Episcopum ab Apostolica Sede anathematizatum eorum complicem et sequacem, vel in eorum qui commune aut societate permanserint. Qui Acathius quorum se communi miscuit, ipsorum similem habere meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antioccnum damnamus cum sequacibus suis et omnibus supra scriptis. Suscipimus autem et probamus epistolas beati Leonis Papæ universas quas de christiana religione conscripsit. Sicut prædiximus sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et prædicantes eius omnia apostolica statuta esse servanda. Et per omnia spero ut in una communione vobiscum quam Sedes Apostolica prædicat esse merear, in qua est integra et vera Christianæ religionis et perfecta soliditas. Promittentes sequestratos a communione Catholicæ Ecclesiæ, idem non consentientes sedi Apostolicæ eorum nomine inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliqua professione mea deviare temptavero his quos dampnavi complicem mea sententia me esse confiteor, hanc autem professionem meam ego Iohannes Constantinopolitanus Episcopus manu mea subscripsi et Ormisdæ sancto et venerabili Papæ Urbis Romæ direxi.

CXIII.

Vigilius dilectissimo fratri Eleutherio. Nulli vel tenuiter scienti vel pleniter sapienti dubium est quod Ecclesia Romana fundamentum et forma sit Ecclesiarum a qua omnes ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro datum est ut cæteris præmineret. Unde et Cephas vocatur quia caput et primus est omnium Apostolorum. Et quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quam ob rem Romana Ecclesia, eius merito Domini voce consecrata, primatum tenet omnium ecclesiarum. Quod autem se scit aliis esse præpositum non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum. Et post pauca. Ipsa namque Ecclesia quæ prima est ita reliquis ecclesiis vices suas credidit largiendas ut in partem sint vocatæ sollicitudinis non in plenitudinem potestatis.

CXIIII.

Iohannes Episcopus universis Episcopis per Germaniam et Galliam constitutis. Petrus Princeps Apostolorum adiutores sibi ascivit Linum et Cletum, non tamen potestatem Pontifici, aut ligandi vel solvendi normam eis tradidit, sed successori suo Clementi, qui sedem Apostolicam post eum et potestatem pontificalem tradente sibi beato Petro tenere promeruit. Linus vero et Cletus ministrabant exteriora. Princeps autem Apostolorum Petrus verbo et orationi insistebat, quæ non incongrue a traditione Spiritus sancti per manus impositionem pertinent. Et infra. Linum namque et Cletum nihil legitur unquam egisse ex pontificali ministerio potestative, sed quantum eis a beato Petro præcipiebatur, tantum solummodo agebant.

CXV.

Pelagivs dilectissimis fratribus universis Episcopis qui illicita vocatione Iohannis Constantinopolitani Episcopi, ad Synodum Constantinopolitanum convenerunt. Ex auctoritate Sancti Petri Apostolorum Principis et Domini voce Salvatoris qui beato Petro potestatem ligandi et solvendi ipse Salvator dedit, quæ etiam potestas in successoribus eius indubitanter transivit, præcipio omnia quæ ibi statutis varia et cassata esse, ita ut deinceps nunquam appareant. Ait enim ipse Salvator beato Petro Apostolo. Quæcumque ligaveris super terram et reliqua. Multis enim Apostolicis atque canonicis et ecclesiasticis instruimur regulis non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari, et post pauca. Prædecessores vero Iohannis, et iste idem Iohannes, non semel, sed sepissime epistolas atque libellos propria manu supscriptos sanctis antecessoribus nostris miserit quibus coram Deo protestati sunt nichil unquam proterve contra Apostolicam Sedem agere, nec de illius aut illorum privilegiis usurpare quicquam. Quæ in harchivo sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub sigillis eorum roborati habentur et integre. In ipsis enim epistolis vel libellis

anathematis vinculo et successores eorum constrinxerunt si unquam aliquid contra eos præsumpsissent. Aut contra Apostolicam vel illius alterius Episcopi sedem, quicquam adversi quo modo essent moliti. Idcirco eos non esse necesse excommunicare aut anathematizare, quia ipsis anathematis vinculo propriis manibus professiones suas suaque scripta roboranda constrinxerunt. Sciat tamen et ipse Iohannes nisi errorem suum cito correxerit, ocius se excommunicandum fore, et Apostolicæ sedis atque omnium Episcoporum communione carere. Universalis quoque nomen quod sibi illicite usurpavit nolite attendere. Nec vocationem eius ad sinodum absque auctoritate Sedis Apostolicæ unquam venire, si Apostolicæ Sedis et ceterorum Episcoporum communione vultis frui.

CXVI.

Gregorius Eusebio Thesalico, Urbico Dyrrachino, Andreæ Nicopolitano, Iohanni Corinthiorum, Iohanni primæ Iustinianæ, Iohanni Crethensi, Iohanni Larisseo et Excodritano inter cætera. Cognoscat fraternitas vestra Iohannem quondam Constantinopolitanæ civitatis Antistitem contra Deum contra pacem Ecclesiæ in omnium despectu et iniustitia sacerdotum in sinodo superbum ichomenicon hoc est universale sibi nomen usurpasse. Quod Pelagius decessor noster agnoscens, omnia eiusdem Synodi gesta cassavit. Adeo ut suum illi diaconum nisi tantum nefas emendaret procedere prohiberet. Et infra. Hortor itaque ut nullus vestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus consentiat, nullus scribat, nullus ubi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adiiciat. Et cetera.

CXVII.

Presenti decreto constituo ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electis ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis habeat testes qui eius in secreto conversationem videant, qui ex visiono sedula, exemplum profectus sumant.

CXVIII.

Feretrum quo Romanus Pontifex ad sepeliendum ducitur nullo tegmine veletur. Cuiusmet decreti curam gerere sedis huius Presbyteros ac Diaconos censemus. Si quis vero ex eorum ordine hoc curare neglexerit anathema sit.

CXVIIII.

Agatho PP. omnibus Episcopis. Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tamquam ipsius Divini Petri voce firmatæ.

CXX.

Zacharias Papa. Iuxta sanctorum patrum et canonum instituta. Omnis Episcopi qui huius Apostolicæ Sedis ordinationi subiacent, qui propinqui sunt annuè idus Maii sanctorum principum Apostolorum Petri et Pauli liminibus præsententur omni occasione seposita. Qui vero de longinquo iuxta cyrographum suum impleant. Nam qui huius constitutionis contemptor extiterit, præter si egritudine valida fuerit detentus sciat se canonicis subiacere sententiis.

CXXI.

Adrianus Agilramno Episcopo. Constitutiones contra sancta decreta Romanorum Præsulum nullius sit momenti.

CXXII.

Leo quartus et secundus Eugenius. Episcopus ad culturam propriæ ecclesiæ sepissime debet adesse, quia absentia Episcopi plerumque fit calamitas. Ideoque Sardicensi admonente Concilio, ultra trium ebdomadarum spatium a propriis ecclesiis non morentur nisi forte per iussionem metropolitani ex necessitate contingat.

CXXIII.

Si quis Sacerdotibus seu primatibus nobilibus seu cuncto concilio huius sanctæ Romanæ ecclesiæ electionem Romani Pontificis contradicere præsumpserit, sicut in concilio beatissimi Stephani PP. statutum est, anathema sit.

CXXIIII.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione malorum imminentium vel futurorum a sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

CXXV.

Episcopum consecrari non oportet nisi a Clero et populo fuerit postulatus. Unde Celestinus PP. dicit. Nullus invitis ordinetur Episcopus. Cleri et plebis consensus et desiderium requiratur. Et Leo. Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec a clericis sunt electi nec a populis expetiti. Quod si in eadem ecclesia dignus non inveniatur, tunc de altera ecclesia eligatur. Tamen quamvis necessitas eveniat, nullo modo in iudicio consecretur invitis.

CXXVI.

Nycolavs Servus servorum Dei. Reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris metropolitanis Episcopis et cæteris Episcopis qui in convicinam villam publicam secus civitatem Silvanectis in concilio convenistis. Iuxta constitutionem sanctæ Sardicensi synodi etiam si nunquam reclamasset. Rothardus Episcopus nunquam Sedis Apostolicæ fecisset mentionem a vobis qui causam eius examinastis, memoria sancti Petri

honorari debuerat, et ad eius vicarium scribi ut si iudicaret revocandum esse iudicium renovaretur et daret iudices. Item idem in alia epistola. Quamobrem nimis absurdum est quod Hismarus Archiepiscopus fingit dississe (*sic*) Rothardum postquam iudicium Sedis Apostolicæ provocavit iterum mutata voce aliorum iudicia postulasse. Quod etiam si ita fecisset sicut vestra novit fraternitas ab illa fuerat emendandus, et ne a maioris auctoritatis examine ad minoris valitudinis provocasset iudicium corrigendus. Et infra. Quamvis et si Sedem Apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen et tanta decretalia se efferre statuta, et Episcopum inconsultis nobis nequaquam deponere sicut vos bene nostis debuerat. Et infra. Quia sacra statuta et veneranda decreta, Episcoporum causas utpote maiora negotia nostræ diffiniendas censuræ mandaverunt.

CXXVII.

Nycolaus Episcopus Servus servorum Dei Hismaro Remensi Archiepiscopo. Arguta sapientia tua, utinam in bono, accepto fomite iudicii, materiam depositionis adversus Rothardum assumpsit, et ab itinere Sedis Apostolicæ removit, et continuatim Sedem Apostolicam appellantem damnavit, et carcerali custodiæ mancipavit. Et infra. Privilegia tamen Sedis Apostolicæ vos oblivioni tradere nullatenus debuistis quibus venerandi canones iudicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri iubent, et ab illa sicut sanctus Gelasius meminit nusquam appellari sanxerunt. Ac per hoc ipsum de omnibus iudicare, ab illa vero nulli est appellare permissum. Sed etiam si ad vestrum provocasset a nostro iudicio, a vobis exaltabat tamquam herroneum corrigendus. Et infra. Hæc quippe nos in Rothardo iccirco noveris operatos ut privilegia Sedis Apostolicæ quæ male a vobis violata esse videbantur, auctoritate Apostolica et canonica patrum deliberatione, pristino tandem genio, et proprio decorarentur honore.

CXXVIII.

Nycolaus Episcopus clero et plebi Nocensis ecclesiæ. Ecclesia ideo catholicorum collectio, quomodo sine Apostolicæ Sedis instituetur nutu, quomodo iuxta sacra decreta, nec ipse debent absque præceptione Papæ basilice noviter construi, quæ ipsa catholicorum intra semet amplecti caterva dinoscuntur.

CXXVIIII.

Nycolaus Episcopus servus servorum Dei, piissimo et dilectissimo filio Michahli a Deo protecto semper Augusto. Nunc autem divina inspiratione non nos pigebit, nec nobis impossibile erit ostendere vobis, si tamen audire velitis non posse quemquam rite ab his qui inferioris dignitatis vel ordinis iudicialibus submitti diffinitionibus. Siquidem tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum. Marcellinus Episcopus Urbis Romæ qui postea insignis martyr effectus est adeo compulsus est a paganis ut templum eorum ingressus grana turis super prunas poneret. Cuius rei gratia collecto numerosorum concilio episcoporum et inquisitione facta, hoc idem Pontifex se egisse confessus est. Nullus tamen eorum proferre sententiam ausus est dum ei omnes sepissime perhibent. Tuo ore iudica causam tuam non nostro iudicio. Item. Noli aiunt in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam. Et rursus. Quia ex te inquiunt iustificaberis aut ex ore tuo condempnaberis. Et iterum dicunt. Prima sedes non iudicabitur a quoquam. Item in eadem. Sed et cum quidam tempore quodam contra Xistum Papam temptassent quædam non boni rumoris obicere et iu concilio cui Valentinianus Augustus intererat dictum fuisse non licere adversum Pontificem sentientiam dare, surrexit idem protinus imperator et in arbitrio præfati Pontificis tribuit iudicare iudicium suum. Et nullus Pontificum minorum vel inferiorum urbium subactus iudiciis invenitur. Item in eadem.

In tantum autem hanc præsumptionem sancti patres apud Calcedonam detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera, iccirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint, quia ponens in celum os suum lingua eius transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem Papam dictavit, ita ut in præsentia contra ipsum prolata hoc videantur memorare præcipue dicentes. Quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit. Presumpsit excommunicationem dictare adversum sanctissimum et beatissimum Archiepiscopum Rom. Ecclesiæ Leonem. Numquid ibi legitur inquisitionem fuisse factam, utrum iuste an iniuste Dioscorus ipsam excommunicationem dictasset? Non plane. Sed absque omni controversia hoc in eo ulti sunt, quia cum esset inferior potiorem quibuslibet conatus est lacessere iniuriis? Teste Anatholio Constantinopolitano præsule qui dicit. Propter fidem non est dampnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domno Archiepiscopo Leoni. Item in eadem. Quomodo non egeat quælibet synodus Romana sede quando in Ephesino latrocinio, cunctis præsulibus et ipsis præsulibus quoque patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis de quo scriptum est vicit Leo de tribu Iuda, divinus excitatus os aperiens, totum orbem et ipsum quoque Augustum concuteret et ad pietatem commoveret, religio catholica penitus corrueret.

CXXX.

Nycolaus Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Michaeli glorioso Imperatori Græcorum. Oportet vestrum imperiale decus quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus ut antiquum morem quem nostra ecclesia habuit vestris temporibus restaurare dignemini quatenus vicem quam nostra Sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem qui Romanæ sedis vicem per Epyrum veterem Epyrumque novum atque Illiricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam ripensem, Daciam me-

diterraneam. Mysiam, Dardaniam et Præbalim beato Petro Apostolorum Principi contradicere nullus præsumat. Quæ antecessorum nostrorum temporibus scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifatii, Celestini, Xisti, Leonis, Hylarii, Simplicii, Felicis, atque Hormisde sanctorum Pontificum dispositionibus agebatur. Quorum denique institutionibus ab eis illis in partibus destinatas per nostros missos ut rei veritatem cognoscere queatis vestræ augustali potentiæ dirigere curavimus. Preterea Calabritanum Patrimonium Syculumque, quæ nostræ Ecclesiæ concessa fuere et ea quæ ad possidenda optinuit et disponendum per suos familiares regere studuit nostris concessionibus reddantur. Quoniam irrationabile est ut ecclesiastica possessio unde luminaria et concinnationes æcclesiæ Dei fieri debent terrena quominus potestate subtrahantur, sed domui Dei restituta meritum redditoris multiplicent, et suscipientes votum spiritualis desiderii lucris exerceatur. Inter ista et superius dicta volumus ut consecratio Siracusano Archiepiscopo nostra a sede impendatur, ut traditio ab Apostolis instituta, nullatenus vestris temporibus violetur.

CXXXI.

Verum et inter beatos Apostolos sicut et prius sanctus PP. Iulius et postea ille magnus et sanctus Leo describit in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis. Et cum omnium par esset electio uni tamen datum est ut ceteris præmineret. De qua forma Episcoporum quæque est orta distinctio et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent. Sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia. Et rursus quidam in maioribus urbibus constituti, sollicitudinem ei susciperant ampliorem per quos ad unam Petri sedem universalis æcclesiæ cura conflueret, et nichil unquam a suo capite dissideret. Quod si quidam ex vobis interiori comprehendissent obtutu, nunquam Rothandum Episcopum Suessionice Urbis sine consensu nostro deponerent, depredarentur, et in exilium pulsum monasteriali

custodia manciparent. Et infra. Quid rogo de Presbyteris et de inferioris gradus clericis ageretur, quorum apud nos quoque causa a Chalcedonensis concilii regula cum ratio exigit audiri iubetur, si Episcopos tanta facilitate deponitis. Et infra. An sedes Apostolica caput non est. Frustra ergo ut multa præterea, Concilium Sardicense ad Iulium Papam scribens inter cetera dixit. Optimum et valde congruentissimum esse videtur si ad caput idest ad beati Petri Sedem de singulis quibusque provinciis domini referant Sacerdotes. At contra adeo hanc despicitis ut ad ea nihil de maioribus ecclesiæ negotiis referre curetis. Et cetera.

CXXXII.

Inferioris gradus clericorum causas apud nos cum tempus vel res exegerit esse finiendas, e diverso procul dubio colligimus sicut beatus Papa Innocentius dicit. Si quæ etiam causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exorte, placuit ut secundum synodum Nycenam congregatis eiusdem provinciæ Episcopis iurgium terminetur. Nec alicui liceat sine iudicio tamen Romanæ Ecclesiæ relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias.

CXXXIII.

Nam Sedis Apostolicæ sententia, tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquetur, tantaque deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, nec immutari necessarium ducat, nisi forte sic prolata sit, ut retentari possit, vel immutanda secundum permissæ tenorem condicionis existat.

CXXXIIII.

Beatus Gelasius Papa scribens Episcopis per Dardaniam constitutis inter cætera inquit. Post quingentos annos consti-

tuta Christi quosdam velle subvertere, cum XXX annorum lex omnium non possit abrumpi. Sanctum Athanasium ideo non fuisse damnatum a synodo Orientis, quia sedes ista non consenserit. Sanctum Iohannem Constantinopolitanum, sanctum Flavianum. Si ergo ea non consentiente sola, qui damnati sunt a sinodo Orientis non potuerunt esse damnati, consequens est, etiam sine sinodo qui eadem sola damnante damnatus fuerit, damnatus sit. Et post pauca. Que vero statuta Christi dixerit inferius explanavit, sede Apostolica non consentiente, neminem damnari, et sola ea consentiente, qui damnatus fuerit, damnatus habeatur, exposuit. Statuta itaque Christi dixit eos per quingentos annos velle subvertere, quia iam quinquies centeni circiter anni præterierant quando hic venerabilis Papa dicens Sedem Apostolicam statuta Christi promeruisse fatetur. Privilegia enim sua a Christo Ecclesia Romana per Petrum conservata est et ipsa sunt statuta Christi.

CXXXV.

Iohannes VIII. Quæris quis metropolitanus, intra III menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, Palliumque suscipiendum Apostolica sede nulla inevitabili necessitate imminente non miserit, commissa sibi careat dignitate, ita ut tamdiu episcopali illi sedi cedat, omnique consecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide, et in exponendo pallio priscum morem contempserit.

CXXXVI.

Nycolaus Iunior. Quæ autem provincia per omnia terrarum regna a Romanæ Ecclesiæ dicione extranea reperitur, cuius arbitrio ipsum quoque celum clauditur et aperitur. Omnis autem sive patriarchivi cuiuslibet apicem, sive metropoleon primatus, aut episcopatuum cathedras, vel ecclesiarum cuiuscumque ordinis dignitatem ipsa instituit. Illam vero solus ipse fundavit, et super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato

eternæ vitæ clavigero terreni simul et celestis imperii iura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum quo constructum est cælum et terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam. Illius certe privilegio fundus illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium, quia quisquis cuiuslibet ecclesiæ iussum detrahit iniustitiam facit. Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic proculdubio in heresin labitur. Et cum ille notetur iustus, hic est dicendus hereticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ mater est fidei. Et illicitum maxime invenitur, qui eam cunctis ecclesiis prætulisse cognoscitur. Et infra. Unde et ipse sanctus Ambrosius se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur æcclesiam.

CXXXVII.

Si quis Apostolicæ Sedi sine concordi et canonica electione Cardinalium eiusdem, ac deinde sequentium Clericorum religiosorum intronizatur, non Papa, vel Apostolicus, sed apostaticus habeatur, et ut moriente Romano Pontifice, vel cuiuscumque civitatis, nullus præsumat facultates illorum invadere, sed successoribus eorum integre reserventur.

CXXXVIII.

Si quis pecunia vel gratia humana, aut populari, seu militari tumultu, sine concordi et canonica electione Cardinalium, et sequentium religiosorum clericorum fuerit Apostolicæ sedi inthronizatus, nec Apostolicus, sed apostaticus habeatur. Liceatque Cardinalibus cum Deum timentibus clericis et laicis invasorem etiam anathemate, et humano auxilio et studio a sede Apostolica pellere, et quem dignum iudicaverint, reponere. Quod si hoc intra Urbem perficere nequiverint, auctoritate Apostolica extra Urbem congregati, in loco qui eis placuerit electionem faciant, concessa electo auctoritate regendi et dispo-

nendi res in utilitatem ecclesiæ sanctæ Romanæ, iuxta qualitatem temporis quasi iam inthronizatus sit.

CXXXVIIII.

Gelasius Helpidio Episcopo Volaterano, inter cetera. Quo ausu, qua temeritate rescribis ad Ravennam te parare proficisci, cum canones evidenter præcipiant, nullum omnino Episcopum nisi nobis ante visis atque consultis ad comitatum debere contendere? Et post pauca. Quemadmodum tu putas licere quod non licet, nisi quia hoc officere carere festinas, quo te his excessibus ostendis indignum.

CXL.

Gelasius Maiorico et Iohanni Episcopis. Ita nos Quillacinorum cedes geminata Pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit, ut diu constitutio nostre deliberationis excitaret, dum et ingerere quemquam parricidalibus exemplis destaremur antistitem. Quapropter iam velut usum consuetudinemque sacrilegam declinantes, catenus religioni duximus consulendum, ut parrochiæ vice ab extrinsecus possitis sacerdotibus gubernentur, quia ibidem commanentes ferro didicerunt necare pastores. Inauditoque facinore ad quod etiam in illis provinciis nusquàm prorsus acciderat, quæ bellorum continuis diversisque incursionibus affliguntur, hæc reperta sit civitas, quæ præsules ministrando sibi fidei Christianæ sine persecutore prosternat. Curandum est igitur ut illic funesta pernicies cessatione propriorum sanetur antistitum, atque ita saltem furoris tanti materia subtrahatur, eoque modo vel illa civitas dum in quos deseviat non habebit, ab huiusmodi temeritate desistat, vel aliis imitandi dira contagia non præbeat. Egeat ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde depensis, quæ sacram in suo gremio collocatam fuso crudeliter maculat sanguine dignitatem. Quia in utroque hoc est ultione plectenda, sive scilicet instinctu domestico, seu furiis incitata nefas hoc committat ex-

ternis. Prebeat ergo vestra dilectio in hoc statu posite mynisterium visitationis ecclesiæ, et aut conveniendo pariter aut vicissim prout qualitas rerumque causa poposceris, divina misteria repræsentet ingratis, ne cum zizania devitamus divina videamur frumenta periisse.

CXLI.

Gelasius Celestino Episcopo. Inter cetera. In ecclesia beati Martyris Eleutherii, quæ in Sithomensium civitatis parechia probatur esse constructa, Iulianum diaconum si nil in eo est quod contra canonum veniat instituta presbyterii honore decorabis. Sciturus eum visitatoris te nomine non cardinalis creasse pontificis. Idem Sabino Episcopo. Quarum defensorem diaconum sibimet consecrari populus Crumitane civitatis exposcit, hoc ergo si non est quod eius persone possit opponi diaconii provectione decorabis. Ut noverit tamen dilectio tua, hoc se delegantibus nobis exequi visitatoris officio, non potestate proprii sacerdotis.

CXLII.

Pelagius Iohanni Patricio. Inter cetera. Consecrare est simul sacrare. Sed ab Ecclesiæ visceribus divisus et ab Apostolica Sede separatus, dissecrat potius iste non consecrat. Iure ergo execratus tantum, non consecratus potuit dici, quem simul secum sacrare in unitate coniunctis membris non agnoscit ecclesia. Idem Viatori et Pancratio illustribus. Inter cetera. Sed quia se ab universali ecclesia diviserit, sicut beatus Augustinus ait. Omnis catholicus securus eam partem detestatur, cui ecclesiam universalem apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit. Idem in eadem epistola post pauca. Beatus Augustinus enuntiat de talibus. Qui adversum auctoritatem illarum ecclesiarum quæ apostolicas Sedes et epistolas accipere meruerunt temere credit immanissimum scismatis crimen a se propulsare non poterit.

CXLIII.

Pelagius Viatori et Pancratio. Inter cetera. A scismaticorum sacrificiis, potius autem sacrilegiis abstinere debetis. Idem in eadem epistola. Non est Christi corpus quod scismaticus conficit. Nec divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Unam ut sepe dictum est quæ Christi corpus est constat esse ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest. Simul enim cum ab ea quisque discesserit, esse desistit ecclesia. Unum Hierusalem templum est. Ydolis necesse est ut immolet, qui semetipsum diviserit.

CXLIIII.

Pelagius Iohanni Patricio Caburtario inter cetera. Mox antiquis fuit ut quia pro longinquitate itineris ab Apostolica sede hoc onerosum illos fuerat ordinari, ipsi se invicem Mediolanensis et Aquilegensis Episcopi ordinare debuissent. Ita tamen ut in ea civitate in qua erat ordinandus Episcopus alterius civitati pontifex occurrere debuisset. Et infra. Noli Catholicam semper mentem aliquem scismaticorum communione polluere. Unum Christi corpus unam constat esse ecclesiam. Divisum ab unitate Altare veritatem Christi corporis non potest congregare. Tolleranda sunt in compage corporis positorum etiam illa nonnumquam vitia quæ pro unitate interdum parcentes resecare non possumus. Quia et evangegelicum agricolam minus afferentem fructum palmitem, si tamen in vite maneat, purgare posse noster Salvator edocuit. Abscissum autem a vite palmitem nisi igni ad comburendum aptum esse non posse, eiusdem celestis magistri veritate didicimus. Noli ergo eorum qui igni apti sunt non consecrationibus sed execrationibus consentire. Nec existimes illos vel esse vel dici ecclesiam posse. Etenim sicut diximus cum Ecclesia una sit cui dicitur, Una est columba mea, nullam esse aliam constat nisi quæ in apostolica est radice fundata a

quibus ipsam fidem in universo propagatam orbe non potest dubitari. Ait enim Augustinus. Quod si nullo modo recte potest Ecclesia dici, quod scisma, restat ut quoniam æcclesia Dei nulla alia esse potest, ea sit quam sedes apostolicæ per successiones Episcoporum in radice nonnullorum hominum, malitia etiam si nota et excludi non possit, sed pro temporum ratione iudicetur toleranda ullomodo valeat extinguere.

CXLV.

Pelagius Valeriano patricio inter cetera. Nec in hac parte vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem Ecclesia faciat dum vel ea quæ committuntur reprimit, vel animarum salutem quærit. Errant huiusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur nisi qui ad malum cogit. Quod vero malum vel factum iam punit vel prohibet ne fiat, non persequitur iste sed diligit. Nam si ut illi putant nemo nec reprimendus a malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac divinas leges necesse est evacuari quæ et malis pœnam et bonis præmia iustitia suadente constituunt. Et item post pauca. Nam beatus Augustinus de talibus dicit. Multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectenda agenda sunt, quorum potius utilitati consulendum est quam voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet aspere, nunquam tamen amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit ut doleat, qui etiam ut invitus videtur dolere sanandus. Ecce videtis quemadmodum tanti patris testimonio non persequitur coercendo talia, sed diligit emendando tales semper æcclesia. Idem ad eumdem. Malum autem scisma est, et per exteras potestates huiusmodi homines debere opprimi, et canonicæ scripturæ auctoritas et paternarum nos regularum veritas docet. Et quidem scismaticos eos esse taliter per beatum Augustinum quem universalem veneratur ecclesia convincitur. Unde ait utrum scismatici non sint, qui se ab imminentissima et manifestissima auctoritate apostolicarum sedium separaverunt. Quisquis ergo ab apostolicarum divisus est se-

dibus, secundum istam beati Augustini sententiam, in scismate eum esse non dubium est. Et contra universalem æcclesiam altare probatur erigere. Sed quid de talibus insertus Calcedonensi synodo canon statuat, gloria vestra consideret. Ubi post alia sic dicit. Quia communione semetipsum suspendit æcclesiæ et collectam fecit et altare constituit et noluit vocanti Episcopo consentire, et noluit acquiescere, neque obedire, et prius et secundo vocanti se omnino damnari, nec unquam vel orationem mereri nec recipere eum posse honorem. Si enim permanserit turbas faciens, et seditiones ecclesiæ per extraneam potestatem tamquam seditiosum comprimi.

CXLVI.

Pelagius Valeriano patricio inter cetera. Sed nec licuit aliquando nec licebit particularem sinodum ad diiudicandum generalem synodum congregari. Sed quotiens aliqua de universali sinodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendum de hoc quod non intelligunt rationem, aut sponte hi qui salutem animæ suæ desiderant, ad apostolicas sedes pro percipienda ratione conveniunt, aut si forte sicut de talibus dictum est, peccator cum venerit in profundum malorum contempnit, ita obstinati hi et contumaces extiterint, ut doceri non velint eos ab eisdem Apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quoquomodo necesse est, aut ne aliorum perditio possint esse, secundum canones per seculares opprimi potestates.

CXLVII.

Gregorio Aregio Episcopo Franciis. Inter cetera. Preterea communis filius diaconus Petrus nobis innotuit. Quod fraternitas vestra tempore quo hic fuit poposcerit ut sibi et Archidiacono suo utendi dalmaticis licentia præberemus. Sed et quia ita hominum suorum infirmitate compulsa festinanter abscesserit, ut nec ipsam meror incumbens, diu,

ut dignum erat, et desiderata res poscebat, sineret imminere, et nos in multis implicitos ecclesiasticæ rationis consideratio novum hoc inconsulto et subito non permitteret indulgere, iccirco postulatæ rei prolongatus est effectus. Nec vero caritatis tuæ bona revocantes ad animum, huius auctoritatis rescripto te ad archidiaconem tuum dalmaticarum usum decorandos esse concessimus, easdemque dalmaticas dilectissimo filio nostro Ciriaco Abbate deferente transmisimus.

CXLVIII.

Gregorius Episcopo Siracusano. Inter cetera. Pervenit itaque ad nos quod diaconus Ecclesiæ Catinensis calciatus campagis procedere præsumpsisset. Quod quia actenus nulli per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo diaconibus ecclesiæ Mesanensis, quibus olim a prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum bene recolitis. Quia ergo tante temeritatis ausus non est leviter attendendus cum omni hoc fraternitas yestra subtilitate perquirat, utrum per se vel alicuius hoc auctoritate præsumpserit nobis subtiliter innotescat. Nam si neglegenter ea quæ male usurpantur omittimus, excessibus viam aliis aperimus.

CXLVIIII.

Gregorius Mauricio Imperatori. Inter cetera. Certe pro beati Petri Apostoli honore per venerandam Chalcedonensem sinodum universalis nomen Romano Pontifici oblatum est, sed nullus eorum nunquam hoc singularitatis nomine uti consensit. Quod est ergo quod nos huius vocabuli gloriam et oblatam non querimus et alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit. Idem Eulogio Alexandrino Patriarchæ inter cetera. Et quod est in sancta Calcedonensi synodo atque post a subsequentibus patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit, sed tamen nullus eorum hoc unquam uti voluit. Idem Narsi Comiti. Ephesinam autem

synodum perscrutantes, de Adelphio et Sabba et cæteris qui illic dicuntur esse dampnati, omnino nihil invenimus et estimamus quia sicut Calcedonensis synodus in uno loco ab ecclesia Constantinopolitana falsata est, sic aliquid tale et in Ephesina sinodo factum esse. Caritas ergo vestra vetustos omnino codices eiusdem sinodi requirat et illic videat si quid tale invenitur, mihique hunc codicem quem invenerit transmittat et novis codicibus passim non credat. Ex qua re dubius factus sum et nihil adhuc volui de hac causa prædicto fratri meo Iohanni scribere. Romani autem codices multo veriores sunt quam Græci quia vestra sicut nec acumina, ita nec imposturas habemus.

CL.

Gregorius Iohanni episcopo Siracusano inter cætera. Nam de Constantinopolitana ecclesia, quod dicunt quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod et piissimus domnus Imperator et frater noster eiusdem civitatis Episcopus assidue profitentur. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera ecclesia habet, ego minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bonis imitari paratus sum. Stultum est quod in eo se primum estimat, ut bona quæ vidit discere contempnat. Idem eidem inter cetera. Nam quod primas Bizacenis se Sedi Apostolicæ dicit subici, si qua culpa in Episcopis invenitur nescio qui ei subiecturus non sit. Cum vero culpa non exegit omnes secundum rationem humilitatis equales sumus inter cætera.

CLI.

Gregorius Martyno scolastico inter cætera. Illud tamen nobis omnino displicet quod aliquos Episcoporum sine Primatis sui epistolis ad comitatum profectos esse vel conventus significas illicitos celebrare. Sed quia sicut præfati sumus causarum origo vel qualitas omnino nobis ignota est, pronuntiare aliquid definitive non possumus, ne quod reprehensibile nimis est de rebus non bene cognitis sententiam proferre videamur.

CLII.

Gregorius Agnello Episcopo Fundano. Inter cetera. Quoniam propter cladem hostilitatis nec in civitate nec in ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia, ideo te hac auctoritate Terracinensis ecclesiæ Cardinalem constituimus sacerdotem. Et post pauca. Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est quoniam sic te prædicte Terracinensis ecclesiæ Cardinalem constituimus Sacerdotem ut et Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque eius prætereas.

CLIII.

Gregorius Iohanni Episcopo Squillaceno. Pastoralis cura officii nos admonet, destitutis Episcopis proprios constituere sacerdotes, qui gregem Dominicum pastorali debeant sollicitudine gubernare. Propterea te Iohannem ab ostibus captivitate Lissitanæ civitatis Episcopum in Squillacena Cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut et susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet a tua hoste imminente depulsus sis, aliam quia pastore vacat debeas ecclesiam gubernare. Ita tamen ut si civitatem illam hostibus liberam effici et Domino protegente ad priorem statum contigerit revocari, in eam in quam prius ordinatus es ecclesiam revertaris.

CLIIII.

Gregorius Agapito Abbati inter cetera. Quia igitur Monasterium quod in fundo Martiano provinciæ Campaniæ situm est, ita hostilitate faciente a congregatione funditus dicitur desolatum, ut nec unus exinde monachus qui aliquam illic sollicitudinem vel curam debeat adhibere remanserit. Tuo illud monasterio cum omnibus rebus suis vel quæ ei competunt

actiones utile perspeximus uniendum. Et post pauca. In quo etiam tui studii sit monachos deputare qui illic tempore quo intervallum de hoste fuerit et opus Dei celebrare et decenter debeant deservire.

CLV.

Gregorius Adeodato Abbati Neapolitano. In causa Basilii Episcopi Capuani et Clerici Neapolitanæ ecclesiæ. Ne constituere quicquam dubie videremur, deputatis cognitoribus instituimus interesse iudicium. Quibus renuntiantibus cognovimus Capuanum Episcopum nihil iuris in monasterio Craterensi habere.

CLVI.

Gregorius Natali Salonitano Episcopo inter cetera. Executionem vero antefati negotii Antonino Subdiacono nostro ex nostra præceptione mandavimus. Quatenus eius instantia et quæ sunt legibus canonicis placita decernantur et decreta Domino iuvante mancipeutur effectui.

CLVII.

Gregorius Heliæ Presbytero et Abbati. Filium vestrum Epiphanium mandastis ut ad sacrum ordinem provehere deberemus vobisque retransmittere. Sed in uno vos audivimus, in altero vero audire minime potuimus. Diaconus quidem factus est sed qui in ecclesia hac sacrum ordinem semel acceperit egrediendi ex ea ulterius licentiam non habebit.

CLVIII.

Gregorius universis Episcopis Hystriæ. Recordandæ memoriæ Vigilius Papa in urbe regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam vel Acephalos damnationis promul-

gavit sententiam. Ut igitur de tribus capitulis omnis a vobis auferatur dubietas, librum quem de hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius scripsit, vobis utile iudicavi transmittere.

CLVIIII.

Gregorius Presbyteris, Diaconibus et clero Mediolanensi. Inter cætera. Quoniam obeunte pastore, sine proprio vos non decet esse antistite, omnino grate suscepimus quod Deusdedit diaconum vestrum ad episcopatus officium vos unanimes elegisse Deo auctore signastis. Et infra. Ut igitur in ordinando eo qui a vobis electus est nulla possit mora contingere, Pantaleonem notarium nostrum transmisimus qui eum ut moris est annitente consensus nostri auctoritate faciat consecrari. Cui etiam de possessi vinculi quis magnus quondam presbyter commissas habuerat, vel de aliis vestræ ecclesiæ utilitantibus quid agere debeat in præsenti mandavimus. Vestra itaque ei dilectio in omnibus se devotam ut decet studeat exhibere. Idem ad eosdem. Iudicavi a vobis ultra non debet semel perlatus. Sed tanto nunc subtiliter iudicandus est quanto postmodum iudicandus non est. Idem ad eosdem. Nos in homine qui non a catholicis eligitur, nulla præbemus ratione consensum, nec si alicuius usurpatione factum fuerit, in locum vel ordinem illum sacerdotis suscipimus. Idem Maximo Salonitano. Nos consecrationem dicere nullomodo possumus quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata. Item Gregorius VII in V libro sui registri. Ordinationes eorum qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum patrum sequentes vestigia irritas esse censemus.

CLX.

Gregorius Antonino Subdiacono. Honoratus Archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ a sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione poposcerat, ut ab Antistite suo invitus pro-

vehi ad fortioris gradus honorem contra morem nullomodo cogeretur, hoc enim sibi fieri non provehendi gratia sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc iam sanctæ memoriæ decessor noster scriptis suis Natali fratri coepiscopo nostro interdixerat, ne prædictum Honoratum Archidiaconem invitum proveheret neve dolorem concepte ingratitudinis in corde retineret. Cumque et a me hæc eidem summopere fuerint interdicta, non solum mandata Dei neglegens, sed et scripta nostra contemnens prephatum Archidiaconem quasi ad fortiorem honorem provehens couatus est callide degradare. Unde auctum est ut eodem Archidiacono loco suo moto accersiret, qui eius obtemperare moribus potuisset. Quem Honoratum Archidiaconum arbitratum antistiti suo aliunde displicere non posse, nisi quod eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quam causam subtili voluimus et tunc sanctæ memoriæ decessor meus et nunc ego indagatione perquirere. Sed et sui suorumque actuum conscius personam ad iudicium postpositum destinare. Unde experientiam tuam præsentis præcepti auctoritate duximus fulciendam, quatenus conveniens in solana Natalem fratrem Coepiscopumque nostrum saltem tot scriptis admonitum studeat adhortari, ut supra memoratum Archidiaconum in suo statim loco suscipiat. Quod si facere hoc contumaciter ut cousuevit, forte distulerit, usum ei pallei qui ab hac sede est concessus, ex auctoritate sedis apostolicæ contradicito. Quem si etiam amisso palleo adhuc in eadem pertinacia perseverare perspexeris, Dominici quoque Corporis et Sanguinis eundem antistitem participatione privabis. Item ad eundem. Facto in persona quæ fuerit electa decreto, ad nos transmittere studebis ut cum nostro consensu sicut priscis fuit temporibus Salonitanus ordinetur antistes.

CLXI.

Gregorius Iohanni Siracusano Episcopo. Quorumdam ad nos relatione pervenit Cosmam qui ex monacho monasterii sanctæ Luciæ a decessore tuo venerandæ memoriæ Maximiano

in Ecclesia Siracusana Subdiaconus factus, atque a te postea in professione quæ vocatur Iuliana Presbyter dicitur ordinatus ita nimia tristitia et loci qualitate vehementer afflictus, ut vitam sibi penam exsistimet, et contritionis suæ quærat fuge auxilium. Et ideo quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nos si subiecti fuissemus nostros volueramus esse propositos, magne benignitatis est, si eum in ecclesia ubi subdiaconii est functus officio sanctitas tua reducere, atque illic presbyterum studuerit constituere cardinalem. Quod et facere quantum arbitramur debes, si nihil est quod iuste contra ipsum animos tuos exasperet. Si vero aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis fraternitas tua ut scire possimus insinuet.

CLXII.

Gregorius Universis Episcopis per universam Syciliam constitutis. Valde necessarium esse perspeximus, ut sicut decessorum nostrorum fuit iudicium, ita uni eiusdemque persone omnia comitamus, et ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum cui præcipimus repræsentetur auctoritas. Quamobrem Petro Subdiacono Sedis nostræ, intra provinciam Syciliam vicem nostram Deo auxiliante commisimus. Nec eius de actibus dubitare possumus, cui Deo auxiliante totum nostræ æcclesiæ noscimus patrimonium commisisse. Illud quoque fieri debere perspeximus ut semel per annum ad Syracusanam sive Cathenensium civitatem, universaliter honore quod dignum est sicut eidem iussimus, fraternitas vestra conveniat, quatenus ad utilitatem quæ provinciæ ipsius ecclesiarumque pertinent sive ad necessitatem pauperum oppressorumque sublevanda vel ad admonitionem omnium atque quorum excessus contigerit demonstrandi, congrua cum eodem Petro Subdiacono Sedis nostræ debeatis moderatione disponere.

CLXIII.

Gregorius Hylaro monacho Africæ. Felicissimus atque Vincentius Diaconi Ecclesiæ Lamiensis oblata petitione quæ

tenetur in subditis, sucgesserunt ab Argentio eiusdem civitatis Episcopo, gravem se iniustitiam pertulisse, et accepto præmio Donatistas in ecclesiis fuisse præpositos, eumque inter alia non leve aliud facinus quod dici nefas est commississe commemorant. Propterea experientiæ tuæ præsentis præcepti pagina duximus iniungendum, quatenus præphatum Episcopum idoneæ satisfactioni committere non omittas, tuaque instantia in locis illis fiat ex more concilium, et omnia secundum oblate textum petitionis canonice coram positis fratribus subtili indagatione perquirantur, et quæcumque eorum fuerint iudicio terminata te exequente modis omnibus compleantur. Sciturus non levem te offensam incurrere, si nostra fuerint quacumque excusatione letitata præceptio.

CLXIIII.

Gregorius Iohanni Episcopo Constantinopolitano inter cætera. De causa enim reverentissimi viri Iohannis Presbyteri scripseram, atque de questionibus monachorum Ysauriæ quorum unus in sacerdotio positus in ecclesia vestra fustibus cesus est. Et rescripsit mihi sicut ex nomine epistole agnosco, sanctissima fraternitas tua quia nescires de qua causa scriberem. Ad quod rescriptum vehementer opstipui mecum tacitus volvens quod si verum dictum quod esse deterius potest, quia ut agantur talia contra servos Dei et ipse nesciat quod præstu est? Quæ enim potest esse pastoris excusatio, si lupos oves comedit et pastor nescit? Et post pauca. Ego beatissimo viro Domno Iohanni scripseram. Sed credo quia mihi familiaris vester ille iuvenculus rescripsit, quia adhuc de Deo nichil didicit, qui viscera caritatis nescit, qui in scelestis rebus ab omnibus accusatur. Michi crede frater sanctissime si zelum veritatis perfecte habes illum a te proiicere debes. Si fraternitas vestra illum audit, scio quia pacem cum suis fratribus habere non poterit. Et quamvis cum omnibus hominibus habere summopere pacem cupiam, vobiscum præcipue quos vehementer amo, si tamen ipsi quos novi vos estis. Nam si canones non custodistis

et maiorum vultis statuta convellere, non cognosco qui estis. Age ergo frater dilectissime atque karissime ut nos invicem recognoscamus, ne si antiquus hostis per scandalum duos moverit, per nequissimam victoriam multos necet. Ego enim ut aperte iudicem qui prælatione nil quero si ille iuvenculus de quo prælocutus sum apud fraternitatem tuam culmen pravæ actionis minime teneret ut ipse etiam quæ mihi de canonibus suppetunt interim tacere potuissem, et ab ipso initio venientes ad me personas ad vos fiducialiter retransmisissem, sciens quod eas sanctitas tua cum caritate susciperet. Sed etiam nunc dico aut easdem personas in suis ordinibus suscipere eisque quietem præbe, aut si hoc fortasse nolueris, mihi omni altercatione postposita de eorum causa statuta maiorum et canonum terminos custodi. Si vero neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus sed tamen venientem a vobis non devitamus. Quod autem de Episcopis qui verberibus timeri volunt canones dicant, bene fraternitas vestra novit.

CLXV.

Canones Apostolorum.

Gregorius Mauritano Episcopo Ravennæ. Inter cætera. Numquid non ipse nosti quia causa quæ a Iohanne Presbytero, contra Iohannem Constantinopolitanum fratrem, et coepiscopum nostrum orta est, secundum canones ad Sedem Apostolicam recurrit, et nostra est sententia definita. Si ergo de illa civitate ubi princeps est, ad nostram causam cognitionem deducta est, quanto magis negotium quod contra vos est, hic est veritate cognita terminandum. Gregorius Iohanni Episcopo primæ Iustinianæ Illirici post pauca. Nos quoque in persona fraternitatis tuæ per omnia consentimus, atque omnipotentem Deum deprecamur ut caritatem vestram sicut sua gratia elegit, ita in omnibus suam protectionem custodiat. Palleum vero ex more transmisimus, et vices vos Apostolicæ sedis agere iterata innovatione decernimus.

CLXVI.

Gregorius Theodorito, Demetrio, Philippo, Zenoni et Alcisoni Episcopis Epyri. Scriptorum vestrorum insinuatio frater karissime patefecit Andream Nicomeditanæ civitatis Episcopum Deo propitio sollemniter ordinatum. Cui Palleum nos direxisse cognoscite, atque cuncta privilegia concessisse quæ prædecessores nostri eius prædecessoribus contulerunt.

CLXVII.

Gregorius Iohanni Episcopo Corinthiorum. Inter cætera. Pallium vero sicut per epistolam vestram quam per Andream fratrem et coepiscopum nostrum suscepimus postulastis direximus. Quo vos ita uti necesse est sicut prædecessores vestri usi concedentibus nostris prædecessoribus approbantur. Idem Regi Francorum. Inter cætera. Prisca consuetudo optinuit, ut honor pallei nostri nisi exigentibus causarum meritis et fortiter postulanti dari non debeat.

CLXVIII.

Gregorius Iohanni Episcopo Ravennati. Post pauca. Pervenerat namque ad nos quædam in ecclesia vestra contra consuetudines atque humilitatis tramitem geri, quæ sola ut bene nosti est officium sacerdotale erectio. Quæ si sapientia vestra mansuete vel cum episcopali suscepisse studio non de illis accendi debuerat, sed oportuerat te hæc eadem cum gratiarum actione corrigere. Contra morem quippe ecclesiasticum est, si non patientissime tolleratur quod a nobis absit etiam iniuxta correptio. Item in eadem. Nullus Metropolitanus in quibuslibet mundi partibus est auditus, extra Missarum tempus usum sibi pallii vendicasse. Et infra. Illud autem quæ pro utendo a clero vestro mappulis scripsistis, a nostris est clericis fortiter obviatum dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet concessum fuisse æcclesiæ. Nec Ravennates clericos vel illic vel in Romana ci-

vitate tale aliquid cum sua conscientia præsumpsisse. Nec si temptatum fuisset ex furtiva usurpatione sibi præiudicium generari. Sed etiam si in qualibet ecclesia hoc præsumptum fuerit, asserunt emendandum quia non concessio est Romani Pontificis, sed sola surreptione presumitur.

CLXVIIII.

Gregorius Romano Defensori. Perlatum ad nos est reverentissimum fratrem nostrum Basilium Episcopum velud unum de laicis in causis secularibus occupari, et prætoriis inutiliter observare. Quæ res quum et ipsum vilem reddit, et reverentiam sacerdotalem annichilat, statim ut experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad revertendum districta executione compellat, quatenus ei illic te insistente, V diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat, ne si quomodolibet eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos incipias graviter esse culpabilis.

CLXX.

Gregorius Athenio Subdiacono. Pervenit ad nos Pimenium Amalfitane civitatis Episcopum in ecclesia sua residere non esse contentum, sed foris per loca diversa vagari. Et infra. Iccirco hac tibi auctoritate præcipimus, quatinus hoc de cætero facere non præsumat, sed in ecclesia sua sacerdotali more resideat. Quem si forte non emendare post tuam interminationem cognoveris in monasterium eumdem putare, et nobis curabis modis omnibus iudicare ut quid facere debeas nostra item preceptione cognoscas.

CLXXII. *(sic)*

Gregorio Athemio Subdiacono Campaniæ. Pervenit ad nos fratrem et coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem et neglegentem in cunctis existere ut in nullo quia est episcopus

agnoscatur. Adeo, ut neque ecclesia ipsius, neque monasteria, sive filii, vel oppressi pauperes eius erga se dilectionis studium sentiant, nec aliquibus supplicantibus sibi in quibus iustum est opem defensionis accomodat, et quo adhuc dici est gravius, consilia sapientium et recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere, ut qui per se nequid attendere, ab alio saltem possit addiscere. Et infra. Quod si ita est, non sine tua culpa esse cognoscas qui eum obiurgare atque coercere ut dignum est distulisti. Et paulo post. Volumus ut eum coram aliis sacerdotibus vel quibusdam de filiis suis nobilibus contestari pro hac re debeas et ortari. Si vero quod non credimus post hanc adhortationem nostram, solito adhuc more neglegens esse temptaverit, ad nos eum modis omnibus transmittendus, ut hic positus discere possit, quid vel qualiter secundum Dei timorem agere conveniat sacerdotem.

CLXXIII.

Gregorius Athemio subdiacono Campaniæ. Pervenit ad nos Campaniæ episcopos ita neglegentes existere, ut immemores honoris sui genio, neque erga ecclesias, neque erga filios suos paterne vigilantiæ curam exibeant, vel monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in oppressorum se pauperum tuitionem impendant. Ideoque hac tibi auctoritate præcipimus, ut eis ad te convocatis, ex nostro illos mandato districte commoneas, quatinus ita in his quæ eos iuste secundum Deum agere convenit vigilantes existant, ut nullum nos de eis denuo murmur exasperet. Si quem vero eorum post hoc neglegentem esse cognoveris, ad nos eum sine aliqua excusatione trasmitte, ut quam sit grave nolle ab his quæ reprehensibilia et valde vituperanda sunt corrigi, regulari in se valeat districtione sententiæ.

CLXXIIII.

Gregorius omnibus Episcopis. Nulli fas est vel velle vel per se transgredi Apostolicæ sedis præcepta, nec cuius disposi-

tionis ministerium, quod omnium sequi oportet caritatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat, nec de eius iudicio quisquam postea curam habeat, quoniam iam damnatus a sanctæ apostolicæ ecclesiæ auctoritate et propria inobedientia atque præsumptione a quoquam esse non dubitatur. Quia maioris excommunicationis deiectione est exigendus, qui non sunt prælatæ Sanctæ Ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiam aliis ut perire persuasit. Sit ergo alienum a divinis et pontificalibus officiis qui noluit præceptis obedire Apostolicis.

CLXXV.

Gregorius in omeliis Ezechiel Prophetæ. Thronus Domini flamma ignis, rotæ ignis accensus. Hi qui animarum custodiam de suis et pascendi gregis onera susceperit, mutare loca minime permittuntur. Sed quia uno in loco positi, divinitatis in se præsentiam portant et ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Gregorius licet monasteria et Episcopatus unierit atque vacantes episcopos vacantibus civitatibus incardinaverit, nunquam tamen aliquem Episcopum a sua ecclesia vel ipse in aliam commutavit, vel sub quacumque occasione migrare consensit.

CLXXVI.

Gregorius in V libro moralium. Sepe enim quia intelligi non valent deterioribus displicent vel dicta vel facta meliorum. Sed eo ab eis temere reprehendenda non sunt quo apprehendi veraciter nequaquam possunt. Sepe aliquid a maioribus dissimulatorie agitur, quod a minoribus error putatur. Sepe multa a foribus dicuntur quod iccirco infirmi diiudicant, quia ignorant. Quod bene bubus calcitrantibus inclinata illa testamenti arca significavit. Quia qui casuram cedens levitis ut erigere voluit, mox sententiam mortis accepit. Quid est namque mens iusti, nisi arca testamenti? quæ gesta a bubus calcitrantibus

inclinatur, quia nonnumquam etiam qui bene præest dum subiectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationem condescensionis ex sola dilectione permovetur. Sed in hoc quoque dispensatorie agitur. Inclinatio ipsa fortitudinis casus putatur imperitis. Unde et nonnulli subditi contra hanc manum reprehensionis mittunt sed avita protinus ipsa sua temeritate deficiunt. Levitis ergo quasi adiuvatis manus tetendit sed delinquens vitam perdidit quia dum infirmi quoque fortium facta corripiunt, ipsa viventium sorte reprobantur. Aliquando etiam sancti viri quædam minimis condescendentes dicunt quædam vero summa contemplantes proferunt. Dumque vim vel condescentionis nesciunt vel altitudinis audacter vel stulti reprehendunt. Et quidem iustum de sua condescensione velle corrigere nisi inclinatam arcam superba reprehensionis manu velle relevare? Quid est iustum de incognita locutioue reprehendere nisi modum eius fortitudinis lapsum putare? Sed perdat vitam qui arcam Dei tumide sublevat, quia nequaquam sanctorum corrigere recta præsumeret nisi de supernis meliora sensisset. Unde et Levitis idem recte Oza dicitur quod videlicet robustus Domini interpretatur, quia præsumptores quique nisi audaci mente robustos se in Domino crederent, neque quam meliorum facta vel dicta velut infirma iudicarent. Amici ergo Iob dum contra eum quasi in Dei defensione prosilirent, divini præcepti regulam superbientes excedunt. Cum vero quædam facta meliorum deterioribus displicent, nequaquam hoc quod mente movet reticendum est sed cum magna humilitate proferendum, quatinus intentio pie sentientis eo vere servet formam rectitudinis, quo præitur gradus humilitatis. Et libere ergo dicenda sunt quæ sentimus et valde humiliter quod promonenda quæ dominis, ne et recta quæ intendimus, hæc elate proferendo non recta faciamus. Paulus auditoribus suis multa humiliter dixerat sed de ipsa exhortatione humili, placare eos adhuc humilius satagebat dicens. Rogo autem vos fratres ut sufferatis verbum solacii. Et enim perpauca scripsi vobis. Ephesiis quoque Mileti valde dicens, afflictis ac gementibus humilitatem suam ad memoriam revocat dicens. Vigilate memoriæ retinen-

tes quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrimis monens unumquemquó vestrum. Idem rursus per epistolam dicit. Obsecro vos fratres ut digne ambuletis, hinc ergo colligat si aliquando aliquid recte sentit, quanta humilitate debet magistro loqui discipulos si ipse magister gentium in his quæ cum auctoritate prædicat tam submisse discipulos rogat, hinc unusquisque colligat, eis a quibus bene vivendi exempla percepit, hoc quod bene intelligit quam humiliter dicat, si Paulus humili voce se illi subdidit quos ad vitam ipse suscitavit.

CLXXVII.

Gregorius in I libro moralium. Iob dicitur dolens, Us consiliator. Intueudum est quam nullus dolor sit mentis in actione præcipitationis. Qui enim sine consiliis vivunt, qui semetipsos rerum eventibus præcipites deserunt nullo interim cogitationum dolore fatigantur. Nam qui sollerter in vitæ consilio figit mentem caute esse in omni actione circumspiciendo considerat et ne ex re quæ agitur repentinus finis adversusque supripiat, hoc prius mollito posito pede cogitationis palpat. Pensat ne ab his quæ agenda sunt formido non præpediat, ne in his quæ differenda sunt præcipitatio impellat, ne prava per concupiscentiam aperto bello superent, ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent. Iob ergo intra Hus habitat dum mentis electis quo magis per consilium vivere nititur, eo angusti itineris dolore fatigatur. Boni enim viri freno consilii retinent præcipitationem verbi et caute considerant ne relaxantes lingue lasciviam, auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Idem in eisdem. Grande consilium cordis omnem inconstantiam vagationis expellit. Sunt enim homines qui levi motu, nec ista, nec illa desiderent. Omnipotens vero Deus quia ipsas leves fluctuationes initium non leviter pensat, vagationes cordis relinquendo diiudicat. Sed cum per gratiam respicit vagam mentem in consilii stabilitatem figit. Cum vero leves motus hominis misericorditer respicit, hoc protinus ad constantiæ maturitatem format atque ad supernæ gratiæ respectum cor eius ad gravitatem consilii repente perducit.

CLXXVIII.

Gregorius in XVI libro moralium. Maledicta sit par eius in terra, nec ambulet per viam vinearum. Via vinearum est rectitudo ecclesiarum. Quare seu hereticum seu carnalem nichil obstat intelligi. Quia via vinearum idest rectitudo ecclesiarum amittitur dum vel fides recta, vel rectitudo ecclesiarum iustitiæ non tenetur. Ille namque per viam vinearum ambulat, qui universalis ecclesiæ prædicationem pensat, et neque a fidei neque a bonorum actuum rectitudine declinat.

CLXXVIIII.

Gregorius in XXII libro moralium. Terra contra possessorem clamat, si contra eum qui sibi præest aliquid iniustum vel privata domus vel sancta ecclesia murmurat. Clamare quippe contra regentis iniustitiam rationabiliter subiectos dolere. Sequitur fructus eius non commedi absque pecunia. Fructus etenim terræ absque pecunia comedere est, ecclesiasticos quidem sumptus accipere, sed eidem ecclesiæ prædicationis pretium non præbere. Unde auctoris voce dicitur. Oportuit te pecuniam meam committere numulariis, et veniens ergo recepissem quod meum erat cum usura. Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exortationis ministerium populo non impendit. Quod ab hoc nos pastores dicimus qui adventum districti iudicis præcurrentes, officium quidem præconis suscipimus. Sed alimenta ecclesiastica mitti manducamus? Exigimus quod nostro debetur corpori, sed non impendimus quod subiectorum debemus cordi. Hoc namque debet omnipotenti Deo omnis qui præest populo, hoc qui multis hoc qui paucioribus præest ut sic debita ministeria a subditis exigat, quatinus quid ipse etiam semper admonitionis eis debeat sollicitus attendat.

CLXXX.

Pestilentia supra modum seviente, quia ecclesia Dei sine rectore esse non poterat. Gregorium licet totis viribus renitentem Clerus Senatusque et populus Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus devitare decernens, sese indignum tali honore clamitabat. At ubi decretum generalitatis evadere nequiret consensurum se tandem aliquando simulavit, et Imperatori Mauricio cuius filium ex lavacro sancto susceperat latenter literas destinavit, adiurans et multa prece deposcens ne unquam assensum populis præberet, ut se huius honoris gloria sublimarent. Sed Præfectus Urbis Germanus nomine eius nuntium anticipavit comprehensumque ac diruptis epistolis, consensum quem populus fecerat Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia Diaconi eo quod locum deferendi ei honoris ut cupierat repperisset, data præceptione ipsum ordinari præcepit.

CLXXXI.

Mox ut Gregorius Episcopus Apostolicæ Sedis enituit, patriarchalibus sedibus synodicam destinavit, et postmodum Secundino servo Dei incluso inter cætera scribit dicens. Hinc est quod quotiens in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum cum aliis generalibus synodis custodire fateantur. Et post pauca. Quam videlicet consuetudinem sicut nostri quoque qui ante biennium ab Adriano liberalissimo Papa in sancta VIII' synodo præfuere testantur, ita orientales præcipue retinent usque actenus sedes, ut in dipticis suis nullius Pontificis nomen describant, quousque ipsius synodicam suscipiant et tamdiu defunctum pontificem inter viventes annumerent, quamdiu successor illius suas litteras studuerit destinare.

CLXXXII.

Gregorius. Qui provectionem suam divino iudicio in cuius nimirum manu corda regum consistentia, quocumque voluerit inclinantur, non caducis humani favoris viribus deputabat. Mauricio Imperatori libera voce contradicebat.

CLXXXIII.

Ex IIII libro vite eiusdem cap. XXXIII.

Ab aliis Episcopis communione privatos Gregorius communioni pristinæ reformabat. Quapropter magno Presbytero Mediolanensis æcclesiæ scribens ait. Sicut exigente culpa digne quis sacramento communionis abicitur, ita insontibus nullomodo talis irrogari debet vindicta. Comperimus siquidem quod Laurentius frater et coepiscopus noster nullis te culpis extantibus communione privaverit. Ideoque huius præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuum securus perage et communionem sine ulla formidine sume.

CLXXXIIII.

Ex cap. XXXIIII eiusdem libri.

Dum tibi Athanasio Presbytero monasterii sancti Mile cui est vocabulum Tannaeo, quod illicaonia est provincia constitutum, contraria integre fidei fuisset orta suspicio, ut professionis tuæ potuisset integritas apparere, ad apostolicam sedem cui præsidemus elegisti recurrere, asserens etiam te corporaliter verberatum et tibi aliqua iniuste ac violenter facta esse. Et quamquam ea quæ vi impulsionis fiunt, canonum minime censura recipiat, et iure habeantur infirma, quia ipse ea dissolvit, qui iniustum fateri compellit, sed magis illa est suscipienda et amplectenda confessio, qui ex spontanea monstratur voluntate procedere, sicut apud nos fecisse dinosceris, ne quid tamen nobis ambiguum potuisset existere, sanctissimo Iohanni quon-

dam fratri nostro Constantinopolitanæ civitatis antistiti, de te previdimus scribendum, ut suis nos quid actum esset epistolis informaret. Qui sepe a nobis admonitus rescribens innotuit codicem aperte fuisse inventum, quo plura continebantur heretica, et ob hoc se adversus dilectionem tuam fuisse commotum. Quem quia ad nos studuit pro satisfactione transmittere priores eius partes sollicita lectione percurrimus. Et quoniam manifeste in eo hereticæ infectionis venena repperimus, ne denuo legi debuisset vetuimus. Sed quia hæc te simpliciter legisse testatus es et ad amputandam ambiguæ suspicionis materiam libellum nobis manu tua porrexisti præscriptum in quo fidem tuam exponens, omnes generaliter hereses vel quidquid adversus Catholicæ professionis integritatem est apertissime condempnasti, et cuncta quæ sanctæ IIII^or universales synodi recipiunt te semper recepisse, ac quæ condempnaverunt condemnasse condemnareque professus es, eam quoque sinodum quæ Imperatoris Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est te et suscipere et custodire promisisti, et prohibitus a nobis codicem ipsum legere in quo pestifere fraudis virus innexum est libentissime consessisti, reprobans etiam atque condemnatis omnia quæ in eo contra Catholicam fidem Domino custodiente præclaruit, ab omni te hereticæ perversitatis macula iuxta promissionem tuam liberum esse decernimus, et catholicum atque sincere in omnibus fidei promissorem ae sequentem Ihesu Christi Salvatoris gratiam claruisse pronuntiamus, liberam quoque tribuendo licentiam ad tuum monasterium in tuo te loco vel ordine nihilominus remeari.

CLXXXV.

Ex synodica beati Gregorii Pp.

Sicut sancti Evangelii IIII^or libros sic IIII^or concilia suscipere et venerari me fateor. I. Nicenum scilicet CCC XVIII Episcoporum in quo perversum Arrii dogma destruitur. II. Constantinopolitanum vero CL patrum quo Eunomii et Macedonii error convincitur. III. Ephesinum vero primum CC Episcoporum

in quo Nestorii impietas iudicatur. IIII. Chalcedonense vero DCXXX in quo Euthichis Dioscorique perversitas reprobatur. Quintum quoque Concilium CLXIIII Patrum pariter veneror, in quo epistola quæ Ibe dicitur erroris plena reprobatur et Theodorus personam mediatoris Dei et hominum in duabus subsistentiis separans ob impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scita quoque Theodoreti per quæ beati Cirilli fides reprehenditur ausu dementiæ prolata refutantur.

CLXXXVI.

Ex libro vitæ eiusd.

Gregorius illi vel illi Episcopo. Obitum illius Episcopi directa relatio patefecit. Quapropter visitationis ecclesiæ destitute fraternitati tuæ operam sollempniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nichil de provectionibus clericorum ac de reditu et ornatu ministeriisque vel quicquid illud est in patrimonio eiusdem ecclesiæ a quoquam præsumatur. Et ideo fraternitas tua ad prædictam ecclesiam ire præparabit, et assiduis adhortationibus, et clerum plebemque eiusdem ecclesiæ admonere festinet, ut remotu studio, uno eodemque consensu talem præficiendum sibi expectent sacerdotem, qui et tanto ministerio valeat dignus reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus cum sollempnitate decreti omnium subscriptionibus laborati, et dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandum occurrat. Commonentes etiam fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis in qua visitationis tuæ impenditur officium nullus ad Episcopatum dignus quod evenire non credimus poterit inveniri. Provisurus ante omnia ne ad cuiuslibet conversationis meritum laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinis tui quod absit incurras. Monasteria autem si qua sunt in ipsius constituta parrocchia, sub tua cura dispositioneque quousque illic proprius fuerit ordinatus, esse concedimus.

CLXXXVII.

Ex registro.

Gregorius Maximiano Syracusano Episcopo inter cetera. Visitatores Ecclesiarum Clericique eorum qui cum ipsis per non suæ civitatis parræchias fatigantur, aliquid laboris sui capiant disponente subsidii. Iustum namque est ut illic consequantur stipendium, quo pro temporo suum commodare reperiuntur obsequium.

CLXXXVIII.

Ex registro Honorii Pp.

Honorius Iohanni, Andreæ, Stephauo, et Donato Episcopis. Presentium latores iuxta ecclesiasticam disciplinam palleum nos Hypatio Nicopolitanæ ecclesiæ diaconus quem in sacris ordinibus Episcopum ordinastis petierit votis supplicibus dirigendum. Et quia eius persona pendula nos dubietate sollicitat, ne fortassis in nece Sotherici præfate civitatis antistitis videatur esse commixta, presentium portitoribus quantum oppinamur visi sumus reddidisse responsum, ut assumpto fatigio cum præsentit tempora pacis spatiantur, in has romanas partes venire deproperet, ut iusiurandum in confessione beati Petri Apostoli præbeat, quod nullo dolo vel machinatione a se constructa, aut aliis hoc machinantibus præbuit in hoc quoquomodo consensum, ut ab omni vitio dubietatis exempto, possimus secundum ecclesiasticum ordinem tribuere quod rogamur. Nam dum prædictus Sothericus de quibusdam capitulis fuisset suspectus, in hanc urbem deveniens, ad beatum Petrum Apostolorum Principem de conscientiæ suæ puritatem præbuit nichilominus iusiurandum. Datum Idibus Decembris Indictione XIIII.

CLXXXVIIII.

Honorius Sergio Subdiacono. Post parvi temporis spatium quædam nobis sunt capita adversus Calaritanæ civitatis Ar-

chiepiscopum, vel eius Clericos nuntiata. Pro quibus exquirendis, atque canonica discretione in hac Romana civitate ventilandis, non solum prephatæ civitatis Episcopum emissa perceptione, sed etiam eius clericos de quibus referebatur aliqua commisisse, præcipimus evocare. Et quia ante factus quidem Episcopus secundum quod Dei iussum fuerat in hanc civitatem venire curavi, eius vero clerici proprio reatu convicti venire timentes, visi sunt a sacra communione privari, et anathematis vinculo innodari. Et post hoc misso Barbato defensore, regionario sanctæ nostræ Ecclesiæ ad eandem civitatem Calaritanam, ut prædictos Clericos debuisset deducere, actum est ut Theodorus quidam perversus eiusdem Sardiniæ diabolica intentione arreptus, venire eos iam navi impositos prohibuit, et violenter ablatos in Africanam provinciam destinavit. Scripsimus itaque filio nostro Georgio Præfecto, tale tantumque facinus Theodoro eiusdem insulæ præsidi iubere corrigere, et ipsas personas nostræ iurisditioni suppositas, nobis in hanc civitatem Romanam dirigere. Propterea experientia tua eidem eminentissimo præfecto imminendum deproperet, ut tanti viri facinus ulciscendum studeat, et eas nobis personas dirigire non omittat. Sciens quia non solum hi qui crimine tenentur obnoxii a sacra sunt communione privati, et anathematis poena multati, sed etiam hi qui cum eis videntur coniuncti. Exemplar vero sacræ Theodoxi et Valentiniani tuæ experientiæ curavimus destinandum, et eidem eminentissimo præfecto per tuam experientiam dirigendum, cuius series non solum eius eminentiam verum etiam omnes omnino qui a sedis apostolicæ ditione exorbitare contendunt nihilominus informare, quemadmodum serenissimi principes hactenus omnes innovaverunt cuncta privilegia Sedis Apostolicæ, et quæ olim eidem sunt concessa ipsa lectione poterit approbari. Nam de Domini Dei nostri misericordia confidimus, quod iura vel privilegia beati Petri curabimus expetere, atque inmutilata intentione quæsita atque impetita defendere. Tua ergo experientia eiusdem sacre tenore attentius relegendo suffulta, non solum eminentissimo præfecto, sed etiam aliis hæc eadem insinuare non

differat. Nobis autem de his omnibus sicut divinus favor impuncxerit, curat ei ac sollicitudo iuxta tramitem æquitatis sine dubio deliberare, atque utilius fine canonico terminare. Datum IIII Idus Iunii Indictione XV^a^.

CXC.

Ex registro Gregorii iunioris.

Gregorius omnibus Episcopis in Tuscia Longobardorum. Meminit fraterna sanctitas vestra tempore ordinationis suæ per chyrographi et sacramentum vinculum beato Petro principi Apostolorum spopondisse, ut in emergentibus utilitatibus sanctæ eius ecclesiæ, totis viribus elaboretis. Igitur quia præsentes viros Anastasium dilectum filium nostrum presbyterum et Adeodatum regionarium subdiaconum nostros fideles, ad obsecrandum et Deo favente optinendum, pro IIII castris, quæ anno præterito beato Petro ablata sunt restituantur, a filiis nostris Liuthprando et Hylprando supplicare destinavimus. Ecce dilectissimi fratres tempus acceptabile ut iuxta cyrographum vestrum boni operis fructum beato Petro afferatis, cuius auctoritate vos hortamur in Domino, ut ad eosdem cum prædictis filiis nostris properetis, ut a Deo inspirati, protectoribus eorum beatis principibus Apostolorum Petro et Paulo eadem castra restituantur. Nam si quod non credimus distuleritis iter arripere propter Deum, ego quamquam imbecillis sim pro infirmitate corporis, iter arripiam laboriosum, et videbo ne vestra negligentia vobis ad obligationem ex nodo pacti pertineat. Datum Idus Octuber. Indictio VIIII.

CXCI.

Iohannes Episcopus. Williberto Agrippinensi Episcopo. Inter cetera. Optatum tibi Pallium nec conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus quam oporteat continere reperimus. Cum videlicet nullam in ea sanctarum universalium sinodorum in quibus nostræ fidei symbolum continetur, nec de-

cretalium Pontificum Romanorum constitutorum, secundum morem feceris mentionem. Sed nec illam propria subscriptione munieris, nec quod aliquem hanc iure iurando firmanda miseris.

CXCII.

Iohannes Episcopus dilecto filio Michaheli glorioso regi, seu toti generalitati gentis Bulgaricæ. Inter cetera. Porro si Græcorum perfidia sese a regione vestra, quæ in nostra utique diocesi posita est ut antiqua scripta demonstrant minime cohibuerit, scitote quia patriarcham Ignatium qui sedis nostræ favore thronum recepit, denuo depositionis tamquam violentum et temerarium submittemus, et Episcopos ac Presbyteros Græcorum, qui illic inveniuntur depositioni et anathemati subigemus.

CXCIII.

Iohannes Episcopus dilecto filio Hludoico glorioso regi inter cætera. Multis ac variis manifestisque prudentia tua potuit indiciis comprehendere, Pannonicam diocesin ab olim Apostolice sedis privilegiis deputatam, si apud excellentiam tuam iustitia de illo cum sicut decet invenerit. Hoc enim synodalia gesta iudicant, hystoriæ conscripte demonstrant. Verum quia quibusdam hostilium turbationum simultatibus impedientibus illuc ab Apostolica Sede non est diu ex more directus antistes, hoc apud ignaros venit in dubium. Et infra. Nemo autem de annorum numero resultandi sumat fomentum, quia sanctæ Romanæ cui Deo auctore servimus Ecclesie privilegia, quæ in firme petræ stabilitatis petra suscepit, nullis temporibus angustantur, nullis regnorum partionibus præiudicantur. Sed et venerandæ Romanæ leges divinitus nonnisi post C. annos admittunt.

CXCIIII.

Iohannes Episcopus glorioso viro Karolomanno dilecti filii nostri Hludoici regis filio, inter cetera. Itaque reddito ac

restituto nobis Pannoniensium Episcopatu, liceat prædicto fratri nostro Methodio qui illic a Sede Apostolica ordinatus est secundam priscam consuetudinem libere, quæ sunt Episcopi gerere. Idem. Monte mero dulcis Clavanie, inter cetera. Quapropter admonemus te ut progenitorum tuorum secutus morem, quantum potes ad Pannonensium reverti studeas diocesin. Et quia illic iam Deogratias a sede beati Petri Apostoli Episcopus ordinatus est, ad ipsius pastoralem recuras sollicitudinem.

CXCV.

Iohannes Episcopus commonitorium Paulo Episcopo fungenti legatione in Germaniam et Pannoniam, inter cætera. Nam non solum intra Italiam ac cæteras Hesperies provincias verum etiam intra totius Illyrici fines consecrationes ordinationes et dispositiones Apostolica sede patrate antiquitus consuevit, sicut nonnulla regesta et conscriptiones synodales, atque ipsarum quoque plurima ecclesiarum in his positarum demonstrant monimenta. Et infra. Porro si de annorum numero quos forte causatur sciat quod inter Christianos et eos qui unius fidei sunt, numerus certus affixus est. Ceterum ubi paganorum et incredulorum furor in causa est, quantalibet prætereant tempora, iuri non præindicat ecclesiarum, quæ corporalia nescientes arma, solum Dominum et propugnatorem suum quin ei placuerit misereri patienter expectant. Verum si annorum prolixitas in talibus impedit ergo Deus ipse reprehendendus est, qui CCCC et XXX annos filios Israhel de durissima servitute Pharaonis et fornace ferrea liberavit. Sed et ipse per se Redemptor, qui omnium genus post tot annorum millia de inferni claustris eripuit.

CXCVI.

Ex regesto VI. Stephani.

Stephanus Episcopus servus servorum Dei: Romano Archiepiscopo Ravennati. Nosse tuam venerabilitudinem volu-

mus ad nostras apostolicas aures fore perventum, Immolæ Episcopum ab hac luce migrasse. In cuius successoris electione populi divisionem pervenisse audivimus. Quod quia sepe contingere solet, quærentibus singulis, quæ sua sunt, non quæ Ihesu Christi, adeo non miramur. Verumtamen plurimum in hoc tuam oportet adhiberi sollicitudinem, ut convocato clero et populo, taliter inibi eligantur per Dei misericordiam, cui sacri non obvient canones. Sacerdotum quippe est electio, et fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus non sequendus est populus. Idem. Walperto Patriarchæ. Inter cætera. Nec vero iterato tibi scribimus nolentes alicuius ecclesiæ privilegium infringere, licet apostolica prærogativa possimus de qualibet ecclesia clericum ordinare. Desine iam cuiuspiam zelo Cumensi ecclesiæ antistitem protelare. Quia si protelaveris, et eum consecrare, tantotiens monitus consecrare non maturaveris, cum ad nos venerit proculdubio consecratus abibit.

CXCVII.

Ex reg. VII Gregorii cap. LXVII et LXVIII in lib. VII.

Pervenit ad nos te fratrem et coepiscopum nostrum Heinricum Leodicensem Episcopum ad Apostolorum limina venientem ab Arnulpho comite rebus tuis te expoliatum et ad nequitiæ augmentium gladiis iurare compulsum quod ablata nunquam repeteres, et huius tanti sceleris a nobis sibi veniam impetrares. Cognita itaque contumelia tibi immo beato Petro illata, valde doluimus asserentes fraternitatem tuam nullis iuramenti vinculis posse teneri, quæ tam nefandissime coacta iuraverit. Unde et Apostolica te auctoritate absolvimus, ut nec tuæ vel alicuius conscientiæ ob hoc videaris innexus. Insuper etiam eadem freti potestate, ne hoc in exemplum cæteris improbe audendi peiora sit futurum, fratri nostro Virdunensi Episcopo, et aliis illius patriæ beati Petri fidelibus summopere præcipimus, ut eum ut tyrannum et Christianæ religionis conculcatorem inpugnent, et armis tam carnalibus quam spiri-

tualibus undique et ubique quantum possunt nisi digne satisfecerit insequantur. Volumus itaque ut præphatus Episcopus prius quoscumque potest Episcopos et reliquos Sacerdotes sibi adiungant et illum Dei inimicum ad dignam satisfactionem convocet. Quod si digne penitere, et ablata restituere noluerit, datis sibi XV dierum indutiis, introitu ecclesiæ privetur et prefato modo iniuria beati Petri vindicetur usque ad satisfactionem.

CXCVIII.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Manasse Remensi Archiepiscopo, inter cetera. Nostis etenim Osium Episcopum in Niceno et Cirillum in Ephesino concilio Romanorum vice eisdem concedentibus functos fuisse Pontificum. Siagrio quoque Augudinensi Episcopo Lugdunensis antistitis suffraganeo secundum Papam Gregorium celebrandi generaliter in Galliis concilia vicem suam legitis indulsisse.

CXCVIIII.

Gregorius Episcopus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Semper licuit, semperque licebit contra novitates excrescentes excessus nova quoque decreta atque remedia procurare, quæ rationis et auctoritatis edita iudicio, nulli hominum sit fas ut irrita refutare.

CC.

Ex Romano Pontificali.

Victor natione Affer, constituit ut sanctum Pascha die dominica celebretur, sicut Eleutherius, et fecit sequentes clericos. Hic fecit concilium de circulo Paschæ, acersito Theophylo Episcopo Alexandriæ, et constituit, ut a XIIII luna primi mensis usque ad XXI die Dominica custodiatur sanctum Pascha.

CCI.

Ex eodem.

Bonifatius tertius natione Romanus obtinuit a Foca Principe ut Romana Ecclesia esset caput omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium ecclesiarum scribebat. Hic fecit constitutum in ecclesia beati Petri Apostoli, in quo sederunt Episcopi LXXII Presbyteri Romani XXXIII præsente omni clero sub anathemate, ut nullus Pontifice vivente, aut Episcopo civitatis suæ præsumat loqui aut partes sibi facere nisi tertio die depositionis eius, adunato clero et filiis ecclesiæ, et tunc electio fiat et quem voluerint habeant licentiam eligendi sibi sacerdotem.

CCII.

Bonifatio II° venit relatio ab Affris Episcopis de constitutione eorum ut consilio Sedis Apostolicæ Cartaginensis Episcopus omnia faceret. Nam sub primo Bonifatii separaverant se a Romana Sede.

CCIII.

Benedictus II natione Romanus suscepit iussiones clementissimi Principis Constantini ad venerabilem Clerum et populum Romanæ civitatis per quos concessit ut qui electus fuerit Pontifex e vestigio consecretur absque tarditate.

CCIIII.

Constantinus natione Syrus ordinavit Felicem Archiepiscopum Ravennatem qui secundum consuetudinem priorum suorum solitas noluit in scrinio facere cautiones, sed præpotentiam iudicium exposuit, ut Pontifex maluit. Venit autem et Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis ordinationis voto

et suo se Pontifici præsentare. Altercavit vero et pro Ecclesia Tycinensi, sed convictus est eo quod a priscis temporibus Sedi Apostolice eiusdem Tycinensis Ecclesiæ Antistes ad consecrandum pertinebat et pertinet.

CCV.

Iohannes V natione Syrus abstulit ordinationem Pontificis Turritanæ Ecclesiæ Calaritano Archiepiscopo, qui quondam a beato Papa Martino ab eadem ordinatione suspensus fuerant, quoniam antiquitus ordinatio illa pertinuit Sedi Apostolicæ.

CCVI.

Stephanus III natione Siculus congregatis Episcopis totius Tuscie atque Campaniæ, consedentibus pariter XII Episcopis Francorum et Romanis Presbyteris, in presentia totius Cleri et populi concilium fecit in basilica Constantiniana, in quo damnavit Constantinum neophytum invasorem Sedis Apostolice, et inscriptiones eius et gesta decretorum, et allatis sacratissimis canonibus eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem concilio sub anathematis interdictu, ut nullus unquam laicorum, neque ex alio ordine præsumat, nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbyter factus fuerit cardinalis ad sacrum Pontificatus ordinem promoveri.

CCVII.

Ex Rom. Pontificali.

Omnes Romani perrexerunt cum ingenti letitia ad ecclesiam sanctorum IIIIor Coronatorum et domnum Leonem eiusdem ecclesiæ Cardinalem coactum invitumque inde abstrahentes cum ymnis laudibusque præcipuis ad Lateranense Patriarchium perduxerunt et morem servantes antiquum omnes eiusdem deosculati sunt pedes.

CCVIII.

Benedictus III natione Romanus constituit, ut cum Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, necnon et reliqui clerici morerentur, Pontifex una cum omnibus Episcopis et Presbyteris atque Diaconis necnon reliquis clericis ad eius sepeliendum corpus et commendandam animam conveniret. Similiter etiam ipsi facerent cum Pontifex ab hac luce migrasset. Hic dum esset electus factione Episcoporum Radoaldi Portuensis et Arsenii Hortensis actum est ut a legatis Imperatorum Hludovici et Lotharii Cardinales cogerentur multis iniuriis et comminationibus imo et gladiorum super se evaginationibus Anastasium quem IIII Leo deposuerat sibi promovere Pontificem. Sed Deo operante ita patientia et unanimitate sui eosdem superaverunt ut in facie eorumdem præphatum Benedictum apud beatum Petrum Pontificem consecrarent, et, magna populi commitante caterva ad Lateranense Patriarchium deducerent.

CCVIIII.

Nicholaus primus suscepit Ravennatum et Emiliæ Legationem, qui a Iohanne eiusdem urbis archiepiscopo in rebus et iuris sui proprietatibus incommoda sustinebant, ut a tantis oppressionibus eruerentur. Quorum pie clamores audiens ipsum legatis suis et literis sepius Archiepiscopum ut talibus cederet monuit. Cuius præcepta cum declinaret et ad sinodum suis eum literis vocavit, et veniret contempnentem, communione privavit. Idem vero Archiepiscopus Papiam pergens, Imperatoris Hludovici auribus molestiam intulit, auxiliumque mundanum quæsivit, et acceptis ab Imperatore legatis Romam pervenit. Pontifex autem, quia contra sacros canones excommunicato communicaverant, legatos benigne redarguit, et eidem Archiepiscopo ut ad sinodum Romanam satisfacturus properaret mandavit. Et infra. Qui cum venire noluisset beatissimus Papa Ravennam perrexit. Cuius adventum cum Archiepiscopus cognovisset, iterum Papiam ad Imperatorem adiit. Domnus vero

Papa Ravennatibus et Emiliensibus et Pentapolitanis res et possessiones eorum quas Archiepiscopus et frater eius abstulerant restituit, et præceptionis sue decreto confirmavit. Imperator autem Archiepiscopo mandavit dicens. Vadat et fastu elationis deposito, humiliet se Pontifici, cui nos et omnis ecclesiæ generalitas inclinatur et eius obedientie ac subgectionis colla submittit quia quod cupit, aliter consequi non poterit. Et infra. Quod cum invitus fecisset multis pro eo pustulantibus susceptus est. Et apprehensa carta iuramenti sui scripturas quas in consecratione sua satis confuse fecerat ut in eis videbatur propria manu scribens iuxta consuetudinem prædecessorum suorum composuit, et multis sacerdotibus et proceribus præsentibus super vivificam Crucem Christi et sandalia eius et IIIIor Evangelia posuit et cunctis audientibus sponte iuravit, se omnibus vitæ suæ diebus servaturum, quæ in eisdem scripturis continebantur, quas etiam coram omnibus legit. Domnus vero Papa inter cetera illi præcepit, ut Episcopos Emiliæ non consecraret nisi post electionem Cleri et populi, per epistolam Sedis Apostolicæ Præsulem acciperet eos consecrandi licentiam, nec eos ad Sedem Apostolicam venire prohiberet, nec ullum morem qui contra Episcoporum privilegium sit ab eis exigeret quoquomodo temptaret, et ut res cuiuscumque persone qualicumque ingenio acquisitas vel possessas nunquam aliquo modo occuparet, donec in præsentia Apostolica vel missi eius aut vestararii Ravennatis, legali ordine in iudicio illas convinceret. Idem ad eumdem in regnum certe nos Episcopos in aliis festivitatibus populum sibi commissum deserere nullomodo permittimus. Quomodo ergo in tanto die Paschæ creditam sibi Episcopus ecclesiam deserat, ut alii ecclesiæ ministret, ratio minime patet præsertim cum canones nil tale præcipiant.

CCX.

Item ex Romano Pontificali.

Adrianus II natus Romæ cum aliquando inter compresbyteros suos a Papa Sergio consuetudinaliter denarios XL

percepisset, domum regressus equestri suo præcepit ut multitudini peregrinorum quos ante ianuam eiusdem domus invenit, ternos ex eisdem denariis singulis erogarent. Cumque illi neque tertie parti eorumdem sufficere singulos posse affirmaret, ipse acceptis denariis ternos singulis erogavit. In qua redundatione cum miraretur equester liberaliter sacerdos ex residuis multitudini familie sue item ternosque cuique largitus est. At cum VII superent vides inquit quia largus est Dominus, qui ex illa quadragenaria quantitate mihi tibique ternos misericorditer reservavit? Hic cum ad Romanum Pontificatum ab ecclesia Dei genitricis Dominæ Nostræ, quæ dicitur ad præsepe traheretur ad Lateranense Patriarchium certatim a clero et proceribus et plebe deportatus est. Quod audientes missi Hludovici Imperatoris moleste tulerunt indignati scilicet quod dum præsentes essent non invitati fuerint nec optatæ a se futuri præsulis electioni interesse meruerint. Qui accepta ratione quod non causa contemptus Augusti sed futuri temporis prospectu hoc omissum fuerit, ne videlicet legatos principum in electione Romanorum Præsulum mos expectandi per huius moris fomitem inolesceret, omnem indignationem medullitus sedaverunt, ac salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt. Et infra. Audiens hoc Hludovicus Christianissimus Imperator, mox imperialem scribens epistolam, cunctos Romanos qui dignum tanto peregissent officio præsulem collaudavit, per quam videlicet innotuit nulli quippiam præmii fore pro consecratione Romanorum Pontificum quoquomodo pollicendum, cum ipse hanc non suorum suggestionem, sed Romanorum potius unanimitate ardentissime cuperet provenire maxime cum reddi quæ ablata fuerant non auferri a Romana Ecclesia vel deperire quippiam se diceret hanelare. Item ex pontificalibus gestis II Adriani Papæ. Celebrata apud Constantinopolim sancta VIII universali synodo pro expulsione Photii et restitutione Ignatii Patriarchæ Vulgarum legati coram Basilio Imperatore et Legatis IIII^or Apostolicarum Sedium dixerunt. Usque hodie pagani fuimus et nuper ad gratiam Christianitatis accessimus. Ideoque ne in aliquo errare videatur cui Ecclesiæ

subdi debeamus, a vobis qui vices Patriarcharum geritis nosse desideramus. Legati Romanæ Ecclesiæ responderunt. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam per vos senior vester beato Petro Apostolo cum omni gentis suæ regno se tradidit, a cuius successore videlicet Papa Nicolao et præcepta vivendi et Episcopos ac Presbyteros suscipere meruit, vos et pertinuisse et pertinere etiam in eo monstratis, quod postulatos nostros Sacerdotes et suscepistis et hactenus veneratione congrua retinetis. Vulgarum legati dixerunt. A sancta Romana Ecclesia sacerdotes nos petisse, suscepisse, hactenusque habere nos confitemur, et ei in omnibus obedire decernimus. Verum utrum Romanæ an Constantinopolitanæ Ecclesiæ rationabilius subdi debeamus cum his Patriarcharum vicariis diffinite. Legati Romanæ Ecclesiæ responderunt. Propter quæ nos sancta Sedes Apostolica cum Orientalibus diffinienda mandaverat, Deo iuvante finivimus. De causa autem vestra secus quam diffinita est finienda, quia nihil in mandatis accepimus, nihil videlicet diffinimus vel in præiudicium sanctæ Romanæ Ecclesiæ diffiniendum censemus, quin immo quia omnis vestra patria nostris sacerdotibus plena est, nulli vero nisi Romanæ Ecclesiæ pertinere debere diffinitiva sententia quantum ex nobis est promulgamus. Vicarii orientalium Patriarcharum dixerunt Vulgaribus. Quando vos illam patriam cepistis cui subdita erat? et utrum latinos an græcos sacerdotes habuerit dicite. Vulgares dixerunt. A Græcorum potestate armis eam evicimus, et græcos sibi sacerdotes invenimus. Vicarii Orientalium responderunt. Si Græcos sacerdotes ibi repperistis ex ordinatione Constantinopoleos illa patria fuit. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ dixerunt. A Græcis Sacerdotibus argumentum sumere non debetis quia linguarum diversitas ecclesiasticum ordinem non confundit. Nam Sedes Apostolica cum sit ipsa latina in multis tamen locis pro ratione patriæ græcos Sacerdotes et semper et nunc usque constituens, privilegii sui detrimenta nec debet sentire. Vicarii Orientalium dixerunt. Etiam si Græcorum Presbyterorum ordinationem vestri iuris fuisse doceatis, illam tamen patriam Græcorum regno pertinuisse nunquam negare poteritis. Legati sanctæ Ro-

manæ Ecclesiæ dixerunt. Sicut Vulgariæ nobis diverso modo ordinatione pertinere dicentes mendacium non loquimur, ita nimirum eandem Vulgariam ex Græcorum regno fuisse non negamus. Sed et aliud ordinant iura sedium, aliud partiuntur divisiones regnorum. Nos de divisione regnorum non agimus, sed de iure sedium loquimur. Vicarii Patriarcharum dixerunt. Illud quod vobis diverso modo Vulgariam pertinere dicitis, ediscere volumus. Legati Romanæ Ecclesiæ responderunt. Sedes Apostolica iuxta quod decretalibus sanctorum Romanorum Præsulum doceri poteritis, utramque Epyrum novam videlicet et veterem totamque Thessaliam atque Dardaniam in qua et Dardana civitas hodie monstratur, cuius nunc patriam ab his Vulgaris Vulgaria dicitur, antiquitus canonice ordinavit, obtinuit, ac per hoc ordinationem quam tunc paganorum Vulgarum irruptione omiserat, nunc a Constantinopolitana Ecclesia modo fingitur abstulit, sed ab his factis Christianis recæpit. Secundo modo quia Vulgares qui in re gentili sibi patriam subiugantes, ecce per quot annos retinent quod ceperant, sed Apostolicæ semet patrocinio ordinationique specialiter committentes nobis debet nec immerito subiici, quos ultronea voluntate magistros elegit. Tertio modo quia eosdem Vulgares sancta Sedes Apostolica iussu quondam sanctissimi Nicolai Papæ tam per aliquot nostrum qui hic sumus et illic multas ecclesias dedicantes sacerdotes creavimus, quam per Paulum, Dominicum, Leopardum ac Formosum venerabiles Episcopos, sed et Grimaldum Coepiscopum nostrum, quem hactenus isti Vulgares cum multis sacerdotibus nostris in conspectu nostro confessi sunt, a diversis erroribus ad Catholicam fidem multo sudore Christi gratia perduce transferens ecce ultra triennienium tenuit, tenet, ordinat, ac disponit. Ideoque consequens non est, ut sine conscientia Romani Pontificis Ecclesia Romana de quibus præsentialiter vestita cernitur spolietur. Vicarii Patriarcharum responderuut. Ad quem istorum modorum disceptare velitis, edicite. Legati Romanæ Ecclesiæ respouderunt. Sancta Sedes Apostolica vos quia revera inferiores estis super causa sua iudices non elegit nec per nos eliget, ut pote

quæ de omni ecclesia fas habeat iudicandi. Sed neque nobis de hac causa sententiam proferre commisit. Quapropter quod hoc ab ea faciendum nos cepimus, cognitionis eius iudicio, quæ librorum multiplicitate ad defensionem sui multa proferre valet ex integro reservamus, a qua omnis vestra sententia tanta facilitate respuetur quanta levitate profertur. Vicarii Patriarcharum dixerunt. Satis indecens est ut vobis qui Grecorum imperium detrectantes Francorum federibus inheretis in regno nostri Principis ordinandi iura serventur. Quapropter Vulgarium patria grecorum ex potestate dudum fuisse, et grecos sacerdotes habuisse comperimus. Ecclesiæ Constantinopolitanæ a qua per paginismum recesserat, nec per christianissimum restitui iudicamus. Legati Romanæ Ecclesiæ clamantes dixerunt. Sententia quam nunc electi neque admissi vel quicquid illud est quod modo sive timore seu gratia præcipitastis potius quam protulistis auctoritate sancti Spiritus usque ad difinitionem sanctæ Sedis Apostolicæ omnino rescindimus, ita ut nullo modo vel nomen sententiæ habere mereatur. Teque reverentissime Patriarcha Ignati auctoritate sanctorum Principum Apostolorum coram Deo suisque angelis omnibusque præsentibus contestamur ut secundum hanc epistolam restitutoris tui Domni Adriani Summi Pontificis quam tibi ecce offerimus, industria tua ab omni Vulgariæ ordinatione immunem nullum tuorum illuc mittendum custodias ne sancta Sedes Apostolica quæ tibi tua restituit per te sua perdere videatur. Quinpotius si quam non credimus iuxtam te habere querimoniam estimas sanctæ Romanæ Ecclesiæ restitutrici tuæ sollemniter suggerere non omitas. Tunc Patriarcha Ignatius Apostolicam epistolam suscipiens, licet magnopere monitus, eam legere studuit. Et respondit. Absit a me ut ego his præsumptionibus contra decorem Sedis Apostolicæ implicer qui nec ita iuveniliter ago ut mihi surripi valeat, nec ita seniliter delero, ut quod in aliis reprehendere debeo ipse committam. Hoc fine collocutio illa finita est. Et infra. Legatus Michahelis Vulgarici regis cum donis regalibus regias litteras obtulit summum Pontificem Adrianum deprecantes ut aliquem ex Cardinalibus dumtaxat

suæ ecclesiæ virum sapientia, persona, vitaque archiepiscopatu dignissimum Vulgaris eligendum dirigeret, quem post approbationem eorumdem denuo remeantem archiepiscopali officio sublimaret. Pontifex vero Silvestrum quendam subdiaconum Vulgaris eligendum direxit, cum Episcopis Leopardo Anconitano, et Dominico Trivensi. Et infra. Postmodum per Orientales Constantinopolitanosque Vulgares donis ac promissionibus persuasi, Grecos Sacerdotes suscipientes, nostros eiciunt. Et cetera.

CCXI.

Cyprianus in epistola sua. Factus est Cornelius Episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum omnium testimonio, de plebeio suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum consensu, cum nemo Episcopus inibi factus esset cum gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato et omnium vestrum consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit omnimodis necesse est ut ecclesiasticam habeat ordinationem, qui Ecclesiæ tenet per consensum unitatem. Post primum II esse non potest, quisquis post unum qui per electionem consecratus est esse voluerit, iam non secundus ille sed nullus est.

CCXII.

Idem ad plebem.

Plena et exploratione diligentia sincera eos oportet ad sacerdotium Dei eligi, quos a Deo constet audiri. Nec sibi plebs blandiatur quia si immunis esse a contagio delicti possit cum sacerdote peccatore communicans et ad iniustum atque illicitum propositi sui episcopatum consensum suum commodans, quin per Oseæ prophetam dicat censura divina. Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur. Docens scilicet et ostendens omnes omnino ad peccatum constringi qui fuerint profani et iniusti sacerdotes sacrificio contaminati.

CCXIII.

Cyprianus Cornelio inter cetera. Pseudo episcopo sibi ab hereticis constituto, navigare audent ad Petri cathedram atque ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est et ab scismaticis et profanis litteras ferre nec cogitant esse Romanos quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.

CCXIIII.

Ex Epistola S. Cypriani ad Antonianum.

Novatianus Episcopus non est, qui Cornelio Episcopo in Ecclesia a XVI Coepiscopis facto adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur, et cum sit a Christo una ecclesia per totum mundum in multa membra divisum item Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem post connexam et ubique coniunctam Catholicæ Ecclesiæ unitatem, unam conetur ecclesiam facere, et per plurimas civitates novos apostolos suos mittat, ut quædam recenti institutionis suæ fundamenta constituat. Cumque iampridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinati sunt Episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, ille servus eos creare alios pseudo Episcopos audeat quasi possit aut totum orbem novi conatus obstinatione peragrare, aut ecclesiastici corporis compaginem discordiæ suæ seminatione rescindere, nesciens scysmaticos semper inter initia fervere, incrementa vero habere non posse, nec augere quod illicite ceperint, sed statim cum prava sua emulatione deficere. Episcopatum autem tenere non posset etiam si Episcopus prius factus a Coepiscoporum suorum corpore et ab Ecclesiæ unitate descisceret, quin Apostolus admoneat, ut invicem nos metipsos sustineamus, ne ab unitate quam Deus constituit recedamus et dicat. Sustinentes invicem in dilectione satis agentes

servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Qui ergo nec unitatem spiritus nec convinctionem pacis observat, et se ab Ecclesiæ vinculo atque a sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere nec honorem, qui Episcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem. Idem ad eumdem. Quid vero ad Novatiani personam pertinet frater karissime de quo desiderasti tibi scribi, quia heresim introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat cum foris doceat. Quisquis ille est et qualiscumque est, Christianus non est, quia in Ecclesia non est. Iactet se licet et philosophiam vel eloquentiam suam falsis vocibus prædicet qui nec fraternam caritatem nec ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat emisit. Item circam finem. Apostate vero et desertores vel adversarii et hostes Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem, quin nec spiritus nec ecclesiæ tenuerunt unitatem. Idem ad Magnum de eodem. Neque Dominus noster Ihesus Christus cum in Evangelio suo testaretur adversarios suos esse eos qui secum nou essent aliquam speciem hereseos designavit, sed omues omnino qui secum non essent, et secum non colligentes gregem suum spargerent, adversarios esse ostendit dicens. Qui non est mecum, adversum me est, et qui mecum non colligit spargit. Item beatus Apostolus Iohannes nec ipse ullam heresim aut scysma discrevit aut aliquos speciatim se pares posuit sed universos qui de ecclesia exissent, quique contra Ecclesiam facerent Antichristos appellavit dicens. Audistis quod Autichristus venit, nunc antichristi multi facti sunt. Unde cognoscimus quia novissima hora est. Ex nobis exieruut sed nou erant ex nobis. Si fuissent ex nobis maxissent nobiscum. Unde apparet adversarios Domini et antichristos esse quos coustet a caritate atque ab unitate Ecclesiæ recessisse. Item in sequentibus. Ecclesia una est quæ una intus et foris esse non potest. Si apud Novatianum est apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, et quem præter sacerdotii honorem martirio quoque Dominus significavit, Novatia-

nus in ecclesia non est. Item in sequentibus. Erit unus grex et unus pastor. Si autem grex unus est, quomodo potest grogi annumerari qui in numero gregis non est? Aut pastor haberi quomodo potest qui manente vero pastore et in ecclesia Dei ordinatione succedente ac præsidente, nemini succedens sed a seipso incipiens alienus fit et prophanus dominicæ pacis ac divine unitatis inimicus non habitans in domo Dei idest in Ecclesia Dei in qua nonnisi concordes sunt atque unanimes loquente in psalmis Spiritu sancto et dicente Deus qui habitare facit unanimes in domo. Item ad Pupinianum. Inde scysmata et hereses oborte sunt et oriuntur dum Episcopus qui unus est et Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contepnitur. Item in sequentibus. Dominus in evangelio cum eum loquentem discipuli derelinquerent conversus ad XII dixit. Numquid et vos vultis iro? Respondit ei Petrus dicens. Dic ad quem imus. Verbum vitæ æternæ habes, et nos credimus et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei vivi. Loquitur illic Petrus super quem edificata fuerat Ecclesia Ecclesiæ nomine, docens, et ostendens, quia et si contumax ac superba audire nolentium multitudo discedat, ecclesia tamen a Christo non recedit et illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adherens. Unde scire debes Episcopum in ecclesia esse, et ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit in ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quoniam ecclesia quæ catholica una est scissa non sit neque divisa. Item ad Pompinium. Interfici Deus iussit sacerdotibus suis non optemperantes iudicibus suis a se ad tempus constitutis non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat, nunc autem quia circumcisio spiritualis esse apud fideles Dei servos cœpit, spirituali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiciuntur. Neque vivere foris possunt cum domus Dei una sit. Et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit. Item ad Puppianum. Memini quid iam mihi sit ostensum immo quod sit servo obsequen-

ti et timenti de dominica et divina auctoritate præceptum qui inter cætera quæ ostendere et revelare dignatus est et hoc addidit. Itaque qui Christo non credit sacerdotem facienti postea credere incipiet sacerdotem vindicanti.

CCXV.

Item exemplar eius ad Magnum.

Denique quam sit inseparabile unitas sacramentum et sine spe sint et perdictionem sibi maximam de Dei indignatione acquirant qui scisma faciunt, et relicto episcopo alium sibi pseudum Episcopum constituunt, declarat in libris regnorum scriptura divina, ubi a tribu Iuda et Beniamin X tribus scisse sunt, et relicto rege suo, alterum sibi foris coustituerunt. Et indignatus est inquit Dominus in omni semine Israel, et dimovit eos, et dedit eos in direptiouem, donec abiceret eos a facie sua, quia dissipatus et Israel a domo Domini, et constituerunt sibi regem Hieroboam filium Nabath. Indignatum esse Dominum dixit et eos in perditionem dedisse, quod ab unitate dissipati essent, atque alterum sibi regem constituissent. Et tanta indignatio Domini extitit adversus illos qui scysma fecerant, ut etiam cum homo Dei ad Hieroboliam missus esset qui et peccata sua exbrobaret, atque ultionem futuram prædiceret, panem quoque apud illos edere et aquam bibere vetaretur. Quod cum non custodisset, et contra præceptum Dei prandidisset statim divinæ censura maiestatis percussus est, ut inde regrediens, impetu ac morsu leonis in itinere necaretur. Idem ad Magnum. Cum primum discipulos suos in ministerium salutis Dominus mitteret mandavit et dixit. In via nationum ne ieritis, et in civitatem Samaritanorum ne introieritis. Ad Iudeos prius mittens, gentiles autem adhuc præteriri iubet. Addendo autem et civitatem Samaritanorum debere ommitti, ubi erant Scysmatici, ostendit scysmaticos gentilibus adequari. Item ad eumdem. Memorialem inquit filiis Israel, ut non accedat quisquam alienigena qui non est ex semine Aaron imponere incensum ante Dominum, ut non sit sicut Chore, et Dathan, et Abiron. Atta-

men illi scysma non fecerant, nec foras egressi contra Dei sacerdotes impudenter atque hostiliter rebellaverant, quod nunc hi Ecclesiam scindentes, et contra pacem atque unitatem Christi rebelles cathedram sibi constituere, et primatum assumere conantur. Et post pauca. Atque ut magis intelligi possit contra eiusmodi audaciam quæ sit censura divina invenimus in tali facinore non solum duces et auctores, sed et participes pœnis destinari, nisi se a communione malorum separaverint præcipiente per Moysen Domino et dicente. Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum et nolite tangere ab omnibus quæ sunt eis, ne simul pereatis in peccato eorum. Et quod comminatus per Moysen Dominus fuerat implevit ut quisque se a Chore et Datan et Abiron non separasset, pœnam statim pro impia communione persolveret. Quo exemplo ostenditur et probatur, obnoxios omnes et culpæ et pœnæ futuros qui se scysmaticis contra præpositos et sacerdotes irriligiosa temeritate miscuerint. Sic etiam per Oseæ prophetam Spiritus sanctus contestatur et dicit. Sacrificia eorum tamquam panis luctus omnes qui manducant excomminabuntur. Docens scilicet et ostendens omnes simul cum actoribus supplicio conjungi qui fuerint eorum peccato contaminati.

CCXVI.

Idem lib. de Ecclesiæ catholice unitate inter cetera.

Loquitur Dominus ad Petrum. Ego, inquit dico tibi Petro quia tu es Petrus et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam et portæ inferorum non vincent eam et tibi dabo claves regni celorum. Et quæcumque ligaveris super terram erunt ligata in cælo et quæcumque solveris erunt soluta et in cælo. Et idem post resurrectionem dicit illi. Pasce oves meas. Super illum edificat Ecclesiam et illi pascendas oves mandat. Et quamvis Apostolis omnibus parem tribuat potestatem, et dicat sicut misit me Pater et ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, et si cui remiseritis peccata remittuntur ei, si cuius retinueritis tenebuntur, tamen ut unitatem manifestaret, unam

cathedram constituit, et unitatis eiusdem originem atque rationem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Et post pauca. Hanc Petri unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui cathedram Petri super quam fundata est ecclesia deserit, in ecclesia se esse confidit? Item post pauca. Hoc erant utique ceteri Apostoli quod Petrus fuit, pari consortio præditi, et honoris et potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia Christi una monstretur sicut scriptum est. Una est columba mea, perfecta mea, una matris suæ electa genitricis suæ. Hanc Ecclesiæ unitatem et beatus Apostolus Paulus docet et sacramentum unitatis ostendit dicens. Unum corpus et unus spiritus: una spes vocationis nostræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Quam unitatem tenere firmiter et vendicare debemus, maxime nos Episcopi qui in ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem fallat mendacio, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat.

CCXVII.

Idem in eodem.

Episcopatus unus est, cuius singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incrementum fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii sunt, sed lumen unum. Et rami arboris multi sunt, et robur unum tenaci radice fundatum. Et quomodo de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur, exundationis copiosæ largitates, unitas tamen servatur in origine. Avelli radium solis a corpore divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum præcisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen est quod ubique diffundit nec unitas corporis separatur. Ramos suos universam terram copiosa ubertas extendit profluentes largitur rivos latius pandit, unum tamen capere et origo una et una mater fecunditatis successibus copiosa. Adulterari non posset Sponsa

Christi incorrupta est et pudica. Unam domum novam unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Item idem. Hæc nos Deo servat hæc filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatur adulteræ iungitur a promissis Ecclesiæ separatur. Non perveniet ad Christi premium qui reliquid Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est, habere iam non potest Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem, et qui non tenuerit universalis Ecclesiæ unitatem. Si potuit evadere quisquis extra arca Noe fuit et qui extra Ecclesiam fuerit evadit. Monet Dominus et dicit. Qui non est mecum, adversum me est, et qui non colligit mecum, dispergit. Item post pauca. Quis ergo sic scelæratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi? Item post pauca. Nemo estimet bonos de Ecclesia discedere, triticum nam rapit ventus, nec arborem solidam radice fundatam procella subvertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, et invalide arbores turbinis incursione vertuntur, hos execratur et percutit Iohannes Apostolus dicens. Ex nobis exierunt sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis mansissent nobiscum hinc ereses et facte sunt frequenter et fiunt. Dum perversa mens non habet pacem dum perfidia discordans non tenet unitatem, fieri vero hæc Dominus permittit et patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, ut dum corda et mentes nostras veritatis discrimine examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat. Per Apostolum præmonet Spiritus sanctus et dicit. Oportet hereses esse ut qui probati sunt manifesti sint in vobis. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur. Item in sequentibus. Quam sibi pacem promittunt inimici fratrum? Quæ sacrificia celebrare se credunt emuli sacerdotum? Secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur, qui extra Ecclesiam colliguntur? Tales etiam si occisi fuerint in confessione nominis, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis et gravis culpa discordiæ, nec passione purgatur. Esse martyr non potest qui in Ecclesia non est. Ad regnum pervenire non potest qui eam quæ regnatura est dereliquid. Et post pauca. Cum Deo manere

non possunt qui in ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis et ignibus traditi vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pæna perfidie, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest coronari non potest. Sic se Christianum esse profitetur, quomodo et Christum diabolus sepe mentitur. Item post pauca. Adversandus est talis atque fugiendus. Quisquis fuerit ab Ecclesia separatus, perversus est huiusmodi, et peccat, et est a semetipso damnatus. An esse sibi cum Christo videtur qui adversum Christi sacerdotem facit? Qui se a cleri eius et plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat, hostis altaris adversus sacrificium rebellis pro fide perfidus pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus. Item in eodem. Levis hoc crimen est quam quod hi qui sacrificaverunt admisisse videntur, qui tamen in penitentia criminis constituti Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Illic Ecclesia quæritur et rogatur hic Ecclesiæ repugnatur. Illic potest necessitas fuisse, hic voluntas tenetur in scelere. Illic qui lapsus est, sibi tantum nocuit, hic qui heres est, vel sysma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Illic animæ unius est damnum, hic periculum plurimorum. Certe peccasse se ille et intelligit, et lamentatur, et plangit, hic tumens in peccato suo, et in ipsis sibi delictis placens a matre filios segregat, oves a pastore sollicitat, Dei sacramenta disturbat et cum lapsus semel peccarent hic cotidie peccat. Postremo lapsus martyrium postmodum consecutus potest regni promissa percipere, hic si extra ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non potest premia pervenire. Et cetera.

CCXXIII.

Ambrosius in primo libro officiorum. Neque temere aliquis dum martyrii desiderat gloriam offerat se periculum, quæ fortasse caro infirmior aut remissior animus tolerare non queat, nec rursus propter ignaviam cædem quis ac deserere fidelibus

metu pericli. Qua gratia præparandus est animus, exercenda mens, stabilienda ad constantiam, ut nullis perturbari animus possit terroribus nullis frangi molestiis, nullis suppliciis cedere, quæ difficile quidem sustinentur, sed quia omnia supplicia graviorum suppliciorum vincuntur formidine, ideo si consilio firmes animum tuum, nec a ratione discedendum putes et proponas divini iudicii metum perpetui supplicii tormenta, potes animi subire tolerantiam, hoc igitur diligentiæ est, ut quis ita se comparet, illud ingenii, si quis potest vigore mentis prævidere quæ futura sunt, et tamquam ante oculos locare quid possit accidere, et quid agere debeat si ita acciderit diffinire. Interdum duo et tria simul volvere animo quæ coniceat, aut singula, aut coniuncta accidere post se, et aut singulis, aut coniunctis disponere actus quos intellegat profuturos, fortis ergo est viri, non dissimulare cum aliquid immineat, sed prætendere, et tamquam explorare de specula quadam mentis et obviare cogitatione provida rebus futuris, ne forte dicat postea, ideo ista incidi quia non arbitrabar posse evenire. Denique nisi explorentur adversa cito occupant, ut in bello impervius hostis vix sustinetur. Et si imparatos inveniat, facile opprimit, ita animum excellentia, ut primum animus tuus bonis exercitus cogitationibus, mundo corde quod verum et honestum est videat. Beati enim mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Atque id quod honestum est solum bonum iudicet. Deinde nullis perturbetur occupationibus, nullis cupiditatibus fluctuet. Neque vero id facile quisquam facit. Quid enim tam difficile, quam despicere tamquam ex arce aliqua sapientiæ, opes, aliaque omnia, quæ plerisque videntur magna et præcelsa? Deinde ut iudicium tuum stabili ratione confirmes, et quæ iudicaveris levia, tanquam nihil profutura contempnas. Deinde ut siquid acciderit adversi, idque grave et acerbum putetur ita feras, ut nihil præter naturam accidisse putes, cum legeris nudus sum natus exibo et cætera. Idem in eodem. Si quis igitur æquabilitatem universæ vitæ et singularum actionum modo servet, ordinem quoque et constantiam dictorum atque operum moderationemque custodiat, in eius vita decorum illud excellit

et quasi in quodam speculo elucet. Accedat tamen suavis sermo, ut conciliet sibi affectum audientium, gratumque se vel familiaribus, vel civibus, vel si fieri potest omnibus præbeat. Nec adulantem se, nec adulandum cuique exhibeat. Alterum vero calliditatis est vanitatis alterum. Non despiciat quod de se unusquisque, et maxime vir optimus sentiat, hoc enim modo discit bonis deferre reverentiam. Nam neglegere bonorum iudicia, vel arrogantiæ, vel dissolutionis est, quorum alterum superbiæ ascribitur, alterum neglegentiæ. Caveat etiam motus animi sui. Ipse enim sibi et observandus et circumspiciendus est, et ut adversum se cavendus ita etiam de se tuendus, sicut motus in quibus est appetitus ille, qui quasi quodam prorumpit impetu. Unde græce HΩPME dicitur. quod ut quodam serpente proripiat. Non mediocris in his vis quædam animi atque natura est. Quæ tamen vis gemina est, una in appetitu, altera in ratione posita, quæ appetitum refrenet, et sibi obediente præest et ducat quo velit, et tamquam sedulo magisterio edoceat, quid fieri, quidve vitari oporteat, ut bone domitrici obtemperet. Solliciti enim esse debemus, ne quid temere, aut incuriose geramus, aut quicquam omnino cuius probabilem non possimus rationem reddere. Actenus enim nostri causa et si non omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur. Nec vero habemus in quo possimus nos excusare. Nam est vis quædam naturæ in omni appetitu, et tamen idem appetitus rationis subiectus est, lege nature ipsius, et oboedit ei. Unde et boni speculatoris est, ita prætendere animum, ut appetitus neque præcurrat rationem, neque deserat, neque præcurrendo perturbet, atque excludat, et eam deserendo destituat. Perturbatio tollit constantiam, destitutio prodit ignaviam, accusat pigritiam. Perturbata enim mente, latius se a longius fundit appetitus, et tamquam efferato impetu frenos rationis non suscipit, nec ulla sentit aurigæ moderamina, quibus posset reflecti. Unde plerumque non solum animus exagitatus amittitur, sed etiam inflammatus vultus vel iracundia, vel libidine, pallescit timore, voluptate se non capit, et nimia gestit letitia, hæc cum fiunt abiicitur illa naturalis censura gravitasque morum,

nec teneri potest illa quæ in rebus gerendis atque consiliis sola potest auctoritatem suam, atque illud qnod deceat tenere constantiam. Gravior vero appetitus ex nimia indignatione nascitur, quam acceptæ plerumque accendit iniuriæ dolor.

CCXVIIII.

Ex libro vitæ S. Ambrosii.

Cum populus magis magisque acclamaret Ambrosium Episcopnm, cumque ille videret nihil suam intentionem posse proficere, fugam paravit. Egressusque noctis medio civitate cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis quæ Romana dicitur invenitur. Cumque inventus custodiretur a populo, missa relatione ad pientissimum Imperatorem tunc Valentinianum. Qui hoc summo gaudio accepit, quod iudices a se directi ad sacerdotium peterentur.

CCXX.

Ambrosius in sermone ad populum VI.

Dicite mihi si non dolendum fuerit hoc peccatum, sic vos salutis vestræ immemores tunc fuisse, ut beatissimis Apostolis Petro et Paulo honorificentiam minime reddideritis, cum ipsos esse sciatis doctores gentium, auctores martyrum, principes sacerdotum, nec volueritis natalem nobiscum festivissimum celebrare? Idem in XI. Hanc igitur solam Ecclesiæ navem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus. Dicente Domino. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quæ navis in altum sæculi istius natat, ita ut pereunte mundo omnes quos suscipit servet illesos. Sicut enim Noe arca naufragante mundo cunctos quos susceperat incolumes reservavit, ita et Petri Ecclesia nunc flagrante sæculo, omnes quos amplectitur repræsentabit illesos. Idem in L. Fidelis enim factus est postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo maiorem gratiam repperiit quam amisit. Tanquam bonus pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fue-

rat, fieret omnibus firmamentum, et qui se interrogationis temptatio mutaverat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate devotionis ecclesiarum petra dicitur sicut ait Dominus. Tu es Petrus et cætera. Petrus enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat. Idem in LXX°. Ergo beati Petri et Pauli eminent inter universos Apostolos et peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verum inter ipsos quis cui præponatur incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, quia equales sunt passione. Una die, uno in loco passi sunt, ne alteri Roma deesset. Et ubi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morerentur. Idem in LXXII°. Optima Apostolorum nomina Petra et Vasculum necessaria domui Salvatoris. Domus enim fortitudinis petra construitur, utilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem populos ne labantur sustentat, vasa ad custodiam ne temptentur operit Christianos.

Leo in sermone. Omnium quidem, Petrus et Paulus in corpore ecclesiæ cui caput Christus est, geminum constituti sunt lumen oculorum. Quos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales. Gregorius in I. libr. dialogi. Paulus Petro Apostolorum Principi iu principatu Apostolico frater est et utriusque meritum in cælo dispar non est. Augustinus in sermone sancti Petri. Fratres karissimi gubernator in tempestate dinoscitur. Duo luminaria magna Petrus et Paulus qui omnium gentium tenebras illustrant, et omnibus veneratoribus suis bona beneficia parant. Petrus et Paulus primus et novissimus sed tamen ambo equales quia non est in illis maius et minus. Et cetera.

CCXXI.

Avgvstinvs in sermone de gratia Dei. Audivimus veracem magistrum fratres mei, compatimini mecum. Ubi pelagianos inveneritis, occultare nolite. Non sit in vobis perversa misericordia, iam enim de hac causa duo concilia missa sunt ad se-

dem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam error aliquando finiatur. Idem ad Auxilium Episcopum. Utrum de ecclesia pellendi sint qui eo confugiunt ut fidem fideiussoribus frangant, et in concilio nostro agere cupio, et si opus fuerit ad Sedem Apostolicam scribere, ut quid sequi debeamus concordi omnium auctoritate constituatur atque firmetur.

CCXXII.

Idem in II libro de baptismo.

Cyprianus in epistola ad V ita loquitur. Nam nec Petrus quem primus Dominus elegit, et super quem edificavit ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vendicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, et obtemptari et posteris sibi potius oportere, nec despexit Paulum quod Ecclesiæ persecutor fuisset. Sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimæ quam Paulus vendicabat facile consensit. Documentum scilicet nobis et concordiæ et patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter suggeruntur, si sint vera et legitima, ipsa potius nostra dicamus. Et infra Augustinus. Puto quod sine ulla sui contumelia Cyprianus episcopus Petro apostolo comparatur quantum ad martyrii coronam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis nescit illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum? sed etiam si distat cathedrarum gratia, una est tamen martyrii gloria.

CCXXIII.

Idem infra.

Ipsa concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt plenariorum conciliorum auctoritati quæ fiunt ex universo orbe christiano sine ullis ambagibus cædunt. Ipsaque

plenaria sepe priora a posterioribus emendautur, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat, sine ullo typo sacrilege, superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividine invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate christiana. Quapropter sanctus Cyprianus qui documentum Petri sic amavit, ut diceret eum documentum nobis ex concordiæ et patientiæ tribuisse, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima ipsa nostra potius dicamus, satis ostendit facillime se correcturum fuisse sententiam suam si quis ei demonstraret baptismum Christi sic dare posse ab eis qui foras, quemadmodum amittit non potuit cum foras exirent. Et infra. Plerumque ideo doctoribus minus aliquod revelatur ut eorum patiens et humilis caritas in qua fructus maior est comprobetur, vel quomodo accipiant unitatem, cum in rebus obsanioribus diversa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant declaratam esse cognoscunt. Quorum duorum manifestatum tenemus unum in beato Cypriano, idest quomodo tenuerit unitatem cum eis a quibus diversum sentiebat. Ait enim. Neminem iudicantes, aut a iure communionis aliquem si diversum senserit amoventes. Alterum autem idest quomodo accipere potuerit veritatem contra id quod sentiebat inventam.

CCXXIIII.

Idem Augustinus in epistola ad Vincentium.

Noli frater contra divina, tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis sive nostrorum, sicut Hilarii, sive antiquam pars Donati separaretur sacramento ipsius unitatis, sicut Cypriani et Agrippini. Primo, quia hoc genus literarum ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur tamquam ex eis testimonium proferatur ut contra sentire non liceat, sic ubi forte aliter sapuerunt quam unitas postulabat. In eo quippe

numero sumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere. Si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus revelavit.

CCXXV.

Idem in libro de civitate Dei contra Iulianum hereticum.

Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare, cuius Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculo iuventutem tuam pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit ille vir sanctus Africanus respondere conciliis, nisi quod antiquitus apostolica Sedes et Romana cum ceteris tenet perseveranter ecclesia? Et tamen successorom eius quod nemini licet crimine prævaricationis accusat quia in sede Apostolicæ doctrinæ est, quod decessoris sententiæ noluit refragari. Sed de hoc interim taceo, ne animum tuum quem sanare potius cupio quam irritari, laudibus tuis damnatoris exulcerem. Sancto Innocentio vide quid respondeas, qui nichil aliud de hac re sapit quam quo disti (*sic*), in quorum te conventum si tamen prodest aliquid introduxi. Cum his etiam ipse considit, et si posterior tempore, prior loco. Demiseris parvulum ab originali malo quod trahitur ex Adam, per Christi gratiam liberandis, unam cum eis tenet Christianam veramque sententiam qua omne peccati vitium primi scilicet hominis, qui libero arbitrio est in profunda demersus. Christum dixit sui lavacro purgasse baptismatis. Quod denique parvulos diffinivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse, huic responde, immo ipsi Domino, cuius ille Antistes usus est testimonio, et dic unde imago Dei tam capitali supplicio puniatur ut vita privetur, si peccatum a nascentibus originali non trahitur. Sed quid dicas aut quid respondeas? Quod etiam si beatum audias Innocentium, non audebis Christum dicere Manicheum? Non ergo cum provoces ad Orientis antistites, quia et ipsi utique Christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista. Romana scilicet, sola et una est, quia fides ista et Apostolica et Christiana est.

CCXXVI.

Possidius Episcopus in vita sancti Augustini. In Cesariensi Mauritaniæ civitate constitutus venerabilis memoriæ Augustinus Episcopus, quo eum venire cum aliis eius coepiscopis Sedis Apostolicæ litteræ compulerunt, ob terminandas videlicet alias ecclesiæ necessitates, Emeritum eiusdem loci Donatistam Episcopum, quem suæ sectæ precipuum in illa collatione habuerat defensorem vidit, et cum eodem publice in ecclesia proprio astante diversæ communionis disputavit et superavit. Idem in eadem. Pelagianistæ heretici Apostolicæ Sedi suam perfidiam persuadere conabantur. Sed et Conciliis Africanis sanctorum Episcoporum gestum est, ut sancto Papæ Urbi, et prius venerabili Innocentio, et postea sancto Zosimo eius successori persuaderetur, quam illa secta a fide catholica abhominanda et damnanda fuisset. At illi tante sedis antistites suis diversis temporibus eosdem notantes atque a membris ecclesiæ præcidentes, datis litteris et Africanis et occidentis et orientis ecclesiæ eos anathematizandos et vitandos ab omnibus ecclesiis censuerunt. Et tale de illis Ecclesiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium etiam piissimus Imperator Honorius audiens hoc sequens, suis eos legibus dampnatos, inter hereticos habere constituit.

CCXXVII.

Hieronymvs in epistola de tribus hypostaseos. Beato Papæ Damaso Hieronymus inter cetera. Cum successore piscatoris et discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, idest cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram hedificatam Æcclesiam scio. Quicumque extra hanc domum Aguum comederit, profanus est. Si quis in ea arca non fuerit, perit regnante diluvio. Et infra. Quicumque tecum non colligit, spargit hoc est qui Christi nón est, antichristi est. Quapropter obtestor tuam beatitu-

dinem per Crucifixum mundi Salvatorem, ut in epistolis tuis dicendarum seu tacendarum hypostaseon detur auctoritas, simul etiam cui apud Antiochiam debeam communicare significes.

CCXXVIII.

Idem in libro illustrium virorum.

Petrus Apostolus II° Claudii anno ad expugnandum Symonem magum Romam venit. Ibique XXV annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum, idest XIIII Neronis annum, a quo et crucifixus est capite ad terram verso, pedibus in sublime elevatis, asserens se indignum, qui sic crucifigeretur ut Dominus suus. Sepultus est in Vaticano. Paulus Apostolus a Sergio Paulo, ideo quod eum fidei Christi subegit, sortitus est nomen, et iuncto sibi Barnaba, multas urbes peragravit, revertensque Hierosolimam a Petro et Iacobo et Iohanne gentium Apostolus ordinatur. Hic autem post passionem Domini XXV anno idest II Neronis Romam vinctus est missus. Et hic ergo XIIII Neronis anno, eodem die quo et Petrus Romæ capite truncatus est. Sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini XXX° VII°. Idem in eodem. Polycarpus Iohannis Apostoli discipulus et ab eodem Smirnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit, quippe qui nonnullos Apostolorum et eos qui Dominum viderant magistros habuerit, hic propter quasdam super die Paschæ questiones, sub Imperatore Antonino Pio, ecclesiam in Urbe regente Anicito, Romam venit.

CCXXVIIII.

Beda in IIII libro hystorie Anglorum. Intererat huic synodo, partimque catholicæ fidei decreta firmabat, vir venerabilis Iohannes Archicantor ecclesiæ Sancti Apostoli Petri et Abbas monasterii beati Martyni, qui nuper venerat a Roma per iussionem Papæ Agathonis, duce reverentissimo Abbate et

Episcopo cognomine Benedicto. Et infra. Verum de omnibus pene eiusdem provinciæ monasteriis ad audiendum eumdem Iohannem qui cantandi erant periti confluebant. Sed et ipsum per loca in quibus doceret, multi invitare curabant. Ipse autem excepto cantandi vel legendi munere, et aliud in mandatis ab Apostolico Papa acceperat, ut cuius esset fidei Anglorum ecclesia diligenter edisceret. Romamque rediens referret.

CCXXX.

Idem in expositione Evangelii secundum Matthæum.

Qui Regem celorum maiori præ cæteris devotiones confessus est, merito præ cæteris ipse collatis clavibus regui celestis donatus est, ut constaret omnibus, qui absque ea fide et confessione regnum cælorum nullus posset intrare. Claves autem regni cælorum ipsa discernendi scientia potentiamque nominat, qua dignos reciperet in regnum, et indignos secludere debet. Et infra. Omnibus Apostolis et Ecclesiæ rectoribus ligandi et solvendi a Domino data est auctoritas. Sed ideo beatus Petrus specialiter claves regni celorum et iudicii principatum accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum solvi, nec ianuam possunt regni cælorum ingredi.

CCXXXI.

Ex gestis S. Bonifatii Martyris et Archiepiscopi Legati Rom. Ecclesiæ.

Sancta Romana et Apostolica Ecclesia privilegio speciali et auctoritatis divinitus et humanitus caput omnium ecclesiarum per Christum Ihesum effecta, secundum antistitis vel rectoris sui qualitatem et valitudinem afficit totius Christianitatis membra, ut illius incolumitati sua respondeant incolumitate et congaudeant, et nihilominus eius languoribus suo languore consentiant. Et sicut eius gloria iuxta Apostolum conglorificantur, sic eius deiectione deiciuntur, ut illud profe-

ticum in eo præcipue compleri deprehendatur. Omne caput languidum et omne cor merens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Et revera tanta reverentia apicem præfatæ Apostolicæ Sedis omnes suspiciunt, ut non nullam sanctorum canonum disciplinam, et antiquam Christianæ religionis institutionem, magis ab ore præsessoris eius, quam a sacris paginis et paternis traditionibus expectant. Illius velle, illius nolle, tantum explorant, ut ad eius arbitrium suam conversationem et ipsi remittant, aut intendant. Quod si ut summopere sibi et omnibus expedit, zelo domus Dei sine intermissione tabescens, fidelis dispensator et prudens existens, Deo et hominibus opere et sermone irreprehensibilem sese conservare studuerit, ut vere fatear universum pæne mundum secum attonitum et sollicitum post Deum currere facit ex utroque sexu populos diversæ professionis, condicionis et etatis catervatim Domino suo super omnia bona ipsius constituendus ducit. Si vero sue et fraternæ salutis neglegens, deprehenditur inutilis et remissus in operibus suis, et insuper a bono taciturnus quod magis officii sibi et omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Cuius palmas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, a nemine est iudicandus, nisi forte deprehendatur a fide devius. Pro cuius perpetuo statu universitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animi advertuntur propensius peudere. Salvo enim divinæ omnipotentiæ mysterio ut dignum est, loco ab ipsa secundo illud beati non incongrue aptari sanctæ Romanæ Ecclesiæ potest. Si destruxerit nemo est qui ædificet. Et si incluserit hominem nullus est qui aperiat ei. Si continuerit aquas omnia siccabuntur. Et si emiserit eam subvertent in terram. Nec inmerito cum ipsa specialius in Petro cælo terreque retentet habenas, hæc cum omnium fidelium in Christo specialis sit mater, nemo debet rennuere illius feriri disciplina, vel emendari censura, iuxta illa proverbia Salomonis. Ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo iugiter. Qui enim a-

bicit disciplinam infelix est, et stultus homo despicit matrem suam. Et rursum. Est maledictus a Deo qui exasperat matrem, et maledictio matris eradicat fundamenta. Illa utique quæ arrogant divisa a sede illius, cui divinitus dictum est Tu es Petrus et per hanc petram hedificabo ecclesiam meam, et super arenam concupiscentiæ carnalis, seu humanæ præsumptionis probantur posita. Cursus enim rivi minime prosperatur si a suo fonte dividitur.

CCXXXII.

Ex hystor. Anastasii Bibliothecarii Romanæ Ecclesiæ.

Athanasius Alexandrinus et Paulus Constantinopolitanus et quotquot præ rectitudine fidei ab Arrianorum synodo abiecti fuerant, Romam ad Iulium confugerunt, et unusquisque de se Iulium docuit, quos ille cum litteris ecclesiis suis restituit. Athanasius autem et Paulus, et qui cum ipsis erant, litteris Iulii Papæ Romani freti, thronos proprios receperunt. Et post pauca. Ceterum Constantius Liberio scribenti sibi pro homousio, et sanctissimo Athanasio iratus, mittit et hunc exilio religari, præcepit, apud Bethranniam Traicæ. Tuncque pro illo Felicem consecraverunt, qui diaconus fuit ecclesiæ, et Nycenum amplectebatur concilium. Et paulo post. Sanæ Romanis postulantibus, coactus revocat Liberium, et Sedi restituit. Felix vero egressus Urbem, ulterius minime redit. Item infra. Populus autem Eusebio defuncto, Paulum throno Constantinopoleos redidit, dicentes quod Romam ad Iulium profectus fuerit, et ab eo cum eius litteris remeavit. Item infra. Interea Liberius Papa Romanus, et Athanasius, et Meletius, et Samosatensium Eusebius, qui Iobiani præcepto ab exilio fuerant revocati, in orthodoxo sermone vigebant, et Hierosolimitanus Cyrillus. Et paulo post. Mittunt autem ex Liberio Eustachium Armonium et Silvanum Tharsensem, ac Theophilum Castavalensem, promittentes per ipsos se recipere homousium. Qui pervenientes Liberio scriptum per omousion porrexerunt libellum, profitentes se omnem heresim aversuros, quæ Sinodi Nicenæ foret adversa.

Quibus receptis Liberius communicavit, scribensque Orientalibus testimonium illis perhibuit orthodoxiæ.

CCXXIII.

In eadem.

Mundi anno VI XX° VIIII° divinæ incarnationis anno DXXVIIII decimo Iustiniani imperii. Agapitus Romanus Episcopus ascendens Constantinopolim synodum celebravit contra impium Severum et Iulianum Alicarnasensem, et cæteros Theopaschitas. Inter quos et Anthimus ut consentaneus eorum depositus, a throno proiectus est, cum Episcopatum tenuisset regiæ urbis mensibus X. Et consecratus est pro eo Mennas presbyter et Xenodochus Sanso ab Agapito Papa Romano. Porro Agapitus dormivit ibi et successit ei Silverius.

CCXXIIII.

Anno XX imperii Iustiniani capta est Roma a Gothis, et Papa Vigilius venit Constantinopolim, et susceptus ab Imperatore cum ingenti honore, repromittebat facere unitatem Ecclesiæ Catholicæ et anathematizare III° capitula. Quique excommunicationem IIII mensium dedit Mennæ Constantinopolitano Episcopo in Epithymium. Indignatus autem Imperator contra Vigilium propter Epythimium, et quia differebat implere quæ videbantur super unitatem ecclesiarum, misit ut comprehenderetur. Qui metuens impetum Imperatoris, ad altare Sergi Martyris monasterii Hormisde confugit. Et idem tractus tenuit columnas portantes Altare et has evertit, cum esset et corpore grandis. Imperator autem penitentia ductus suscepit Papam Vigilium. Qui rogatus a Theodora Augusta, suscepit Mennam Patriarcham Constantinopolitanum in festivitate Apostolorum. Et paulo post. Ianuario vero mense se suppositum est nomen Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani, et præpositum est nomen Vigilii præcellens in diptichis. Et infra. Anno Imperii Iustiniani XXVI facta est sancta et universalis

V Synodus contra tria capitula. Vigilius vero Romanus convenientibus consedit. Dimisus autem ab Imperatore, in Hillirico moritur rediens Romam.

CCXXXV.

Item in eadem.

Mundi anno VI. CCVI divinæ Incarnationis anno DCCVII, anno II Arthemii Imperatoris, electione et approbatione religiosissimorum Presbyterorum et Diaconorum et totius venerabilis Cleri, sacrique senatus et amici Christi populi a Deo conservandæ huius regiæ urbis, divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea quæ sunt adimplet, transtulit Germanum sanctissimum præsulem Cizicinensium metropoleos in Episcopum huius a Deo conservande urbis imperatoriæ. Facta est autem præsens translatio in præsentia Michaelis sanctissimi presbyteri et apocrisarii Apostolicæ Sedis.

CCXXXVI.

Constitutio Valentiniani Imperatoris.

Imperator Valentinianus Augustus omnibus sub imperio æternæ urbis Romæ ubique terrarum degentibus. Certum est et nobis et imperio nostro unicum esse præsidium in superne divinitatis favore, ad quem promerendum præcipue christianorum fides et veneranda nobis religio suffragatur. Cum igitur sedis apostolicæ primatum, Sancti Petri meritum qui princeps est episcopalis coronæ et romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam sinodi firmet auctoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius illicita præsumptio attemptare nitatur, tunc pax ecclesiarum ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat universitas, hæc cum actenus inviolabiliter fuerint custodita Hylarius Arelatensis sicuti venerabilis viri Leonis Papæ Romæ inconsulto pontifice, iudicia sive ordinationes episcoporum sola temeritate usurpant invasit. Nam aliquos invitis et repugnantibus civibus ordinavit. Quod quum non facile ab his qui

non elegerant recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam et claustra murorum, in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, et ad sedem quietis, pacem prædicaturos per bella ducebat, his talibus et contra imperii magestatem et contra reverentiam Apostolicæ sedis admissis, et per ordinem urbis Papæ cognitione discussis, certa in eum et de his quos male ordinaverat lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in ecclesiis non liceret? Sed nostra quoque præceptio ac ratio probavit, ne ulterius nec Hylario quem adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti presulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani Antistitis obviare. Ausibus enim talibus fides et reverentia nostri violatur imperii. Nec osculum quod est maximi criminis summovemus. Verum ne levis saltem inter ecclesias turba nascatur vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hac perhenni sanctione censemus, ne quid tam episcopis gallicanis quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine venerabilis viri Papæ Urbis æternæ auctoritate temptare. Sed hoc illis omnibus pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ Sedis auctoritas, ita ut quisquis Episcoporum ad iudicium Romani antistitis evocatus venire neglexerit, per moderationem eiusdem provinciæ adesse cogatur. Servatis per omnia quæ divi parentes nostri Romanæ ecclesiæ contulerunt. Datum VIII idus Iulii Romæ Valentiniano Augusto.

CCXXXVII.

Ex eodem Iustiniano constitutio prima.

Imperatores Gratianus, Valens, Theodosius Augusti. Ad populum urbis Constantinopolitanæ. Cunctos populos quos clementiæ nostræ regnum temperamentum in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriæ

Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis, hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam, evangelicamque doctrinam Patris et Filii et Spiritus sancti unam deitatem sub pari maiestate et sub pia Trinitate credamus. Dat. III. Kalendas Martii.

CCXXXVIII.

Ex eodem, constitutio eadem.

Victor Iustinianus pius, felix, inclitus triumphator, semper Augustus, Iohanni sanctissimo Archiepiscopo almæ Urbis Romæ et Patriarchæ. Reddentes honorem Apostolicæ Sedi et vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto fuit et est, ut decet patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia que ad ecclesiarum statum pertinere festinamus ad notitiam deferre. Quoniam semper magnum nobis fuit studium, unitatem vestræ Apostolicæ sedis, et statum sanctarum Dei ecclesiarum custodire, qui hactenus optinet, et incommote permanet, nulla intercedente contrarietate, ideoque omnes sacerdotes universi orientalis tractus, et subicere, et unire sedi vestræ sanctitatis properavimus. Et in præsenti ergo hæc que mota sunt, quamvis manifesta et dubitata sint, et secundum Apostolicæ vestræ Sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firmo custodita et prædicata, necessarium duximus ut ad notitiam vestræ sanctitatis perveniant. Nec patimur quicquam quod ad ecclesiarum statum pertinet quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestræ sanctitati innotescat, quia caput est omnium sanctarum ecclesiarum. Per omnia enim ut dictum est properamus honorem et auctoritatem crescere vestræ sedis. Et infra. Petimus ergo vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, et ad sanctissimum Episcopum huius alme Urbis et patriarcham vestrum fratrem, quoniam et ipse per eosdem Episcopos Hypatium et Demetrium scripsit ad vestram sanctitatem, festinans in omnibus sequi Sedem Apostolicam beatitudinis vestræ, manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædicta recte confitentur suscipit vestra sanctitas, et eorum qui iudaice ausi sunt rectam

negare fidem condempnat perfidiam. Plus ita enim et circa vos ovium amor, et vestræ Sedis crescit auctoritas, et quod ad vos est unitas sanctarum ecclesiarum inturbata servabitur, quin per vos didicerint omnes beatissimi Episcopi horum quæ ad vos relata sunt sinceram sanctitatis vestræ doctrinam. Petimus autem ad vestram beatitudinem orare pro nobis, et Dei nobis acquirere providentiam. Et subscriptio. Divinitas te servet per multos anos sancte et religiosissime pater.

CCXXXVIIII.

Ex eodem, constitutione eadem rescriptum Iohannis Papæ ad eumdem Imperatorem.

Gloriosissimo et clementissimo filio Iustiniano Augusto, Iohannes Episcopus Urbis Romæ. Inter claras sapientiæ mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce tamquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod caritatis studio edocti ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reverentiam conservatis, et ei cuncta subicitis, et ad eius deducitis unitatem, ad cuius auctorem, hoc est Apostolorum primum Domino loquente præceptum est. Pasce oves meas. Quam esse omnium vere ecclesiarum caput, et patrum regulæ et principum statuta declarant et pietatis vestræ reverentissimi testantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore, quod scripturæ locuntur, per me reges regnant, et potentes scribunt iustitiam. Nihil est quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe. Nichil est quod ita nequæat occasui subiacere, quam vera religio. Nam cum auctor vitæ vel luminis utrumque respiciant, rectæ et tenebras respiciunt et nesciunt subiacere defectui. Et infra. Scriptum est enim: labiis regnat rex. Et iterum: cum rex iustus sederit super sedem, non adversabitur ei quicquam malignum. Et cætera.

CCXL.

Ex libro novellarum Iustiniani.

Iustinianus Imperator Augustus, Petro PP. Sancimus secundum diffinitiones sanctarum IIII^{or} principalium synodo-

rum Sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum, beatissimum autem archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ secundum habere locum, post sanctam apostolicam sedem senioris Romæ. Aliis autem omnibus sedibus præponatur. Per tempus autem beatissimum Episcopum primæ Iustinianæ nostræ patriæ habere semper sub sua iuris dictione episcopos provinciarum Daciæ mediterraneæ et Daciæ ripensis, Perbalis, et Dardaniæ, et Misiæ superioris, atque Pannoniæ et ab eo hos ordinari. Ipsum vero a proprio ordinari concilio, et in subiectis sibi provinciis locum optinere eum sedis Apostolicæ Romanæ secundum ea quæ diffinita sunt a sanctissimo Papa Iulio. Simile quoque modo ius quod Episcopo Iustinianæ Pontifici Cartaginis Africanæ civitatis dedimus, et ex quo Deus hanc nobis restituit, servare iubemus. Sed et aliæ civitates et harum Episcopis quibus in diversis locis metropolitis cum ius præstitum est, huiusmodi privilegio in perpetuum potiuntur. Idem in eodem. Tannæ Constantinopolitano Episcopo. Illud quoque sancimus, quatinus secundum iam a nobis prolatam legendam amabiles Episcopi in suis ecclesiis maneant, et non relinquant eas tempore multo, et cogant per provinciarum oechonomos expensas sibi trasmittere, et sanctissima ecclesia expendat quidem, ipse vero suum iūs ei observare non patiatur. Sancimus igitur a nobis iam legem positam in sua virtute manentem, si defuerit Deo amabilis Episcopus ecclesiæ suæ amplius tempus nullam ei emittit expensam de provincia, sed illam quidem circa actus pios expendi, ipsum vero errantem non expensis ecclesia pergravare, cum certum sit, quia si plurimo tempore defuerit, quæ iam a nobis super eum sancita sunt valebunt. Et infra. Hanc itaque nostram legem et ad sedem tuæ beatitudinis, et ceteros Patriarchas missam, ipsi per litteras proprias sub vestris metropolitis facietis manifestum, ut illi palam faciant sub se constitutis Episcopis, ut nullum latebit quæ a nobis constituta sunt.

CCXLI.

Ex eodem codice cons itutio.

Imperatores Valens et Marcianvs AA. Palladio PP. Omnes sane pragmaticas sanctiones quæ contra canonum sanctiones interventu gratiæ et ambitionis elicitæ sunt, robore suo et firmitate vacuatas, cessare præcipimus. Dat. II. Idus Novembris.

CCXLII.

Ex constitutionibus Hlotharii Imperatoris sub II.⁰ Eugenio Papa gestis in atrio beati Petri Apostoli cap. I.

Constituimus ut omnes qui sub speciali protectione Domni Apostolici, seu nostra fuerint suscepti, impetrata inviolabiliter utantur defensione. Quod si quis in quocumque violari præsumpserit sciat se periculum vitæ suæ incursurum. Nam et hoc decernimus, ut Domno Apostolico in omnibus iusta servetur obedientia seu ducibus aut iudicibus suis, ad iustitiam faciendam.

CCXLIII.

Eiusd. cap. II.

Ut deprecationes quæ hactenus fieri solebant, nullo modo fiant, neque vivente Pontifice, neque defuncto. Si quis vero ulterius hoc fecerit, sciat se legali sententia condempnandum. Quæ vero retro factæ sunt legaliter emendentur.

CCXLIIII.

Eiusd. cap. III.

In electione autem Romani Pontificis, nullus sive liber sive servus præsumat aliquod impedimentum facere, sed illi solummodo Romani quibus antiquitus concensum est constitu-

tione sanctorum Patrum, sibi eligant Pontificem. Quod si quis contra hanc nostram constitutionem facere præsumpserit, exilio tradatur.

CCXLV.

Eiusd. cap. IIII.

Volumus etiam ut missi constituantur a Domno Apostolico et a nobis, qui annuatim nobis renuntient, qualiter singuli duces et iudices iustitiam populo faciant, et quomodo nostra constitutio servetur. Decernimus itaque, ut primum omnes clamores qui neglegentia ducum, aut iudicium fuerint, ad notitiam Domni Apostolici referantur, ut statim aut ipse per suos nuntios emendari faciat, aut nobis notificet, ut legatione a nobis directa emendentur.

CCXLVI.

Eiusd. cap. V.

Volumus etiam ut omnis Senatus et populus Romanus interrogetur quali vult lege vivere ut sub ea vivat, eisque denuntietur, quod proculdubio si offenderint contra eamdem, eidem legi quam profitebuntur, et dispositione domni Pontificis et nostra omnimode subiacebunt.

CCXLVII.

Eiusd. cap. VI.

De rebus autem ecclesiarum iniuste retentis sub occasione quasi licentia acepta a Pontifice, volumus ut a legatis nostris in potestatem domni Pontificis, et in ius Romanæ Ecclesiæ celerius redigantur.

CCXLVIII.

Eiusd. cap. VII.

Precipimus etiam ut depredationes in confinio nostro non fiant, et quæ factæ sunt, et ceteræ iniustitiæ, secundum legem ab utriusque partibus emendentur.

CCXLVIIII.

Eiusd. cap. VIII.

Placuit etiam nobis ut cuncti duces et iudices, sive alii qui cunctis præesse debent, in nostram presentiam dum Rome sumus conveniant. Volumus enim et numerum et nomina scire, et singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.

CCL.

Eiusd. cap. VIIII.

Novissime præcipimus et monemus, ut omnis homo sicut Dei gratiam et nostram habere desiderat, ita præstet in omnibus obedientiam et reverentiam Romano Pontifici.

CCLI.

Ex gestis sancti Bonifatii martyris Archiepiscopi Legati Romanæ Ecclesiæ.

Sancta Romana Ecclesia et reverenda et amanda est, non quia Roma fundata est super arenam per Romulum et Remum, profana sacerdote et quo nescitur sacrilego editos, sed quia hedificata est super Christum per Petrum et Paulum. Nec quia illius fraterno primi maduerunt sanguine muri, sed quia postmodum fraterno agone fuerunt purificati, cruce videlicet Petri, et sanguine Pauli, quos eadem fides et devotio, ac unius eiusdemque die passio vere germanos et per omnia concordes ad Dominum virtutum partem subvexerunt, cum spurios illos di-

scordes perfidia et superbia ad fratricidium detraxit. Nec quia habuit infame asylum flagitiosorum crimina sua defendentium, non agnoscentium, sed quia postmodum facta est laudabile lapsorum refugium, lapsus suos humiliter accusantium, et scelera præcordialiter effugere quærentium. Nec quia instituit senatum et curiam civilem, et quoddam velamen suæ malitiæ unam libertatem, sed quia actenus sanctam catholicam disciplinam, et deligere ecclesiasticorum officiorum ordinarias dignitates, decernitque generales et speciales universitati christianæ leges divini famulatus ad veram libertatem gloriæ filiorum Dei. Nec quia produxit Decios natumque patremque lustrales bellis animas acremque Camillum et Curios, Sillam, vel nomina vana Catones, Paulos Brutos et popularia nomina Drusos, legibus inmodicos aussosque ingentia Gracchos, Marcellos variosque truces nudosque Cethegos: sed quia paternos sibi post Petrum et Paulum vendicat Clementem, Xistum, Laurentium, Cornelium, Pancratium, Silvestrum, Damasum, Celestinum, Leones, Gregorios, Bonifatios, Stephanos, Agathonem, Adrianum, Nycolaum, alios quoque utriusque sexus martyrum et confessorum innumerabiles populos iuvenum scilicet ac virginum senum atque iuniorum. Equidem illorum improbitate insanaque patientia, iussuve potentiæ terra marique protulit. Illorum vero modestia et salutari disciplina non solum orbem terrarum regina, verum et ipsum cælorum regnum sibi præsumit, cui violentiam inferre non desinit, hæc et si ex tirannis et principibus suis babilon magna mater fornicationum et abominationum terre notari meruit, in ea tamen Princeps Apostolorum Petrus æcclesiam esse electam asserit, hæc et si meretrix magna prius et ebria sanguine martyrum Ihesu, de vino prostitutionis suæ idest idolatriæ potavit et inbriavit omnes gentes calice aureo, eloquentia scilicet seculari atque potentia, tamen postmodum desponsata uni viro Christo virginem castam seipsam exhibet, atque ab ipso introducta in cellam vinariam omnibus gentibus quam præclaro salutifero confessionis poculo musta novæ gratiæ ac vina veteris acrimoniæ profert, quibus ipsa debriata debriare quærit omnes. Nec solum suæ se-

pticollis arcis moenia subversis delubris demonum figmentis et geniis in signo Ihesu Domini Cruce, sanctorumque basilicis, yconis et tytulis, verum et plenitudinem orbis. Quæ non tam civitas hominum quam martyrum dicenda est cymiterium. In qua aut nil aut nimium soli constat quod sanctorum cruor inficiendo non possideat. Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra, turres et criptas circum madidasque popiuas, arcus et pontes pomeria, rostra forumque cum pontis, domibus, thermis, stabulisque cloacis. Sic sanguine piorum quem impia quondam et crudelis passim velut aquam effudit nec pia et mitis ad tutelam sui venerata suscipit. Et quid plura? hæc regnum terris et fama terminat astris. Cui non plus terreuum regnum quam cæleste successit. Postquam enim lapis ille reprobatus et probatus, abscisus de monte sine manibus reguum Romanorum et in ipso Græcorum Persarum et Babiloniorum qui in Danhiele bestiis crudelibus et statuæ corruptibilium metallorum ad demonstrationem principis huius mundi in eis tunc regnantis contritum fuuditus et in fundamento apostolicæ fidei fundatus implevit universam terram mons magnus est factus, fecit uos ex omni tribu et lingua et populo et natione regnum et sacerdotes Deo nostro super terram, ut iam non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius, sed iustitia sempiterna quæ est Christus per fidem habitet atque regnat in nostris cordibus nosque cum eo perpetuo regnemus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

DE ROMANO CLERO

Ex libro actuum Apostolorum.

STATVIT VNIVERSA ÆCCLESIA UT ASCENDERENT PAVLVS ET BARbas et quidam alii ex aliis ad Apostolos et Presbyteros in Hierusalem super questionem circumcisionis. Illi igitur ducti ab Æcclesia. Et post pauca. Cum venissent Hierusalem, suscepti sunt ab æcclesia, et Apostolis, et senioribus. Et post pauca. Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret surgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus in nobis eligit Deus per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere. Et infra. Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni æcclesiæ eligere viros et mittere cum eis Antiochiam cum Paulo et Barnaba scribentes per manus eorum. Apostoli et seniores fratres his qui sunt Antiochiæ et Siriæ fratribus ex gentibus salutem. Et cetera.

II.

Ex eodem.

In diebus illis: crescente numero discipulorum factum est murmur Grecorum adversus Hebreos, eo quod despicerentur in ministerio cotidiano vidue eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt. Non est equum nos relinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii VII plenos Spiritu sancto et sapientia quos constituamus super hoc opus, nos

vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine, et elegerunt Stephanum et cœteros, hos statuerunt ante conspectum Apostolorum et orantes imposuerunt eis manus.

III.

Ex epistola ad Timotheum.

Qui bene præsunt Presbiteri, dupplici honore digni habeantur maxime qui laborant in verbo et doctrina Dei. Dicit enim scritura. Non infrenabis os bovi trituranti. Et dignus est operarius mercede sua. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Paulus et Timotheus servi Ihesu Christi his qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus. Et alibi. Paulus et Silvanus et Timotheus Ecclesias Thessalonicensium.

IIII.

Ex XVIII cap. Niceni Concilii.

In sua Diaconi permaneant mensura, scientes quod Episcoporum quidem ministri sunt. Inferiores autem Presbyteris habeantur. Per ordinem ergo prius Presbyteris gratiam sacre communionis accipiant aut Episcopo aut Presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio Presbyterorum Diacones liceat. Quia si hoc fiat, præter regulam probatur existere. Si quis autem etiam post has diffinitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debet.

V.

Ex concilio Chalcedonensi cap. XXVI.

Quoniam ut in quibusdam ecclesiis reperimus sine echonomis res ecclesiasticas tractare Episcopi placuit omnino, ut omnis æcclesia habens Episcopum etiam echonomum habere de proprio clero, qui res ecclesiasticas dispenset cum consensu

Episcopi sui. Ne cum dispensatio sine testimonio fuerit, res ecclesiastice disperse sint, ad contumeliam pontifici irrogandam. Si vero hoc non fecerint, reos eos sanctis subiacere canonibus.

VI.

Ex concilio eodem cap. X.

Si quis iam translatus est ex alia in aliam æcclesiam prioris æcclesiæ, vel martiriorum quæ sub ea sunt, aut ptochiorum, aut xenodochiorum rebus in nullo communicet. Qui autem aliter ausi fuerint, decrevit sancta Synodus a proprio gradu recedere. Item ex eodem cap. XXIII. Clerici et Monachi quibus nihil ab Episcopo suo commissum est, quia per Constantinopolim diutius immorantur, si a defensore eiusdem æcclesiæ prius commoniti ad propria redire noluerint, ab eodem ex urbe pellantur.

VII.

Ex VII sinodo universali ecclesiæ patrum cap. XV.

Clericus non connumeretur in duabus æcclesiis negotiationis enim est hoc et temporis commodi proprium, et ab æcclesiastica consuetudine penitus alienum. Audivimus enim ex ipsa dominica voce, quia nemo potest duobus dominis servire, et cætera. Quæ enim per turpe lucrum in æcclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt a Deo.

VIII.

Ex ead. cap. XVI.

Omnis iactantia et ornatura corporalis aliena est a sancto ordine. Eos ergo Episcopos vel Clericos qui se fulgidis et cleris vestibus ornant emendari oportet. Quod si in hoc permanserint epythimio tradantur. Qui vero inventi fuerint deridentes eos qui vilibus vestimentis et religiosis amicti sunt per epythimium corrigantur. Scriptum est enim. Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.

VIIII.

Ex concilio Sardicensi CCC. patrum cap. XXVII.

Osius Episcopus dixit. Quod me adhuc movet reticere non debeo. Si quis Episcopus forte iracundus quod esse non debet cito et aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconem suum, et exterminare eum de æcclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo habeat potestatem is qui abiectus est, ut Episcopos finitimos interpellet ut causa eius audiatur, ac diligentius tractetur, quia non potest ei negare audientiam roganti. Et ille Episcopus qui iuste aut iniuste eum abiecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia eius a plurimis, vel emendetur. Tamen prius quam omnia diligenter et fideliter examinentur, eum qui fuerat a communione separatus, ante cognitionem nullus præsumere debet, ut eum communioni societ, hi vero qui conveniunt ad audiendum si viderint clericorum esse fagium et superbiam, quia non decet ut episcopus iniuriam vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo. Quia sicut ille clericis exhibere debet caritatis amorem, ita quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.

X.

Ex eod. cap. XX

Ea tempora constituta sunt circa Episcopos, et circa Presbyteros et Diacones, observentur idem, ut non absint suis ecclesiis tribus septimanis, excepta gravi necessitate. Si quis presbyter aut diaconus ab episcopo suo segregatur, hunc non licere ab alio recipi, sed ab eo qui eum segregaverat nisi forsitan obierit episcopus qui eum segregasse cognoscitur.

XI.

In can. Apostolorum cap. XXXII.

Si quis Presbyter contempnens Episcopum proprium extra colligerit et altare aliud erexerit, nihil habens quo reprehendat Episcopum proprium in causa pietatis, deponatur, quia principatus amator existens. Est enim tirannus et ceteri clerici, quicunque tali consentiunt, laici vero segregentur. Hæc autem fieri post unam et secundam et tertiam obsecrationem Episcopi conveniunt.

XII.

Innocentii cap. XIII.

Presbiteri qui corregionales non sunt, in ecclesia præsente episcopo vel presbiteris civitatis offerre non poterunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. His vero assentibus, si vocentur dare debent.

XIII.

In concilio Laodocii cap. XX

Quod non oporteat Diaconum coram presbytero sedere, sed iussione Presbyteri sedeat. Similiter autem diaconi honorem habeant a sequentibus, idest a subdiaconis et omnibus clericis.

XIIII.

In concilio Cartaginensi cui præfuit PP. Zosimus per vicarios suos.

Diaconi se Presyteri ut Episcopi ministros esse cognoscant. Item ibidem. Ut diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo si necessitas cogit, iussus eroget. Item in eodem cap. XLVIIII. Ut diaconus iubente presbytero sedeat, quolibet loco. Item in eodem cap. L. Ut diaconus in conventu presbyterorum interrogatus loquatur. Item in eodem cap. LI. Ut diaconi tempore tantum oblationis et lectionis alba utantur.

XV.

In eod. cap. III.

Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente et manus super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt manus suas iuxta manum Episcopi super caput ei ponant. In eodem cap. IIII. Diaconus cum ordinatur solus Episcopus qui eum benedicit manus super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. Episcopus quolibet loco sedens stare presbyterum non patiatur. In ecclesia in consessu presbyterorum sublimior sedeat. Intra domum vero collegam se presbyterorum esse cognoscat. In Tolletano Concilio cap. XXVIIII. Diaconi presbyteros se sublimiores agnoscant, et tam hi quam illi in utroque choro consistant.

XVI.

Ex Concilii Africani cap. XXIII.

Ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum quia irrita erit sententia Episcopi nisi clericorum suorum præsentia firmetur. Similiter Adrianus Papa ad Algilrannum Episcopum cap. XI. Item in eodem Concilio. Uniuscuiusque sententia vel a plurimis confirmetur si iuxta est, vel corrigatur si iniuxta.

XVII.

Ex Conc. Africani et Cartagin. cap. XLII.

Ut penitentibus secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio penitentiæ tempora decernantur et ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet penitentem, nisi absentia Episcopi, necessitate cogente, cuiuscumque aut pæuitententis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universam æcclesiam commoverit, ante absidam manus ei imponantur.

XVIII.

Ex Concilii Africani cap. X.

Ut episcopus absque presbyterorum suorum concilio, clericos non ordinet, ita ut civium convenientiam et testimonium querat.

XVIIII.

Ex Concilii Neocesar. cap. XI.

Presbyter ante XXX ætatis suæ annum nullatenus ordinetur, licet valde sit dignus. Nam Dominus Deus noster XX annos etatis suæ baptizatus est, et sic cepit docere. Diaconi vero VII debent esse iuxta regulam actuum Apostolorum.

XX.

Ex Concilii Antiochen. cap. III. et VI.

Si quilibet ex clero in alia parrœchia multo tempore moratur, et vocante eum episcopo ad propriam parrœchiam redire contempserit, a ministerio removeatur absque restitutione. Si vero pro hac causa dampnatum alter Episcopus susceperit, coerceatur a synodo. Si quis autem a proprio Episcopo communione privatus est, non ante suscipiat ab aliis quam suo reconcilietur episcopo, aut certe ad synodum quæ congregatur occurrens pro se satisfaciat, et persuadens concilio, sententiam suscipiat alteram. Hæc autem diffinitio maneat circa laicos, et presbyteros, et diaconos, omnesque qui sub regula esse monstrantur.

XXI.

Clemens Iacobo, inter cætera. Si quis ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores sæculi non diiudicentur, sed apud presbyteros quicquid illud est dirimatur. Item in ca-

dem. Neque enim iudicem aut cognitorem sæcularium negotiorum te ordinare vult Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare, hæc vero opera quæ tibi minus congruere diximus, exhibeant sibi invicem vacantes, idest laici, et te nemo occupet ab his studiis per quæ salus omnibus datur. Sicut enim tibi impietatis crimen est o Clemens neglectis verbi Dei studiis, sollicitudines suscipere sæculares, ita unicuique laicorum peccatum est nisi invicem sibi etiam in his quæ ad communis vitæ usum pertinent opera fideliter dederint. Te vero secuturum facere ex his quibus non debes instare omnes communiter elaboreut. Quod si forte a semetipsis hoc laici non intelligunt, per diaconos edocendi sunt, ut tibi solius ecclesiæ sollicitudines derelinquant. Item in eadem. Diaconi vero æcclesiæ sint tamquam oculi Episcopi oberrantes et circumlustrantes cum verecundia actus totius ecclesiæ et perscrutantes diligentius si quem videant fieri vicinum præcipitio et proximum esse peccato, ut referant hæc ad Episcopum. Et post pauca. Eos qui non sollicite ad Episcopi tractatum conveniunt, ipsi commoneant et ortentur. Et post alia. Episcopo suggerere quæ ad cultum æcclesiæ et disciplinam eius pertinent, diaconibus cura sit. Item in eadem. Sacerdotes vero sal terræ dicebat beatus Petrus et mundi lumen, docentes præceptis in splendore operum et patrem glorificare Deum. De quibus Dominus ait. Beati estis cum maledixerint vobis homines. Et reliqua. Et iterum. Vos estis sal terræ. Et cætera.

XXII.

Anacletus servus Christi Ihesu. In sollempnioribus quippe diebus aut VII, aut V, aut III diaconos qui eius oculi dicuntur, et subdiaconos atque alios ministros secum habeat Episcopus qui sacris induti vestimentis in fronte et a tergo, et presbyteri e religione dextera lævaque contrito corde et humiliato spiritu ac prostent vultu.

XXIII.

Ex epistola Papæ Anacleti.

Porro et Moysi præcipitur ut eligat presbyteros idest seniores. Unde et in proverbiis dicitur. Gloria senum canities, hæc vero canities sapientiam designat. De qua scriptum est. Canities hominum prudentia est. Cumque DCCCC et eo amplius annos ab Adam usque ad Habraham vixisse homines legimus, nullus alius primus appellatus est presbyter, idest senior, nisi ab Abraham qui multo paucioribus vixisse annis convincitur. Non ergo propter decrepitam senectutem sed propter sapientiam presbyteri nominantur.

XXIIII.

Ex eadem.

Anacletus Urbis Romæ Episcopus omnibus Italicis Episcopis inter cætera. Minus quam a tribus Episcopis, et reliquis omnibus assensum præbentibus, nullatenus Episcopus ordinetur. Quod idcirco constituente Domino fieri iubetur, ne aliquid contra fidem ecclesiæ unius tyrannica auctoritas moliretur, et regula vel fides confunderetur credentium. Reliquos sacerdotes a proprio ordinentur episcopo, ita ut cives et alii sacerdotes assensum præbeant, et ieiunantes ordinationem celebrent. Similiter et diaconi ordinentur. Ceterorum autem graduum distributio trium veracium testium episcopi probatione sufficere potest.

XXV.

Evaristus dilectissimis fratribus universis Africæ regionis Episcopis. Dilectio vestra normam secuta prudentium, ad sedem apostolicam referre maluit quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis custodire, potiusquam usurpatione præsumere. Diaconi qui quasi oculi videntur esse Episcopi in unaquaque

civitate iuxta Apostolorum constituta, VII debent esse qui custodiant episcopum prædicantem, ne ipse ab insidiatoribus quoquomodo infestetur, aut verba divina detrahendo, aut insidiando polluantur vel despiciantur.

XXVI.

Fabianus. Dilectissimis ubique ecclesiæ comministris. Septem ergo Diaconos in Urbe Roma per VII regiones civitatis a patribus accepimus, qui per singulas ebdomadas et dominicos dies atque festivitatum sollempnia, cum subdiaconibus et acolithis ac sequentium ordinum ministris iniuncta sibi observent ministeria. Et post pauca: Denique VII similiter subdiaconos ordinavimus, qui VII notariis imminerent, et gesta martyrum veraciter in integro colligerent, nobisque rimanda manifestarent. Idem in II°. Sacerdotes quoque sibi Dominus elegit ut sacrificarent ei et offerant oblationes Domiuo. Lævitas vero sub eis esse iussit in ministeriis eorum.

XXVII.

Lucius Episcopus. Dilectissimis fratribus omnibus Episcopis. Iubemus Apostolica auctoritate ut semper testes vobiscum habeatis sacerdotes et levitas. In hac enim sancta Sede constitutum habemus, ut II presbyteri, et III diaconi in omni loco Episcopum non deserant propter testimonium ecclesiasticum.

XXVIII.

Quod singulæ Romæ ecclesiæ singulis Cardinalibus ab initio commissa sint.

Dionisius Episcopus Severo Episcopo. Æcclesias singulis presbyteris dedimus, parrochiasque et cymiterias eis divisimus, et unicuique ius proprium habere statuimus. Ita videlicet, ut nullus alterius parræchiæ terminos aut ius invadat, sed unusquisque terminis suis sit contentus, et taliter æcclesiam

et plebem sibi commissam custodiant, ut ante tribunal æterni iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddant, et non iudicium sed gloriam pro suis actibus accipiat.

XXVIIII.

Gaius dilectissimo fratri Felici Episcopo. Regiones sicut in hac urbe fecimus, per singulas urbes quæ populosæ fuerint, diaconibus dividantur.

XXX.

Silvester Papa in concilio CCLXXVII Episcoporum dixit. Presbyter Cardinalis Urbis Romæ nisi in XLIIII testibus non damnabitur. Diaconus Cardinarius constitutus Urbis Romæ nisi in XXVI non condempnabitur. Subdiaconus, acolitus, exorcista, lector, ostiarius, nisi sicut scriptum est in VII testibus non condempnabitur. Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia, uxores et filios habentes, et omnino Christum prædicantes. Et constituit ut diaconi non essent amplius per parræchiarum examen nisi duo, et diaconi cardinalis urbis Romæ VII.

XXXI.

Exinod. *(sic)* S. Silvestri Papæ cap. IIII.

Ut a subdiacono usque ad lectorem omnes subditi sint diacono Cardinali viro reverentissimo. In æcclesia repræsentantes honorem tantum. Porro Pontifici Presbyter, Diaconus, Subdiaconus Acolitus Exorcista lector Abba Monachus in omni loco præsentem obsequium, sive in publico sive in gremio æcclesiæ.

XXXII.

Ex gestis Damasi Papæ.

Liberio vehementer Constans Imperator iratus est, et iussit eum extra civitatem habitare. Habitabat autem ab urbe

Romæ miliario III quasi exul in cimiterio Novellæ via salaria. Veniente autem die Paschæ vocavit universos Presbyteros Romanos, et Diaconos, et sedit in eodem cymiterio, et dixit. Nolite timere quia vobiscum ego non habito in civitate, habetis vicarium nostrum fratrem et compresbyternm Damasum, cuius testimonium vos mihi perhibuistis. Et paulo post. Domini sancti et compresbyteri nolite cogitare de crastino. Sic enim dixit Magister noster.

XXXIII.

Damasus Episcopus fratri et compresbytero Hieronimo salutem in Christo. Memoriam capacitatis meæ imbuere frater amantissime et in Christo semper sacerdos secundum LXX interpretes. Peto ergo per fratrem et compresbyterum nostrum Bonifacium ut iubeas fraternitas tua nobis eorum aperire vestigia.

XXXIIII.

Siricius Episcopus omnibus Episcopis. Nos sane nuptiarum vota non spernantur accipimus, quibus velamine intersumus, sed virgines Deo devotas maiori honorificentia muneramus. Facto igitur Presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, idest Christianæ legi esse contraria. Unde Apostolicum secuti præceptum quia aliter quam quod accepimus annuntiabant, omnium nostrorum tam presbyterorum, quam et diaconorum, quam etiam totius cleri unam factam constat esse sententiam, ut Iovinianus, Auxentius, Genialis, Minator, Plotinus, Marcianus, Ianuarius et Iugeniosus, qui accentores nove heresis et blasphemiæ inventi sunt, divina sententia et nostro iudicio imperpetuum damnati extra æcclesiam remanerent. Quod custodituram sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta direxi per fratres et compresbyteros meos Crescentem Leopardum, et Alexandrum.

XXXV.

Innocentius. Decentio Eugubino Episcopo. De fermento vero quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consu-

lere voluisti, cum omnes æcclesiæ nostræ intra civitatem sint constitute. Quarum presbyteri quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, iccirco fermentum a nobis confectum per acolitos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illo die non iudicent separatos. Quod per parræchias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta. Nec nos per cymiteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, ut et presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam.

XXXVI.

Ex gestis Xisti iunioris Papæ.

Xistus Episcopus rogavit presbyteros urbis Romae et omnem clerum, et sedere in uno conflictu in basilica Heleniana, quæ dicitur Sessorium. Et infra. Erant autem ibi omnes patricii et consules, et omnes Presbyteri urbis Romæ XL et Diaconi V. Item post pauca. Alia autem die fecit colligi omnes presbyteri urbis Romæ et sedit in eodem loco, et fecit cum omnibus concilium, et damnavit Bassum et Marianum.

XXXVII.

Leo episcopvs Dioschoro Alexandrino Episcopo inter cætera. Non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati eiusque noctem, quæ in prima sabbati lucescit exordia consecrandi eligantur, in quibus ieiunis a ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Quod eiusdem observantiæ erit, si mane ipso die dominico continuato sabbati ieiunio celebretur a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt. Quod ad diem resurrectionis sicut etiam in pascha Domini declaratur pertinere non dubium est.

XXXVIII.

Leo Anastasio Episcopo Thessalonicensi. Si est adhibenda correctio, ut semper sit salva dilectio. Licet enim accidant quæ

in sacerdotalibus sint reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat benivolentia, quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus caritas quam potestas. Sed ab his qui quæ sua sunt querunt non quæ Ihesu Christi, facile ab hac lege disceditur, dum damnari magis quam consulere subditis placet.

XXXVIIII.

Ex epistola eiusdem ad Donum Beneventanum Episcopum.

Iudicium quod de te sperabamus dolemus esse frustratum, quoniam te ea commisisse perspicimus, quæ omnem ecclesiasticæ sanctionis regulam culpabili novitate fædaret. Et paulo post. Libello etenim Pauli presbyteri tui qui in subditis habetur, cognovimus aperte novo ambitu fedoque colludio presbyterii ordinem fuisse turbatum, ita ut unius festina et immatura provectio quædam illorum deiectio facta sit quos etas et religio commendabat, cum incipiens emeritis et novellus prælatus est antiquis. Et infra. Si vero primi sed aliqui presbyteri circa Epycandium sibimet præponendum tanta assentatio fuit, ut illum cum sui dedecore poscerent honorari, ne hoc quidem illi proprio se iudicio deicientibus tribuit debuit quod volebant, quos tam miseriæ voluntati dignus fuerat obviare quam cedere. Deformis autem et ignavis subiectio, aliis bene sibi consciis et non irritam faciet tibi gratiam Dei præiudicare non poterit, ut primatus suos quocumque commercio in alterutrum transferant. Predicti igitur qui indignos se honoris sui ordine profexi sunt licet privari etiam sacerdotio mererentur, tamen ultimi inter omnes ut æcclesiæ presbyteros habeantur, iudiciis suis sententiam ferant. Inferiores etiam illo erunt quem sibi propria sententia prætulerunt, cæteris omnibus in eo ordine permanentibus quem cuiquam ordinationis suæ tempus ascribit, nec quisquam primatus sui patiatur iniuriam, sed in eorum statum tantummodo hoc recurrat opprobrium, qui novello ordinato inferiores fieri delegerint. Iuxta illud. In quo enim iudicio iudicaveritis iudicabimini. Paulus vero presbyter ordinem suum de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat. Nec alterius aliquid

in cuiusquam præsumatur iniuriam, ne si iterato ad nos imploratio iusta confugerit, necesse sit severius commovere. Executionem vero præceptionum nostrarum, fratri et coepiscopo nostro Iuliano nos commisisse noveris, ut omnia ab illo quemadmodum constituimus roborentur. Datum VIII Idus Martii post consulatum V. C. Iuliani.

XL.

Cap. IIII.

Gelasius in decretalibus suis. Ordinationes presbyterorum, et diaconorum nisi certis temporibus et diebus exercere nemo Episcoporum audeat. Itaque mensis IIII. VII. et X ieiunio, sed etiam quadragesimali initio, ac mediana quadragesimæ, die sabbati circa vesperas ipsas ordinationes noverint celebrandas. Et infra. Nec cuiuslibet utilitatis seu presbyterum seu diaconum his præferre, qui ante fuerant ordinati. Idem in regesto. Qui proficere noluerunt, reddantur suis inferioribus post minores, ipsaque commoda presbyteri propensius, quam diaconi consequantur, ut hac saltem ratione constricti, et honorem quem fugiunt appetere nitantur et questum.

XLI.

Ex eod. cap. VI.

Nec minus etiam presbyteros contra suum modum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibibet audacter assumere. Non conficiendi Chrismatis, non cogsignationis pontificalis adhibende sibimet arripere facultatem, et non præsente quolibet Antistite, nisi fortasse iubeatur vel orationis vel actionis sacræ suppetere sibi præsumat esse licentiam, neque sub eius aspectu nisi iubeatur aut sedere præsumat, aut venerabilia tractare misteria. Nec sibi meminerit ulla ratione concedi, sine summo Pontifice diaconum, subdiaconum, vel acolitum, ius habere faciendi nec prorsus dubitet si quicquam ad episcopale ministerium, specialiter pertinens suo motu putaverit exse-

quendum, continuo se presbyterii dignitate et sacra communione privari. Quod fieri necesse est censeamus, si eius præsule deferente huiusmodi fuerit prævaricatio comprobata.

XLII.

Idem cap. VI in eisdem decretis.

Quod non oportet in presbiterio diacones residere cum divina celebrantur, vel æcclesiasticus habetur quicumque tractatus, et sacri corporis prærogationem sub conspectu pontificis seu presbyteri nisi his absentibus ius non habeant exercendi, eosque propriam constituimus servare mensuram nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam temptare permittimus. Nichil eorum suo ministerio penitus applicare, quæ primis ordinibus propriæ decrevit antiquitas. Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortasse officiis longius constitutis necessitas extrema compellat. Quod laicis christianis facere plerumque conceditur.

XLIII.

Ex concilio Papæ Simachi cum Episcopis LVIII.

Celius Laurentius Archipresbyter tituli Praxedis, subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia, quæ de Romani Pontificatus ordinatione a sancta synodo unanimiter statuta est.
Ianuarius Presbyter tit. Vestinæ, subscripsi.
Marcianus Presbyter tit. Ceciliæ. S.
Gordianus Presbyter tit. Pammachiæ. S.
Petrus Presbyter tit. sancti Clementis. S.
Paulinus Presb. tit. Iulii. S.
Valens Presb. tit. sanctæ Sabine. S.
Petrus Presb. tit. Grisogoni. S.
Asterius Presb. tit. Pudentis. S.
Felix Presb. tit. Æquitii. S.
Proiectus Presb. tituli Damasi. S.

Iovinus Presb. tituli Emilianæ. S.
Bonus Presb. tituli Crescentianæ. S.
Paschasius Presb. tituli Eusebii. S.
Sebastianus Presb. tituli Nicomedis. S.
Martinus Presb. tituli Ciriaci. S.
Andreas Presb. tituli sancti Mathei. S.
Romanus Presb. tituli Tygrine. S.
Urbicus Presb. tituli sancti Clementis. S.
Soranus Presb. tit. Vestinæ. S.
Iustinus Presb. tit. Pudentis. S.
Redemptus Presb. tituli Grisogoni. S.
Iohannes Presb. tituli Pammachii. S.
Marcellinus Presb. tit. Iulii. S.
Epyphanius Presb. tit. Ciriaci. S.
Abundantius Presb. tit. Sabinæ. S.
Sebastianus Presb. tit. Æquitii. S.
Valentinus Presb. tit. Eusebii. S.
Genesius Presb. tituli Nicomedis. S.
Crescentius Presb. tituli Apostolorum. S.
Agatho Presb. tit. Bizantis. S.
Anastasius Presb. tit. Anastasiæ. S.
Eepyphanius Presb. tit. Apostolorum. S.
Paulinus Presb. tit. Fasciole. S.
Benedictus Presb. tit. Gaii. S.
Dominicus Presb. tituli Priscæ. S.
Stephanus Presb. tit. Marcelli. S.
Cyprianus Presb. tit. Marci. S.
Hylarius Presb. tit. Lucinæ. S.
Cyprianus diaconus regionis VII. S.
Anastasius diac. regionis primæ. S.
Citonatus diac. regionis V. S.
Iohannes diac. regionis II. S.
Tarrensis diac. regionis I. S.
Tertullus diaconus regionis IIII. S.

XLIIII.

Epistola I.

Gregorius in sinodalibus statutis. In hac sancta Romana Æcclesia, cum divina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium helemosinarumque studiis vacare congruebat. Unde fit plerumque ut ad sacrum ministerium dum blanda vox quæritur, congrua vita neglegatur, et cantor minister Deum moribus simulet, cum populorum voçibus delectat. Qua de re præsenti decreto constitutio, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicæ lectionis officium inter Missarum sollempnia exolvant. Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas cogit per ordines minores exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire temptaverit, anathema sit.

XLV.

Martinus Theodoro inter cetera. Iussio porrecta est presbyteris et diaconibus a Calliopa, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur eo quod inregulariter et sine lege episcopatum invasissem, et non essem dignus in Apostolica Sede, et ideo me in regiam urbem translato, alter in meo loco substitueretur antistes. Quod nunquam factum est, nec fieri habet. Quia in omni loco Archipresbyter et Archidiaconus, et Primicerei repræsentant vicem Pontificis in eius absentia. Et cætera.

XLVI.

Ex concilio IIII. L Episcoporum LXVII.

Anastasius Presbyter Cardinis nostri, quem nos in titulo beati Marcelli Martiris et Pontificis ordinavimus, contra san-

ctorum patrum instituta propriam ecclesiam deserens, iam per quinquennii tempus in alienis parræchiis temere inhabitare præsumpsit. Quem auctoritate fulti canonica, Apostolicis litteris, per tertiam quartamque vicem vocavimus. At ubi redire distulit, duobus congregatis Episcoporum conciliis, cum eius non potuissemus videre præsentiam, communi eum decreto sancta communione privavimus, volentes siquidem per huius excommunicationis censuram ad græmium sanctæ a quo discesserat matris æcclesiæ personam reducere, iuxta XVI sancti magnique Niceni Concilii capitulum. Et infra ad eumdem. Nam multis modis te reprehendimus, ac reprehensibilem iudicamus. Quia ad duo pro te congregata concilia, occurre distuli, sicut hi præsentes. Nycholaus Petronacius, atque Iohannes venerabiles Episcopi, per quos nunc auctoritate canonica te iussimus evocare ore proprio iudicabunt. Si autem constituto tempore ad prædictum concilium venire neglexeris, sub excommunicatione te modis omnibus decernimus esse mansurum.

XLVII.

In eodem cap. XII et ex concilio secundo Papæ Eugenii Episcoporum XLI. cap. item XII.

Sine ornatu sacerdotali extra domos sacerdotes apparere nullomodo convenit, ne ut aliquis sæcularium iniurias patiantur. Contrarius denique inventus, aut desinat, aut canonicæ subiaceat disciplinæ. Similiter in Concilio Zacharie Papæ.

XLVIII.

Nicolai PP. I ad Michahelem Imperatorem.

Denique si in epistola ad hebreos legimus quod minor a maiore benedicatur, restat profecto ut exigente ratione etiam maledicatur. Siquidem hæc utique prænoscentes periculosa tempora illi qui ante nos fuerunt, providam in æcclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieque in Romana æcclesia quæ magistra est omnium ecclesiarum imprætermisse servatur, ita ut

nullus sacerdos nisi innuente sacerdote cuilibet rei benedicere nitatur. Sed et anterior stat ad pronuntiandum aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere. Cur hoc? numquid benedicere peccatum est? Absit. De maledicis enim non bene dicis, dicit Apostolus, quia regnum Dei non possidebunt. Sed per hoc innuitur quantæ censuræ freno inferiores quoque ad suos iudicandos præpositos cohercendi sunt, si his nec etiam benedicendi ius nullum penitus optinent.

XLVIIII. (Deest in codice)

Ex concilio secundo Eugenii PP. Episcoporum LXI et . . . . IIII Episcoporum LXXII.

Unaquæque ecclesia habeat loca propriis ordinibus dicata. Quedam ubi sacerdotes et alii clerici consistant, quædam ubi solummodo viri, quædam ubi solummodo fœmine. Et ideo apostolica auctoritate præcipimus ut laici in eo loco quod presbiterium dicitur non maneant dum divina celebrantur, ne peccare magis videantur cum prohibita ægerint, nisi permittente aliquando Episcopo vel Clerici libere ac honorifice divina exerceant officia.

L.

Ex Syn. XV. Iohannis Papæ.

In circuitu Altaris et in presbyterio nullus laicorum stare præsumat, dum divina peraguntur officia. Quod si fecerit, communione privetur, usque ad emendationem. Sancta sinodus dixit. Omnibus placet.

LI.

Ex concilio Nicolai iunioris cum Episcopis XIII. cap. VI.

Constituimus ut per laicos quilibet clericus aut presbyter nullomodo ecclesiam obtineat, nec gratis, nec pretio. Et ut cuiuslibet ordinis clericos laici non iudicent, nec de ecclesiis eiiciant.

LII.

Ex regesto S. Gregorii.

Gregorius Athemio Subdiacono. Inter cetera. Volumus autem ut frater noster Paschasius, et vicæ dominum sibi ordinet et maiorem domus, quatinus possit vel hospitibus vel super venientibus, vel causis quæ eveniunt idoneis et paratus existere. Si vero vel neglegentem eum prospicis, vel ea quæ dominis implere differentem, omnis clerus eius adhiberi debet, ut communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea quæ prædiximus valeant ordinari. Idem clero et plebi Mevianensi inter cetera. Quousque ecclesie vestre episcopus fuerit ordinandus, omnem honorato presbytero sollicitudinis eius curam commisimus.

LIII.

Ex eodem.

Gregorius Maximo episcopo Salonitano. Inter cetera. Si causam vultis dicere, instructam de cætero personam cum mandato legaliter facto, tua ac presbyterorum seu diaconorum et testium subscriptionibus roborato, gestisque ex more indito transmitte, ut quicquid cum ea actum fuerit possit iure snbsistere.

LIIII.

Ex eodem.

Gregorius Iohanni Episcopo Panormitano. Inter cætera. Ut fraternitatis tuæ petitio quæ tenetur in subditis continet, in quam una tecum presbyteri ac diaconi, ceteraque ecclesiastica officia subscribentes præbuere consensum, domum cum orto et balneo suo, et cum omnibus ad eam pertinentibus in hac urbe Roma positam quæ ad ius ecclesiæ tuæ pertinere dinoscitur, permutandi tibi concedimus his auctoritatis nostræ paginam liberam per omnia facultatem.

LV.

Gregorius Scolastico duci Campaniæ. Dum Neapolitanæ civitatis cura destitutæ sacerdotis solacio vehementer augeremur, supervenientes præsentium latores cum decreto in Florentinum Subdiaconum nostrum confecto, aliquid nobis in tanto cogitationis pondere revelationis inveniant. Sed dum præfatus Subdiaconus noster, refugiens civitatem ipsam ordinationem suam lacrymabiliter evitasset, quasi ex maiori quadam desperatione nostram cognoscite crevisse mestitiam. Atque ideo hortamur salutantes magnitudinem vestram, ut convocantes priores vel populum civitatis de alterius electione cogitetis, qui dignus possit cum Christi solacio ad sacerdotium promoveri. In quo decreto sollempniter facto, et ad hanc urbem transmisso, ordinatio illic tandem Christo auxiliante proveniant. Si vero aptam non invenitis in qua possitis consentire personam, saltem tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum iudicio plebs tota consentiat. Nam Deo operante forte hic talem reperient, qui vobis inreprehensibiliter ordinetur. Idem Cypriano dicit. Lilibitanæ ecclesiæ clero huc pro ordinando sibi sacerdote veniente, licentiam de exquirendo sibi episcopo nos dedisse cognoscas. Qui Decium forensem presbyterum sibi consecrari poposcerat quorum petitionem adimplevimus.

LVI.

Gregorius Honorato diacono Salonitano post quædam. Scire te volumus quod a te districte quæsituri sumus quomodo vel propriæ ecclesiæ, vel ea quæ de diversis ecclesiis cymilia seu collecta, sub omni nunc sollicitudine et fide servantur. Quod si quid ex eis vel negligentia vel cuius quam fraude perit, tu in hoc reatu constringeris, qui per archidiaconatus ordinem custodiæ eiusdem ecclesiæ artius implicaris.

LVIII. (*sic*)

Gregorius Clementinæ Patriciæ. Post aliqua. Diaconum vero Anatholium quem ad nos dirigi poposcistis, hoc nos facere non posse, causa magis modum, quam rigoris austeritas facit. Vicedominum enim eum constituimus, cuius arbitrio episcopum commisimus disponendum.

Temporibus Papæ Gregorii anno ordinationis eius secundo depositus est Laurentius qui primus in ordine diaconii fuerat sedis Apostolicæ propter superbiam et mala sua quæ tacenda duximus. Et factus est Archidiaconus Honoratus coram omnibus presbyteris, diaconis, subdiaconis, notariisque et cuncto clero in basilica aurea.

LVIIII.

Gregorius Ianuario Calaritano Episcopo. Liberatus si a decessore tuo non est factus cardinalis diaconus, ordinatis a te diaconibus non debet præponi, sed ultimus inter diacones constitui, ne eos quos consecrando probasse cognosceris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Idem Eulogio Episcopo Alexandrino. Cum prædicator egregius dicat, quamdiu sum gentium Apostolus ministerium meum honorificabo, exemplum nobis ostendit, ut et humilitatem teneamus in mente et tamen ordinis nostri dignitatem servemus, in honore, ut in nobis nec humilitas timida nec erectio sit superba. Et infra. Honorem quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitas exigat, securius pro eadem veritate relinquimus quam tenemus.

LX.

Gregorius universis Episcopis per Dalmatiam constitutis. Inter cetera. Frater itaque vester Natalis Salonitanæ civitatis Episcopus, cum Honoratum archidiaconum sedis suæ ad ordinem presbyteratus vellet provehere, ac deinceps ille ad subli-

miorem gradum crescere declinaret, a sanctæ memorie decessore meo missa supplicatione poposcerat, ne ad hunc ordinem invitus accederet, hoc enim fieri sibi non provehendi gratia, sed causa ingratitudinis dicebat. Idem Natali Episcopo Salonitano. Sicut iustum est ut nemo crescere cogatur invitus, ita censendum puto, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio abiciatur iniuste.

LXI.

Gregorius Ianuario Episcopo Calaritano post cætera. Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur ubi Episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant concedimus.

LXII.

Gregorius Montanæ et Thomæ post cetera. Nam iustitiæ ac rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui proculdubio voluntatem et statuta custodiat, hanc autem manumissionis paginam patrio notario scribendam dictavimus et propria manu una cum tribus presbyteris prioribus et tribus diaconibus pro plenissima firmitate subscripsimus, vobisque tradidimus. Actum in urbe Roma.

LXIII.

Gregorius Bonifatio primo defensori. Post pauca. Quia igitur defensorum officium in causis æcclesiæ et obsequiis noscitur laborare pontificum, hac eos concessa perspeximus recompensationis prærogativa gaudere, constituentes ut sicut in scola notariorum atque subdiaconorum per indultam longe retro pontificum largitatem sunt regionarii constituti, ita quoque in de-

fensoribus VII, qui ostensa suæ experientiæ utilitate placuerint honore regionario decorentur. Quos quolibet per absentiam Pontificis et sedendi in conventu clericorum habere licentiam et honoris sui privilegia in omnibus statuimus obtinere. Preterea si quis propioris locum veniens in alia fortasse provincia propter utilitatem propriam degit, hunc necesse est primatus loco per omnia curare, ut ille prior defensorum omnium possit existere, qui et ante prioratus locum in ecclesiasticis utilitatibus obsequiis Pontificis non destitis per sedulam presentiam permanere. Hæc itaque constitutionis nostræ decreta, neminem Pontificum in totum partemve qualibet occasione convelli decernimus vel mutari.

LXIIII.

Gregorius Petro Subdiacono Sycilîæ de diversis. Inter cætera. Romanum defensorem in gratia familiariter recepi, coram clero polypticum deduxi, presbyterium ei auxi, in loco eum superiori inter defensores posui, colaudans coram omnibus fidem eius, quia ita se in obsequio tuo fideliter gesserit. Quem iccirco ad te cæleriter retransmisit.

LXV.

Gregorio Probo Abbati. Inter cetera. Quodam die dum de ordinando monasterio cui præesse dinosceris cum vestris filiis tractaremus atque diu aptam personam huic officio quæreremus, ex improvviso te te ingrediente cordi nostro et eorum qui nobiscum ad tractandum aderant subito natum est ut te illic Abbatem Deo propitio constituere deberemus.

LXVI.

Gregorius Iohanni Episcopo Panormitano. Inter cetera. Si quid igitur de quocumque Clerico ad aures tuas pervenit quod te iuste possit offendere, facile ne credas, nec ad vindictam te

res accendat incognita, sed præsentibus senioribus ecclesiæ tuæ diligenter est veritas perscrutanda. Et tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis, hæc itaque omnia sic sollicite ac mansuetæ studii tui sit custodire, quatinus illi iuxtam contra te occasionem non inveniant murmurandi.

LXVIIII. (*sic*)

Gregorius Theoctistæ Patriciæ. Inter cetera. Si enim beatus Petrus cum a fidelibus culparetur, auctoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat attendisset, respondere poterat, ut pastorem suum oves quæ commissæ fuerant reprehendere non auderent. Sed et si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non esset, humili ergo eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit dicens. Venerunt autem mecum VII fratres isti. Si igitur et pastor Ecclesiæ et Apostolorum Princeps singulariter signa faciens et miracula non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores cum de aliqua re reprehendimur, reprehensores nostros humili ratione placare debemus?

LXX.

Gregorius. In dialogo. Numquid Petre in hac adhuc carne non erat, quando audiebat. Quæcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis? Et cætera. Cuius nunc vicem in ligando et solvendo optinent, qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent. Sed ut tanta valeat hoc de terra, cæli et terræ conditor in terra venit e celo.

LXXI.

Gregorius. In pastorali. Moyses qui cum Deo loquitur, Iethro alienigene reprehensione iudicatur, quod terrenis populo-

rum negotiis stulto labore deserviat. Cui consilium mox præbetur ut pro se alios ad iurgia dirimenda constituat, et ipse liberius ad erudiendos populos spatium archana cognoscat. A subiectis ergo inferiora gerenda sunt, a rectoribus summa cogitanda, ut scilicet oculum qui providendis gressibus præminet, cura pulveris non obscuret.

LXXII.

Ex IIII libro vitæ S. Gregorii Papæ cap. VII et VIII.

Gregorius undecumque potuit, meliores episcopos per omnem suam diocesim studiosissime ordinavit, ita ut neque Cardinales ecclesiæ suæ, neque monachos monasterii sui excusaret. Solis diaconibus in hac re parcebat, quorum X et VIII plenitudine redundabat. Cumque cardinales si tamen consentire voluntariæ proveheret, neminem prorsus quantumcumque necessitate coactus violenter promovere certabat, ne sub huiusmodi occasione quemquam sublimando deponere videretur.

LXXIII.

Ex IIII libro vitæ S. Gregorii Papæ cap. L.

Sicut a maioribus traditur et nos usque ad nostra tempora dum adhuc pubesceremus oculis nostris conspeximus consuetudo vetus obtinuit, ut omnes Iudaice superstitionis homines, quantumcumque pulcerrima mercimonia detulissent, nunquam pontificalibus alloquiis fruerentur, nunquam optutibus Apostolicis potirentur. Sed extra velum longissimæ porticus, ne quidem in scamnis, sed in marmoreo pavimento sedentes suscepta pretia numerabant. Nam reverendæ memoriæ Nycolaus Pontifex Arsenium quondam Hortanæ civitatis Episcopum, Iudaicas tunc primum pellicias introducere molientem adeo adversatus est, ut ei palatinam processionem vellet adimere, nisi superstitiose gentis vestibus abiurando cum sacerdotalibus iufulis consuetudinaliter procedere studuisset.

LXXIIII.

Ex reg. VIII Iohannis.

Iohannes Episcopus reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris Adelfredo Cantuariorum et Vulfredo Eburaci Archiepiscopis, seu omnibus Episcopis, Presbyteris et diaconibus et universis clericis per Anglorum patriam constitntis. Inter cetera. Congregatis itaque omnibus Anglorum proceribus, qui tunc ad beatum Petrum degebant Apostolum post alterutrarum partium congruas ratiocinationis apostolicæ sententia usque adeo sedis prævaluit, ut voluntarie omnes Anglorum clerici sub ipsis vigiliis sancti Gregorii laicalem et sinuosum, sed et curtum habitum deponentes, talares tunicas secundum Romanum morem induerent, huius rei gratia quia et vos pari modo in sanctæ ecclesiæ nostræ corpore veluti propria membra complectimus, pro deponendis laicalibus vestimentis et resumendis clericalibus infulis secundum Romanæ ecclesiæ morem auctoritate apostolica monemus.

LXXV.

Ex Rom. Pontificali.

Clemens natione Romanus fecit VII regiones dividi notariis fidelibus æcclesiæ, qui gesta martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquireret.

Item Antherus natione græcus gesta martyrum diligenter a notariis quæsivit et in æcclesia recondidit.

LXXVI.

Evaristus natione græcus titulos in Urbe Romæ divisit Presbyteris et VII Diaconis ordinavit qui custodirent Episcopum prædicantem, propter stimulum veritatis.

LXXVII.

Xystus natione græcus sedit annos II menses XI dies VI martyrio coronatur sub die VI Idus Augusti. Et presbyteri præfuerunt a consulatu Maximi et Ravionis, usque ad consulatum Tusci et Basci, et a consulatu Tusci et Bassi usque VII Kal. Augusti quo tempore sevissima persecutio urgebatur sub Decio.

LXXVIII.

Gaius natione Dalmata ex genere Diocletiani, constituit ut ordines omnes in ecclesia si acciperet qui episcopus esse mereretur. Ut esset hostiarius, lector, exorcista, subdiaconus, Diaconus, Presbyter exinde Episcopus ordinaretur. Hic regiones divisit diaconia.

LXXVIIII.

Marcellinus natione Romanus ductus est a Diocletiano ut turificaret quod et fecit. Et post paucos dies pænitentia ductus, cum quibusdam aliis martyrio coronatur. Qui coniuravit Marcellum presbyterum suum dum pergeret ad passionem suam, ut præcepta Diocletiani numquam impleret. Ab eodem die cessavit episcopatus anni VII mensibus VI diebus XXV persequente Diocletiano Christianos.

LXXX.

Marcellus natus Romæ XXV titulos in urbe Romæ constituit, quasi dioceses propter baptismum et pænitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, et propter sepulturas martyrum. Hordinavit XXVI presbyteros in urbe Romæ.

LXXXI.

Silvester natione Romanus constituit Chrisma ab Episcopo confici, et privilegium Episcopis ut baptizatum consignent pro-

pter hereticam suasionem. Hic constituit ut babtizatum liniat presbyter chrismate, levatum de aqua propter occasionem transitus mortis. Hic constituit ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, et ut diaconi dalmaticis in æcclesia utantur. Ordinavit presbyteros XLII, diaconos XXVII et constituit ut nullus maioris vel prioris locum invaderet, sed ordinem temporum cum pudore cognosceret, nullum omnino clericum vel fidelem contradicentem.

LXXXII.

Iulius natione Romanus constitutum fecit, ut nullus clericus causam quamlibet in publico diceret nisi in æcclesia. Et ut notitia quæ omnibus pro fide est per notarios colligeretur, et ut omnium monumentorum in æcclesia per primicerium notariorum confectio celebraretur. Sive cautiones, vel instrumenta, aut testamenta, vel alligationes, aut manumissiones cleri in æcclesia per sanctum scrinium celebrarent.

LXXXIII.

Liberius natione Romanus exilio deportatus est a Constantio Augusto, eo quod noluisse heresi Arrianæ consentire. Et fecit in exilio annos IIII. Et congregati sacerdotes cum consilio Liberii ordinaverunt in locum eius Felicem Presbyterum, episcopum venerabilem, et fecit concilium Felix, et invenit duos presbyteros consentientes Constantio Augusto Arriano, nomine Ursacium et Valentem, et exegit eos in concilio XLVIII Episcoporum. Illi autem zelo ducti, rogaverunt Constantium ut revocaret Liberium de exilio, et una tantum communitione participaret, extra secundum baptismum. Quo revocato, fuit persecutio in clero, ita ut intra ecclesiam presbyteri et clerici martyrio coronarentur. Et depositus est Felix de episcopatu, passus est in civitate corona III idus Novembris.

LXXXIIII.

Leo primus constituit super sepulchra Apostolorum custodes, qui dicuntur cubicularii ex clero Romano.

LXXXV.

Vigilius Papa veniens in Siciliam, in civitate Catinensi, fecit ordinationes presbyterorum et diaconorum, inter quos retransmisit Romam Ampliatum presbyterum et vicedominum suum.

LXXXVI.

Xystus III natione Romanus fecit basilicam SANCTE MARIE Maioris quæ ab antiquis Liberii nominabatur, iuxta macellum Libiæ, et dedicavit eas Nonis Augusti. Item idem dedicavit basilicam Apostolorum quæ dicitur titulus Eudoxiæ, Kalendis Augusti. Hic ordinavit mense Decembri Presbyteros XXVIIII Diaconos XV.

LXXXVII.

Simplicius natione Tiburtinus constituit ad sanctum Petrum Apostolum et ad sanctum Laurentium martyrem ebdomadas, ut Presbyteri manerent propter pænitentes et baptismum. Regionem III° ad Sanctum Laurentium. Regio prima ad sanctum Paulum. Regione VI et VII ad sanctum Petrum, hic ordinavit presbyteros LVIII diaconos XI episcopos XXXVI et post huius obitum factum est a presbyteris et diaconibus constitutum de omni æcclesia.

LXXXVIII.

Symachus natione Sardus sedit annos XV menses VII dies XVII. Hic in Decembri et in Februario in urbe Roma ordinavit presbyteros XCII diacones XVI episcopos CXVIIII per diversa loca. Et constituit ut omni die dominico vel nataliciis martyrum Gloria in excelsis Deo ymnus diceretur.

LXXXVIIII.

Theodorus I natione Grecus convocans universos sacerdotes et clerum in ecclesia beati Petri Apostoli condempnavit Pyrrhum Constantinopolitanum patriarcham, sub vinculo anathematis, quia cum ad Apostolorum limina satisfactionis libellum obtulisset in conspectu totius cleri et populi, postea more canis ad proprium votimum impietatis repedavit.

LXXXX.

Conon apud Siciliam edoctus, natione Thrasaceus, sedit menses XI, hic ultra consuetudinem, absque consensu cleri ex immissione malorum hominum, in Anthia ecclesiasticorum Constantinum diaconem æcclesiæ syracusanæ rectorem in patrimonio Siciliæ constituit, hominem perperum et tergiversutum. Sed et mappulo ei ad cabalicandum uti licentiam concessit. Et non post multum tempus obeunte Pontifice seditione super eum orta, a iudice provinciæ sub arta custodia retrusus.

LXXXXI.

DE ORDINE ROMANO

De gradibus Romanæ Ecclesiæ ex antiquo ordine Romano.

Primum in quacumque scola reperti fuerint pueri bene docti litteras tolluntur inde et nutriuntur in scola cantorum, et postea fiunt cubicularii. Deinde sicut sacramentorum codex continet quando, et ubi libitum fuerit, usque in subdiaconatus officium ordinantur. Diaconi vero atque Presbyteri, nunquam nisi in publica ordinatione. Fit enim conventus populi et congregatio regionum primum ad basilicam Apostolorum tituli Eudoxiæ, et inde pergit Pontifex una cum populo, præcedente solito apparatu, idest Crucibus, turibulis, usque ad S. Mariam ad presepe. Accedente Pontifice ad Altare, scola cantorum com-

plente letaniam et introitum, Pontifex dicit oremus, et Diaconus flectamus genua. Post orationem ascendit lector in ambonem, et brevem legit in auribus populi sic concinentem. Cognoscat caritas vestra, quia ille et ille advocantur in tali officio, vel in tali. Si quis habet contra hos viros aliquam quærelam, exeat confidenter propter Deum et secundum Deum, et dicat. Memor sit tamen omnis communionis suæ. Quod si nullus contradictor extiterit, sequitur lector. Responsorium. Post hæc vocantur sursum, et statuuntur in sinistra parte Altaris, usque dum Pontifex Missam compleat. Deinde advocantur VI feria ad sanctos Apostolos eo tenore, quo supra. Sabbato vero egreditur Pontifex ad sanctum Petrum et universæ regiones cum eo, lætaniam canendo. Ingrediente vero Papa secretarium ordinandi præstolantur in choro. Completo introitu, dat Pontifex orationem subdiaconi legunt lectionem, et canuntur gradualia, et lectio Apostoli. Deinde Apostolicus Pontifex legit advocationis brevem coram populo ut supra. Et stant parati singulorum ministri cum indumentis donec Archidiaconus veniat, et singulis singula sua manu tribuat. Post hoc, innuente Pontifice, dat archidiaconus manum uni ex ipsis. Cæteri vero secuntur eum, et ascendit ad Altare. Et prosternit se Pontifex cum ipsis in oratione, clero interim canente lætaniam. Surgentibus ab oratione, stat Pontifex in sede sua, et ducuntur ante eum qui diaconi esse debent. Et singillatim ponit manum super capita eorum, benedicens eos dando orationem. Accedens autem Archidiaconus tollit oraria de confessione in qua hesterna die reposita sunt, et dat Pontifici, et Pontifex illis dicendo Accipite stolas vestras et cætera. Et completur benedictio eorum, et dant osculum Pontifici, et Sacerdotibus et redeunt ad Altare. Qui autem Presbyteri ordinandi sunt paratis eis diaconi more, ducuntur a presbyteris ad sedem Pontificis. Tunc illis inclinatis ponit manum super capita eorum, et omnes presbyteri qui assunt, manus suas iuxta manum Pontificis super capita eorum teneant, et ille dat orationem super capita eorum, sicut in sacramentorio continetur. Et expletis rite omnibus, canitur tractus. Laudate Dominum. Et unus ex novitiis diaconis legat Evangelium. Postea

omnes ordinati offerunt oblationes ad manus Pontificis, et ministrant illi unusquisque secundum officium suum. Pontifex vero oblatas integras dat singulis novitiis Presbyteris, et inde communicant usque dies VIII. Expletis autem omnibus stant parati homines regionum ad singulos titulos pertinentium, cum candelabris et turibulis, ut proprium suscipiant sacerdotem. Egredientibus autem de basilica sancti Petri, præcedunt unumquemque candelabra cum turibulis ut proprium suscipiant sacerdotem, ipsi vero sedent super equos albos, et præcedens et subsequens populus canit ei laudes. Similiter etiam fit diaconis qui eodem die benedicuntur. Plateæ autem civitatis unde transituri sunt coronantur et ornantur palliis, et sic ducuntur ad ecclesias suas.

Episcopi vero omni tempore benedicuntur. Nunc autem idest in sabbato IIII[ti] temporis cum ordinatio agitur apud sanctum Petrum, mos est ut nocturno tempore benedicantur. Sancta namque incisione idest lectione V egreditur Pontifex de æcclesia sancti Petri, et ascendit monasterium sancti Martini, et subsequitur ipse electus qui benedicendus est, simpliciter cum reliquo clero incedens, et stat foras ostium oratorii. Tunc scola cantorum incipit introitum. Postea dicit Pontifex Gloria in excelsis Deo. Sequitur oratio. Et tunc unus Presbyter eius et Diaconus induent eum vestibus, idest amictu, linea, cingulo, orario, dalmatica, casula, Clero interim canente Responsorium Immola Deo et alleluia Diffusa est gratia, aut tractum Qui seminant in lacrimis. Legitur Evangelium. Convocatis Ihesus XII discipulis suis. Postea advocatur in basilicam Presbytero eius a dextris et Diacono a sinistris. Ipse vero inclinato capite incedit in medio eorum usque dum veniat ad Altare, et agitur scrutinium. Tunc exuitur casula et induitur planeta, et Pontifex legit breve in hunc modum. Cives ill. elegerunt sibi hunc pastorem. Oremus itaque pro hoc viro ut Deus omnipotens infundat in eum gratiam Spiritus sui ut dignus habeatur ad cathedram episcopatus regendam. Et respondens scola, Christe audi nos. Et dum canunt lætaniam, accedit propius ad Altare subnixo capite. Pontifex vero ponet manum super caput eius

et dicet unam orationem in modum collectæ. Alteram eo modulamine quo solet contestatio dicit. Et sedet Pontifex in sede sua et consecrat eum. Ipse vero osculatur pedes eius, et suscipitur ad pacem et sic consumatur consecratio eius. Et domnus apostolicus missam celebrat et ordinatus episcopus de manu eius communionem accipiat.

LXXXXII.

Ex libro Romanorum Pontificum qui dicitur diurnus.

Dilectissimis fratribus Dominis Episcopis, ill. ille Archipresbyter et ille Archidiaconus et ille Primicerius notariorum servantes locum Sedis Apostolicæ. Dilectissimam fraternitatem vestram Domni ill. Pontificis obitum agnovisse non dubitamus. De cuius tamen insperato obitu maxima nos tristitiæ moles obstrinxerat, ut pote tanto tamque Deo digno patre destitutos. Sed diu in afflictione persistere consueta Dei nostri benignitas sperantes in se non permisit. Nobis enim in oratione manentibus, ut nobis celestis dignatio demonstraret, quem dignum ad successionem Apostolicæ vicis iuberet eligendum, eius gratia suffragante, et omnium animis inspirante, die tertia ut moris est nobis in unum convenientibus, idest sacerdotibus, et levitis, et reliquo clero axiomaticis etiam et generali militia, ac civium universitate, et cuncta generalitate istius a Deo conservandæ Romanæ urbis in persona Domini ill. huius apostolicæ sedis Romanæ ecclesiæ Cardinalis Presbyteri vel Diaconi, Deo cooperante, beatorum Apostolorum intercessione concurrit atque consensit electio. Cuius decretum sollemniter facientes, et desideria cordium circa eius electionem manuum subscriptionibus confirmantes profitemur ipsum Deo amabilem nostrum electum, castum, pudicum, sobrium, ac benignum, et in omnibus piis operibus assuetum, atque orthodoxæ fidei et sanctorum patrum traditionum defensorem, et fortissimum observatorem. Hunc itaque omnes ut pote tam mitissimum tamque Deo dignum, unanimiter nobis eligimus in pastorem atque pontificem. Unde ob eius pie conversationis magnitudinem immen-

sas Redemptori nostro gratiarum laudes referimus, consona cum Propheta canentes voce. Magnus es Domine Deus noster, magnaque virtus tua. Quis enim loquætur potentias tuas Domine, et auditas faciet laudes clementiæ tuæ? quoniam petentium te vota exaudiens, pium nobis contulisti pastorem, qui sanctam tuam universalem æcclesiam, ac cunctas dominicas et rationales oves sibi commissas regere atque gubernare te Domino Deo et Salvatore nostro protegente valeat. Proinde dilectissimi fratres ut hæc apostolica immo omnis universalis æcclesia in toto orbe diffusa se universalem patrem et pastorem recepisse lætetur et exultet, in celeri promotione Summi Pontificis dilectissima fraternitas vestra absque tarditate diligentiam adhibeat. Hoc autem decretum a nobis factum, et manuum nostrarum ut perlectum est subscriptionibus roboratum, in archivio nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ scilicet in sacro Lateranensi scrinio pro futuri temporis cautela recondi fecimus. Actum Romæ anno Dominicæ incarnationis illius mense illo die ill. indictione ill. Ego humilis ill. Archipresbyter sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli Calixti, huic decreto a nobis facto, in domno ill. Cardinali Presbytero, vel Diacono, et electo nostro consensi, et subscripsi. Ego ill. Presbyter tituli Pammachii similiter. Ego ill. Presbyter tituli Clementis similiter. Ego ill. indignus Archidiaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ut supra. Ego ill. humilis Diaconus regionis V' ut supra. Reliqui diaconi similiter. Ego ill. Primicerius notariorum S. Romanæ Ecclesiæ ut supra. Reliqui clerici similiter.

LXXXXIII.

Ex libro eodem. Professio futuri Pontificis antequam consecretur.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Anno Dominicæ Incarnationis ill. die ill. mensis ill. indictione ill. Ego ill. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter et electus ut fiam per Dei gratiam humilis huius sanctæ Apostolicæ Sedis antistes profiteor tibi beate Petre Apostolorum Princeps, cui claves regni celorum ad ligandum atque solvendum in cælo et in terra crea-

tor atque redemptor omnium dominus noster Ihesus Christus tradidit inquiens, quæcumque ligaveris super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveris super terram erunt soluta et in cælo, sanctæque tuæ Ecclesiæ quam hodie tuo præsidio regendam suscipio, quod veræ fidei rectitudinem quam Christo auctore tradente per te, et beatissimum Coapostolum tuum Paulum, per quem discipulos et successores vestros usque ad exiguitatem meam perlatam, in tua sancta æcclesia reperi, totis conatibus meis usque ad animam, et sanguinem custodire tam de sanctæ et individuæ Trinitatis mysterio, que unus est Deus, quamque de dispensatione quæ secundum carnem facta est unigeniti Filii Dei unigeniti Domini nostri Ihesu Christi et de cæteris æcclesiæ Dei dogmatibus, sicut universalibus conciliis et constitutis apostolicorum pontificum, probaptissimorumque doctorum æcclesiæ scriptis commendata. Idem quæque ad rectitudinem vestræ nostræque orthodoxæ fidei a te traditionem recipiunt conservare. Sancta quoque VII universalia concilia, idest Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense V quoque et VI item Constantinopolitana et VII item Nicenum usque ad unum apicem inmutilata servare, et pari honoro et veneratione digna habere et quæ prædicaverunt, et statuerunt omnimodis sequi et prædicare, quæque condemnaverunt, ore et corde condempnare. Diligentius autem et vivacius, omnia decreta canonica præcessorum apostolicorum nostrorum pontificum, quæque et sinodaliter statuerunt, et probata sunt confirmare et indiminuta servare, et sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire, quæque vel quosque condemnaverint, vel abdicaverint, simili sententia condemnare, et abdicare. Disciplinam et ritum æcclesiæ, sicut inveni, et a sanctis prædecessoribus meis canonice traditum repperi illibata custodire, et indiminutam res ecclesiæ conservare, et diminute ut custodiantur, operam dare. Nihil de traditione quam a probatissimis prædecessoribus meis traditam et servatam repperi diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer ut eorum vere discipulus et sequipeda, totis mentis meæ conatibus quæ tradita canonice comperio con-

servare ac venerari. Si qua voro emerserunt contra canonicam disciplinam, filiorum meorum consilio emendare, aut patienter excepta fidei, aut Christianæ religionis gravi offensione, tua et beatissimi Coapostoli tui Pauli patrocinante intercessione tolerare, sacrosque canones et canonica constituta Pontificum, ut divina et cœlestia mandata, Deo auxiliante, custodire ut pote Deo et tibi redditurum me sciens de omnibus quæ profiteor districtam in divino iudicio rationem, cuius sanctissimæ sedi divina dignatione te patrocinante præsideo, et vicem intercessionibus tuis adimpleo. Eris autem mihi in illa terribili divini iudicii die propitius hæc conanti, et diligenter servanter curanti. Adiutorium quoque ut præbeas obsecro in hac corruptibili vita constituto, ut irreprehensibilis appaream ante conspectum iudicis omnium Domini nostri Ihesu Christi dum terribiliter de commissis advenerit iudicare, ut fiat me dextræ partis participem, et inter fideles discipulos ac successores tuos esse consortem. Hanc autem professionem meam per ill. Notarium et Scrinarium S. R. Ecclesiæ, me iubente conscriptam, propria manu conscripsi, et tibi beate Apostole Petre et Apostolorum omnium princeps, pura mente et devota conscientia, super sanctum corpus et altare tuum sinceriter offero. Actum Rome anno, mense, die, et indictione, quibus supra.

LXXXXIIII.

Ex eodem cautio Episcopi ante consecrationem et eius qui pallium petit.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Ihesu Christi, anno incarnationis eius ill. mense ill. die ill. indictione ill. Promitto ego ill. Episcopus sancte æcelesie ill. vobis Domno meo tibi beatissimo ill. Summo Pontifici et universali Papæ, et per vos beatis Apostolis Petro et Paulo et sanctæ Catholicæ Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ devota mentis integritate et pura conscientia, illam fidem et religionem semper tenere et prædicare atque defendere quam ab Apostolis traditam habemus, et ab eorum successoribus custoditam. Sancta quoque VII uni-

versalia concilia inmutilata servare et pari honore et veneratione habere, et quæque prædicaverunt et statuerunt, sequi et prædicare. Diligentius autem et invarius omnia decreta prædecessorum vestrorum apostolicorum pontificum, quæque vel synodaliter statuere et probata sunt, confirmare et diminute servare. Promitto etiam sub divina obtestatione de ordinatione clericorum, a clericatu usque ad presbyteratum, et de baptizandi consignandisque, et de ecclesiarum locatione et præbendis ecclesiasticis, et divinorum misteriorum, seu sacrum dispositione, vel dispensatione numquam me aliquod præmium in qualibet re pro quacumque persona postulaturum vel accepturum. Spondeo etiam ecclesiastica prædia, urbana, vel rustica, vel ornatum ecclesiæ ministeriaque sacrata universasque res immobiles seseque moventes diligenter et confidenter servaturum, vel si pignora a quibuslibet obligata sunt, aut indebito detinentur, meo annisu et labore, et sumptu proprio prout temporis necessitas exposcit, meo studio revocanda, nec a me alienanda nec impigneranda, excepta pauperum et captivorum necessitate. Ecclesiastica vero negotia quæ proponenda aut excipienda fuerint, me sine respectu gratiæ colludii, vel venalitatis aut fraudis agendi contra deceptores, vel excipiendi contra pulsantes, eficaciter atque fideliter, considerata tamen in omnibus iustitia, quæ universis utilitatibus præponenda est, Deo me iubante, peragenda promitto. Spondeo etiam nostræ diocesis clericos ad communem et canonicam vitam ubi fieri poterit invitare et hortari. Ministros vero sacri Altaris idest Subdiaconos, Diaconos, et Presbyteros, ad castitatem etiam impellere. Quartas vero portiones clericis et pauperibus et fabricis me annis singulis sine aliqua diminutione spondeo præstiturum nec aliquem pro gratia cuiuslibet personæ ecclesiasticis officiis aggregaturum. Sarta tecta vero per omnes ecclesias meas sub omni diligentia, vel sollicitudine me profiteor annis singulis prout expensas habuero esse facturum. Præterea promitto me sine Sedis Apostolicæ iussione ad comitatum nullatenus proficisci, nec per diversas provincias aut civitates discurrere, ne videar æcclesiam meam deserere. Promitto etiam me ad natale Apostolorum, vel per me

vel per nuntium meum esse venturum, et vocatum ad sinodum singulis annis occursurum, et canonice obediturum, et Legatum Apostolicæ Sedis euntem et redeuntem cum honore suscipere et in suis necessitatibus adiuvare. Quod si contra hæc omnia quæ superius continentur, vel contra quodlibet horum egisse convictus fuero, honoris mei periculum me spondeo subiturum. Insuper etiam promitto quod si quis pro animæ suæ remedio me hæredem inscripserit, aut per donationem aliquid mihi forsitan largitus fuerit hoc me sanctæ nostræ ill. æcclesiæ spondeo collaturum. Quod si non fecero sint suprascriptæ ill. ecclesiæ licentia vel sacerdotibus eius tamquam si hab eis, universa illi acquisita fuerint vel collata ex hac mea et sponsione et professione indubitanter vendicare. Lætanias vero bis in mense omni tempore me faciendas spondeo. Hæc itaque omnia cum timore et disciplina ut Deus placari possit, me in æcclesia mea instituturum atque diebus vitæ meæ esse servaturum ipso auxiliante promitto. Hanc autem cautionem meam ill. notario æcclesiæ meæ scribendam notavi, in qua et ego subtus manu propria subscripsi et testes ut scriberent rogavi, exortatione domni et beatissimi Papæ, stipulantibus vobis domno ill. Apostolicæ Sedis Archipresbytero, et domno ill. Archidiacono, et domno ill. Primicerio, et domno ill. Secundicerio in omnibus superius comprehensis. Actum Romæ anno, mense, die, indictione, quibus supra. Ill. indignus Episcopus sanctæ ill. æcclesiæ, huic cautioni et sponsioni meæ subscripsi et testes qui subscriberent rogavi. Ill. tribunus huic cautioni sponsionique factæ ab ill. Episcopo sanctæ ill. æcclesiæ, rogatus ab eo testis subscripsit. Ill. notarius sanctæ æcclesiæ ill. post testium subscriptione complevi.

LXXXXV.

Ex eodem.

In Dei Salvatoris nostri Ihesu Christi nomine, ego ill. Episcopo æcclesiæ ill. promitto vobis beato Petro Apostolorum Principi Vicarioque tuo beatissimo Papæ N. successoribusque eius per Patrem et Filium et Spiritum sanctum Trinitatem insepa-

rabilem, et hoc sacratissimum Corpus tuum, me omnem fidem et puritatem sanctæ fidei catholicæ exhibere et in unitate eiusdem fidei Deo iuvante persistere, et nullomodo contra unitatem communis et universalis æcclesiæ cuipiam suadenti consentire, sed ut dixi fidem et puritatem meam, atque concursum tibi utilitatibusque æcclesiæ tuæ, cui a Domino Deo potestas ligandi solvendique data est prædicto vicario tuo atque successoribus eius, me per omnia exhibere promittens. Ita ut si quid contra Romanam ecclesiam, vel contra honorem domini Papæ quodlibet agi cognovero, minime consentiam, sed in quantum virtus suffragaverit obviem, et vicario tuo domno Apostolico modis quibus potero nuntiem, et id agere id conari quatinus fidem in omnibus sincerissimam exibeam. Quod si quod absit contra huius promissionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo temptavero, reus inveniar in æterno iudicio et ultionem Ananiæ et Saphiræ incurram qui tibi beato Petro de propriis rebus fraudem facere, et falsum dicere præsumpserunt. Hoc autem indiculum sacramenti, ego ill. episcopus manu propria scripsi, et posui super sacratissimum corpus tuum, Deo teste, et iudice præstito sacramento, quod servare promitto.

LXXXXVI.

Summus vero Pontifex quando benedicitur, eligitur unus de Cardinalibus in titulo suo de qualicumque fuerit, tantum ut ad prædecessore, sit pontifice ordinatus, aut presbyter, aut diaconus. Die vero dominica egreditur cum eo universus clerus, et populus ad basilicam sancti Petri. Ingrediens autem secretarium induitur vestimentis pontificalibus. In primis linea et cingulo, deinde anagolagio grandi, et cingulo brachiali, et orario, postea dalmatica minori, deinde dalmatica maiori, deinde planeta. Et veniens ante confessionem sancti Petri prosternet se in orationem scola canentem introitum. Elegit te Dominus. Surgens vero ascendit ad altare, et prosternit se in oratione, et omnis clerus cum eo. Postea erigitur ab Episcopis, et statuitur inter sedem et altare, et evangelium apertum super caput vel

cervicem ipsius. Et ascendens unus episcopus, dat orationem, super eum et recedit. Et alter similiter. Accedit tertius, et consecrat illum. Archidiaconus autem allato Pallio de confessione, imponit ei. Tunc ab Archidiacono et Archipresbytero elevatur in se. Stans vero in gradibus ipsius sedis, elevata voce dicit. Gloria in excelsis Deo. Post hæc data prece, scola cantorum canit ei laudem, et notarii regionum similiter. Celebrat igitur ipse missam per ordinem, et communicat omues. Peracta Missarum sollemnitate procedit et subsequitur et præcedit eum omnis Apostolicus apparatus. Et statuuntur acies dextra levaque. Ipse vero incedit in medio, constipatus agmine sacerdotum, et omnes scolæ flagitant ab eo benedictionem. Quo benedicente, respondeant omnes Amen. Ingressus autem secretarium iam tunc sedet in sella apostolica. Egrediens inde cum ad inferiores gradus sancti Petri descendit, ibi stat equus paratus ad sedendum in eo. Et accedentes notarii regionum, uno incipiente et ceteris respondentibus, in hunc modum laudem ei canunt. Domnum Leonem Papam sanctus Petrus elegit. Hoc usque ter dicto accedit prior stabuli, et imponit ei in capite regnum, quod ad similitudinem cassidis fit, et tunc demum ascendit super equum suum. Et præcedente eum clero, ornantur palliis et coustipantur plateæ immensis cuneis populorum et clero, expectantium eum ad canendum ei laudem.

Ex Romano ordine.

In diebus autem festis, idest Pascha, Pentecosten, Sancti Petri, Natalis Domini, Presbyteris Cardinalibus Archidiaconus porrigit unicuique eorum oblatus III. Et accedente Pontifice ad altare, dextra, levaque circumdant Altare, et simul cum illo canonem dicunt ut vos (*sic*) Pontificis valentius audiatur, et simul consecrant corpus et sanguinem Domini.

LXXXXVII.

In ordine Chrismatis.

Antequam dicatur, Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, exorcizet et benedicat Pontifex oleum tam ad iu-

firmos, quam ad energuminos, et ipse et omnibus presbyteri qui assunt, ut tantum possit audiri a circumstantibus. Et infra. Duodecim Presbyteri sint testes et adiutores sacrosancti Chrismalis ministerii, ita ut Diaconi post dorsum Episcopi stent, Presbyteri vero a dextris et a sinistris. Item in Romano Ordo. Antequam dicatur per quem hæc omnia Domine semper bona creas, levantur de ampullis quas offerunt populi, et benedicit tam domnus Papa quam omnes Presbyteri.

In Exodum.

Diis ne detrahes, et principi populi tui ne maledices. In proverbiis. Presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum. Item. In multitudine presbyterorum prudentium sta, et prudentiæ illorum ex corde coniungere. In omni virtute tua dilige Deum et ministros eius non relinquas. In tota anima tua time Deum, et sacerdotes eius sanctifica.

LXXXXVIII.

Cyprianus Antoniano. Inter cætera. De eo tamen quod statuendum esset circa causam lapsorum, distuli, ut cum quies et tranquillitas data esset, et episcopis in unum convenire indulgentia divina permitteret tunc communicato et librato de omnium collatione consilio, statuerem quid fieri oporteret. Si quis vero ante consilium nostrum, et ante sententiam inde omnium consilio statutam, lapsis temere communicare voluisset, ipse a communione abstineret. Quod etiam Romam ad clerum tunc adhuc sine Episcopo agentem, et ad confessores maximum presbyterum et cæteros in custodia constitutos, nunc autem in ecclesia cum Cornelio iunctos splendidissime scripsi. Quod me scripsisse, de eorum rescriptis potestis agnoscere.

LXXXXVIIII.

Cyprianus Presbyteris et Diaconis Romæ consistentibus fratribus salutem. Quoniam comperi fratres karissimi minus

simpliciter et minus fideliter vobis renuntiari, quæ hic a nobis et gesta sunt et geruntur, necessarium duxi has ad vos litteras facere, quibus vobis actus nostri et disciplinæ et diligentiæ ratio redderetur. Et infra. Bis ad clerum litteras feci. Et legere eis mandavi, ut si quis libello a martyribus accepto de sæculo excederet, exomologisi facta, et manu eis in pænitentia imposita, cum pace sibi a martyribus promissa, a domino remitteretur. Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temere constitui. Sed cum videretur et honor moribus habendus, et eorum qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus, et cum præterea vestra scripta legissem quæ huc ad clerum nostrum per Crementium Yppodiaconum nuper feceratis, et his qui post lapsum infirmi apprehensi essent, et penitentes communicationem desiderarent subveniretur, standum putavi, et cum vestra sententia ne actus noster, qui adunatus esse et consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet, ut cum pace a Domino nobis data, plures præpositi in unum convenire cepimus et communicato etiam vobiscum silentio, disponere singula, et reformare possimus. Opto vos fratres karissimi semper bene valere. Item idem in alia epistola, quæ pertitulatur ad clerum urbicum idest Romanum. Cyprianus Presbyteris et Diaconibus Romæ consistentibus fratribus salutem. Factis ad vos litteris fratres karissimi, quibus actus noster expositus, et discipliuæ ac diligentiæ quantolæcunque ratio declarata est, aliud accessit, quod nec ipsum vos latere non debuit. Nam frater noster Lucianus, et ipse unus de confessoribus, fide quidem calidus et virtute robustus, sed minus dominica lectione fundatus, quædam conatus est imperite iampridem se auctore constituens. Et infra. Lucianus Epistole exemplar ad vos transmisit, et quales ad clerum litteras fecerit, et quid mihi Caldonius collega noster pro integritate et fide sua scripserit, quidque ei rogo rescripserit, utrumque ad vos legendum transmisit. Exemplar quoque epistolæ Celeris boni et robusti confessoris. Et infra. Oportunæ vere supervenere literæ vestræ quas accepi ad clerum factas, in quibus evangelii plenus vigor, et disciplina robusta legis dominicæ continetur. Hæc nos hic contra individiæ impetum totis fidei viri-

bus renitentes multum addiderunt. Item idem in alia epistola ad eosdem. Et dilectio communis et ratio exposcit fratres karissimi nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his quæ apud nos geruntur, ut sit nobis circa utilitatem ecclesiasticæ administrationis commune consilium.

C.

Cyprianus Rogatiano. Inter cætera. Dominus Deus dicit in Deuteronomio, homo quicumque fuerit in superbia ut non exaudiat sacerdotem aut iudicem quicumque fueris in diebus illis, morietur homo ille, et omnis populus cum audierit timebit, et non agent impie. Et ut sciamus hanc Dei vocem a vera et summa maiestate eius processisse, ad honorandos ac iudicandos sacerdotes suos, cum adversus Aaron sacerdotem, tres de ministris Chore Dathan et Abiron ausi sunt superbi esse, et sacerdoti præposito suo se adequare, hiatu terræ absorti ac devorati, pœnas sacrilegæ audaciæ suæ persolverunt. Nec soli illi sed et ceteri CCL qui eis comites audaciam fuerunt ignem consumpti sunt, ut probaretur sacerdotes ab eo qui sacerdotes facit vindicari. In libro quoque regnorum cum Samuhel sacerdos a Iudeorum populo ob senectutem contempneretur, exclamavit Dominus dixit ad eum Non te spreverunt, sed me. Et ut hoc ulcisceretur, excitavit ei Saul regem, qui per omnes contumelias et pœnas superbum populum calcaret et premeret ut contemptus sacerdos ultione divinā vindicaretur. Sed et Salomon testatur quæ sit sacerdotalis auctoritas et potestas dicens, honora Dominum ex tota anima tua, et sacerdotes eius. Dominus etiam noster Ihesus Christus rex et iudex et sacerdos, servavit honorem malis sacerdotibus, usque ad suam passionem, in qua sacerdotem appellavit, quem sciebat esse sacrilegum, et cum alapam accepisset et ei diceret, sic respondes Pontifici, nichil contumeliose locutus est in personam pontificis, sed magis innocentiam suam tuitus est dicens. Si male locutus sum testimonium perhibe de malo, ut nos eius humilitatis haberemus exemplum, et docuit sacerdotes veros legitime et plene hono-

rari dum circa falsos sacerdotes ipse taliter extitit. Idem Iubaiano. Quam autem periculosum sit in divinis rebus ut quis cedat iure suo et potestate, scriptura sancta declarat, cum in Genessi Esau primatus suos inde perdiderit, nec recipere id postmodum potuerit, quo semel concessit.

CI.

Cypriano Papati Presbyteri et Diaconi Romæ consistentes salutem. Et post pauca Pro tua ingenita industria consiliorum tuorum, nos tam iudices voluisti quam participes inveniri, ut in tuis regibus gestis laudem tecum dum illa probamus inveniremus, et consiliorum tuorum bonorum tam coheredes, quam confirmatores esse possemus. Quod enim magis aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionem tam necessarium, quam debitam severitatem divini rigoris tenere? quam qui remiserit instabili rerum cursu erret semper necessæ est, et huc atque illuc variis et incertis negotiorum tempestatibus dissipetur. Et quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, navem æcclesiasticæ salutis inlidat in scopulos. Antiqua hæc apud nos severitas, antiqua fides, antiqua disciplina, quam nec tantas de nobis laudes apostolus protulisse dicendo. Quia fides vestra annuntiatur in toto mundo, nisi iam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset. Quarum laudem et gloriæ degenerem fuisse, maximum crimen est. Minus est enim dedecoris nunquam apud conventum laudem accessisse, quam de fastigio laudis ruisse. Et infra. Absit enim a Romana æcclesia vigorem suum tam prophana facilitate dimittere, et nervos severitatis eversa fidei maiestate dissolvere, ut cum adhuc non tantum iaceant, sed cadat eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præstentur. Ubi enim poterit pœnitentiæ medicina procedere si etiam ipse medicus intercepta penitentia indulget periculum? Hoc non est curare, sed dicere verum volumus occidere. Et infra. Quales litteras in Siciliam quoque miserimus, subiectas habebis. Quamquam nobis differende huius rei necessitas maior incumbat quibus

post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani nondum est, episcopus propter rerum et temporum difficultates constitutus, quia omnia ista moderetur, et eorum qui lapsi sunt possit cum auctoritate et consilio habere rationem. Et infra. Et quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis, et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor eicerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus. Ut interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere causa teneatur. Eorum autem quorum vitæ suæ fini surgens exitus dilationem non potest ferre acta pænitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrimis, si gemitibus, si fletibus dolentes ac vere penitentis animi signa prodiderint cum spes vivendi secundum hominem nulla subsisterit, ita demum cautæ et sollicitæ subveniri Deo ipso sciente qui de talibus faciat, et qualiter iudicii sui examinet pondera, nobis tamen anxiæ curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pænitentes accusent nostram quasi crudelitatem. Optamus te semper bene valere, et nostri meminisse.

CII.

Cyprianus Presbyteris et Diaconibus fratribus karissimis salutem. Saluto vos per Dei gratiam incolumes fratres karissimi. Letus quod circa incolumitatem quoque vestram omnia integra esse cognoverim. Et quoniam mihi interesse nunc non permittit loci condicio, peto vos pro fide et religione vestra fungamini illic et vestris partibus et meis, ut nichil vel ad disciplinam vel ad diligentiam desit. Item idem ad eosdem in alia epistola. Quamquam causa compelleret, ut ipse ad vos properare et venire, deberem primo cupiditate et desiderio vestri, quæ res in votis meis summa est, tunc deinde ut ea quæ circa æcclesiæ gubernacula utilitas communis exposcit, tractare simul et plurimorum consilio examinata limare possemus, tamen po-

tius visum est adhuc interim latebram et quietem tenere, respecto utilitatum aliarum, quæ ad pacem omnium nostrum pertinent et salutem. Quarum vobis a Tertullo fratre nostro karissimo ratio reddetur, qui pro cætera cura sua quam impense divinis operibus impertit, etiam huius consiliator fuit, ut cautus et moderatus existerem. Nec me in conspectum publicum, et maxime eius loci ubi totiens quæsitus fuissem temere committerem. Fretus ergo dilectione et religione quam satis novi, his litteris et hortor et mando, ut vos quorum minime illic invidiosa, et non adeo periculosa presentia est vice mea fungamini circa gerenda ea quæ administratio religiosa deposcit, habeatur intra in quantum potest et pauperum cura. Idem Presbyteris et Diaconibus suis inter cætera. Ad id vero quod conscripserunt Compresbyteri Donatus et Fortunatus, et Novatus et Gordius solus rescribere nichil potui, quando a primordio episcopatus mei statuerim nichil sine consilio vestro, et sine consensu plebis privatim gerere mea sententia. Cum ad vos per fidei gratiam venero, tunc de his quæ gesta sunt vel gerenda, sicut honor mutuus poscit in commune tractabimus. Idem in concilio suo firmum decretum esse non potest, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum. Idem in concilio suo. In minoribus causis sanctiores prudentioresque fratres rectos ad suum Episcopus convocet consilium. In maioribus vero omnem fratrem convocet conventum. Quod si aliter ægerit, iuxta sanctorum canonum decreta irrita et infirma sit eius sententia.

CIII.

Cyprianus Presbyteris et Diaconis et plebi Furnis consistentibus. Inter cætera. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut possit placere ei qui se probavit. Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis et laqueis sæcularibus obligari non debent qui divinis rebus et spiritualibus occupati ab ecclesia recedere, et ad terrenos et seculares actus vacare non possunt. Cuius ordinationis et religionis formam

levitæ prius in lege tenuerunt, ut cum terram dividerent et possessiones partirentur XI tribubus, levitica tribus, quæ templo et altari et ministeriis divinis vacabat, nichil de illa divisionis portione perciperet, sed aliis terram colentibus illa Deum coleret, et ad victum et alimentum suum, ab XI tribubus de fructibus qui nascebantur decimas perciperet, quod totum fiebat de auctoritate et dispositione divina, ut qui operationibus divinis insistebant in nulla re avocarentur, nec cogitare, aut agere sæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio et forma in clero tenetur, ut qui in æcclesia Domini ad ordinationem clericam promoventur, in nullo ab administratione diviua avocentur, ne molestiis et negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari et sacrificiis non recedant, et die ac nocte cælestibus rebus et spiritualibus deserviant. Quod Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, et salubriter providentes, censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominare in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare. Et paulo post. Ne quis sacerdotes et ministros Dei altari eius et æcclesiæ vacantes ad sæculares molestias devocet.

CIIII.

Augustinus in libro LXX duarum quæstionum. Dum iussis caritatis parere volumus, in vituperatione forte cademus, qua de re qui nulli aliquando indubium invenit scribimus. Quia cum amicitiam offendere nolumus, studium quod ad aliquam rem occultam revelandam proficere debuit, intricamus. Quamvis propter nimiam stultitiam cuiusdam hoc asseverantis quod in subiectis pandemus, istud nobis iniunxerit caritas memorata, ne cum nemo ad hæc responderet in peius proficeret, et diu invano exercitari emendari non posset, hoc enim caritatis studium est, quæ non quærit quæ sua sunt. Quodam igitur

duce stultitia et civitatis Romane iactantia, levitas sacerdotibus et diaconi presbyteris coequare contendit, non dicam præferre, quia stultus est et forte incredibile videatur, et nos non emendatores, sed calumniatores habeatur Qua igitur lege, quave consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi aut nullum sciro arbitror, ut istos quibus consensus in æcclesia minime datus est, his coequet, qui propter quod antistites Dei sunt, in domo Dei et in honore Christi confidunt. Quæ audacia est presbyteris ministros ipsorum pares facere? Quæ temeritatis vana præsumptio, sacerdotibus baiulos tabernaculi et omnium vasorum eius, et lignorum concisores, et portitores aquæ conferre? hoc enim fuit officium levitarum. Tale est si præfectis officiales, dominis servi æquantur, hoc est scriptum, dicente Domino ad Moysen. Accipe tribum Levi de medio filiorum Israel, et statue illos ante Aaron sacerdotem, et deservient ei. Quid hoc exemplo apertius, quod etiam nunc in æcclesia custoditur? quamquam Romanæ Ecclesiæ diaconi modice inverecundo res videantur, sedendi tamen dignitate in statione non præsumunt, ut autem non omnia ministeria obsequiorum per ordinem agant, multitudo facit clericorum. Nam utique et altare portarent, et vasa eius, et aquas in manus funderent sacerdotis, sicut videmus per omnes ecclesias, et sicut constitutum est a Domino per Moysen. Aut numquid meliores Heliseo sunt, qui aquam fundebat in manus Heliæ? Sic autem diaconos adversos presbyteros defendi, quasi ex presbyteris diaconi, et non ex audiaconibus presbyteris ordinentur. Sed quia Romanæ æcclesiæ ministri sunt, iccirco honorabiliores putantur? quam apud cæteras æcclesias propter magnificentiam civitatis Romæ, quæ caput esse videntur omnium civitatum. Si ita est, hoc debent et sacerdotibus suis vindicare, quia sibi qui inferiores sunt certe sciunt propter magnificentiam civitatis, quanto magis qui potiores sunt sublimandi sunt? Quicquid enim officialibus præstantur, augmentum fit potestati, sicut honor servi ad laudem proficit domini, quamquam apud iustum iudicem Deum, unicuique hic honor maneat qui decretus est singulis ecclesiarum officiis, ut qui diaconus est, diaconi honorem

per omnes habeant ecclesias. Non enim qualiscumque honor est, antistiti Dei servire in ecclesia dumtaxat, ut sacerdos totius ecclesiastici honoris dignus habeatur. Maior enim ordo inter se, et apud se, habet minorem. Presbyter enim et Diaconus agit officium, et exorcistæ et lectores. Presbyter autem intellegi episcopum. Probat Apostolus Paulus, cum Timotheo quem ordinavit Presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum. Quid est enim Episcopus nisi presbyter primus, hoc est summus Sacerdos? Denique non aliter quam Compresbyteros hos vocat, et Consacerdotes. Numqnid et ministros Condiaconos suos dicit Episcopus? Non utique. Quia multo inferiores sunt, et turpe est iudici dicere se primiscrinium. Nam in Alexandria, et per totum Egiptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter. Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis, causa ostendit Cayphæ. Qui cum esset homo pessimus prophetavit. Quare inquid? Quia princeps erat sacerdotum. Et iterum, multum distare inter diaconum et sacerdotem, liber approbat quem dicimus Actus Apostolorum. Cum enim ex Samaria credidissent Phylippo prædicante diacono ab Apostolis ordinato, miserunt inquit ad Petrum et Iohannem, ut venirent et his qui crediderant dare Spiritum Sanctum, per manus impositionem. Sed inscii credo scripturarum, aut immemores legis hæc defendunt. Recordari ergo debet, qui ista putat asserenda, quid lecistis acciderit cum aliter saperent. Cum enim nichil inter sacerdotes et levitas nichil inter esse præsumerent, Deo iudice hyatu terræ absorti sunt, Chore et consentientes ei, et CCL viros torrens ignis simul consumpsit. Et Ozias rex cum opus sacerdotale præsumeret, lepra perfusus est, ut hoc utique exemplo cæteri territi, non auderent quod concessum non est præsumere. Nunc enim videmus diaconos temere, quod sacerdotum est agere per convivia et in oratione id velle, ut respondeatur illis, cum istud solis liceat sacerdotibus. Diaconi vero ordo est, accipere a sacerdote, et sic tradere plebi. Vides quod pariat vana præsumptio? Immemores enim elatione mentis, eo quod videant Romanæ Ecclesiæ se esse ministros, non considerant quid illis a Domino decretum sit, et quid debeant custodire. Sed et tollunt

hoc de memoria assiduæ stationes domesticæ, et officialitas quæ per suggestiones malas seu bonas nunc plurimum potest. Aut enim timentur ne mala suggerant, aut emuntur ut præstent, hæc sunt quæ faciunt eos ordinis sui non considerare rationem. Dum enim per adulationes obsecuntur illi illicite, præcipites illos faciunt, ut plus sibi putent licere. Quippe cum videant non sic deferri sacerdotibus, ac per hoc anteferri se putant. Sed testimonium in quod diaconus fit presbyter, quasi istud ad prærogativam pertineat magnitudinis, legimus etiam ad plebem dixisse Petrum Apostolum. Eligite inquid ex vobis, quos constituamus deservire ministeriis ecclesiæ, nolo dicere mensis. Ecce testimonio laicorum creati sunt diaconi. Et Apostolus eum qui ordinandus est Christus dicit etiam testimonium habere bonum ab his qui foris sunt. Omnium est ergo testimonium dare, et non tamen omnes possunt esse quod iudicant. Potest pictor bonus iudicari ab illo qui pingere nescit, et coraula melior alio coraula approbari ab eo qui alterius artis sit. Ita et testis potest esse creandi presbyteri, qui inferior ordine est. Est iterum quo inflentur et putent sibi multum deberi. A nobis enim inquiunt perducuntur qui ordinandi sunt, ut dum lateri eorum septi sint, honore digni videantur, fac verum esse. Quasi enim officialis ab Episcopo mittitur, ut obsequium præbeat ordinando. Nam et imperator ut imperator appareat, ordinatur obsequio militari, non tamen melior, nec par est exercitus imperatori. Nam et Aman cum esset clarus in honore militari, non tamen melior, nec par est a rege missus Mardocheo in obsequium iret, ut quantum dignus esset Mardocheus ex his obsequiis nosceretur, ita et diaconi creandis presbyteris in obsequium mittuntur, ut dignus eos fieri sacerdotes omnes intelligantur, exceptis enim sacerdotibus quibus obsequium debent, omnibus præponuntur diaconi.

CV.

In epistola ad Valerium.

Nichil est in ac vita et maxime hoc tempore facilius, et lætius, et omnibus acceptabilius, episcopi, aut presbyteri, aut

diaconi officio, si perfunctorie, aut adulatorie res agatur. Sed nichil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius. Item nichil est in hac vita et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius, episcopi, presbyteri, diaconi officio. Sed apud Deum nichil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperatori iubet. Quis autem sit iste modus, nec a pueritia mea, nec ab adolescentia didici, et eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

CVI.

Ambrosius in II libro officiorum. Sed et sacerdotem beneficiis suis vel iudiciis favere convenit, ut æqualitatem custodiat, et presbyterum vel ministrum deferre ut parenti. Neque hos quia semel probati sunt arrogantes esse oportet, sed magis memores gratiæ humilitatem tenere. Nec offendi sacerdotem, si aut presbyter, aut minister, aut quisquam de clero, aut misericordia, aut ieiunio, aut integritate, aut doctrina, et lectione existimationem accumulat suam. Gratia enim æcclesiæ, laus doctoris est, bonus opus alicuius prædicari, ita tamen si nullo studio fiat iactantiæ. Laudent enim unumquemque proximorum, labia et non os suum, et commendent opera non studio suo. Cæterum si quis non obediat episcopo, extollère atque exaltare se desideret, merita episcopi obumbrare simulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ, his a vero devius superbit, quoniam veritatis ea est regula ut nichil faciat commendandi sui causa quo minor alius fiat. Neque si quid boni habeat id ad deformationem alterius et vituperationem exerceas. Non defendas improbum et sancta indigno committenda arbitreris. Neque iterum urgeas et impugnes, cuius crimen non deprehenderis. Nam cum in omnibus iniustitiæ cito offendat, tum maxime in æcclesia ubi æquitatem haberi decet, ubi æqualitatem haberi oportet, ut nichil sibi potentior plus vindicet, nichil plus usurpet ditior. Sive enim pauper, sive dives, in Christo

unum sunt. Nichil sanctior plus arroget. Ipsum enim pars est esse humiliorem. Sed nec personam alterius accipiamus in iudicio. Gratia absit, causæ merita decernunt. Nichil sic opinionem, immo fidem gravat, quam si in iudicando, potentiori dones causam inferioris vel pauperem innocentem arguas, divitem excuses reum culpe. Et infra. Episcopus ut membris suis utatur clericis aut maxime ministris, qui sunt vere filii. Quem cuique viderit actum muniri et deputet. Cum dolor est amputatur etiam quæ putruit pars corporis, et diu tractatur si potest sanari medicamentis. Si non potest, tunc a medico bono absciditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanari infirmos, serpentia auferre, ulcera adurere, aliqua non abscidere. Postremo quod sanari non potest, cum dolore abscidere. Unde pulcerrimum illud præceptum magis eminet, ut cogitemus non quæ nostra sunt sed quæ aliorum, hoc enim modo nichil erit quod vel irati nostro indgeamus affectu, vel faventes nostræ plus iusto tribuamus voluntati, hoc maximum incentivum misericordiæ ut compatiamur alienis calamitatibus. Necessitates aliorum quantum possumus, iuvemus, et plus interdum quam possumus. Melius est enim pro misericordia causas parare vel invidiam quam prætendere clementiam. Et cetera.

CVII.

Possidius Episcopus in vita sancti Augustini. Valerius Ypponiensis Episcopus Augustino Presbytero suo potestatem dedit se coram in æcclesia evangelium prædicandi, et frequentissime tractandi contra usum et consuetudinem Africanarum ecclesiarum. Unde etiam et nonnulli Episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac providus in orientalibus æcclesiis id ex more fieri sciens, et utilitati æcclesiæ providens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo fuctitaretur a presbytero, quod a se episcopo impleri minime posse cernebat. Postea vero currente et volante huiusmodi fama, bono præcedente exemplo, accepta ab episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram episcopis tractare cæperunt.

CVIII.

Hieronymus Rustico Narbonensi Episcopo. Diaconos quos in apocalipsi legis VII angeli ecclesiarum, hi sunt VII candelabra aurea, hi voces tonitruorum, virtutum operatione præclari, humilitate præditi, quieti humiles, evangelizantes pacem, annuntiantes bona, dissensiones et rixas et scandala resecantes, soli Deo colloquentes in templo, nichil de mundo pœnitus cogitantes, dicentes patri et matri non novi vos, et filios suos non agnoscentes, sine hoc sacerdotes nomen habent, officium non habent, hic minister Dei dicitur, quia scriptum est, maiorem qui ministrat, quam cui ministratur. Et sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est. Etiam sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem nisi eis traditus fuerit a diaconis. Ita enim Deus noster omnipotens universa disposuit, ut qui maiorem se crediderit, minor esset. Et qui videretur minor maior existeret. Denique quam hoc verum sit, ipse perpende. Levitæ inferunt oblationes in altario. Levitæ componunt mensam Domini. Levitæ sacerdotibus cum sacramenta benedicuntur assistunt. Levitæ ante sacerdotes orant, ut si distinctio locorum creditur in hoc mundo, etiam in altario Dei videant sibi Episcopi qui superbi sunt, diaconos anteponi. Si humilitatem diligant, maiores se esse in eo quod sint humiles recognoscant. Tunc deinde ut aures habeamus ad Deum Diaconus clamat. Ipse prædicat, ipse ortatur, ipse commonet, astantibus, sacerdotibus. Nec levitæ hanc vocem quæ loquitur et pacem annuntiat, aut neglegenter aspicias. Sufficit huic ordini tantum per Dominum fuisse concessum ut non solum sacerdos in templo Dei totum agere, et implere videatur. Et infra. Nunc autem ex quo in ecclesiis sicut in Romano imperio crevit avaritia, perit lex de sacerdote, et visio de propheta, singuli quoque pro potentia episcopalis nominis quam sibi ipsi inlicite absque ecclesia vendicarunt, totum quod levitarum est in usus suos redigunt. Nec hoc sibi quod scriptum est vendicant, sed cuntis auferunt uni-

versa. Mendicat infelix in plateis clerus, et servili opere mancipatus, publica de quolibet deposcit helemosinam, qui ex eo magis despicitur, a cuntis, miseria desolatus iuste putatur ad hanc ignominiam devenisse. Solus episcopus incubat donis, solus utitur ministerio, solus sibi vendicat universa, solus partes invadit alienas, solus occidit universos, hinc etiam propter avaritiam sacerdotum semper odia consurgunt, hinc episcopi accusantur a clericis, hinc principium litis, hinc detractionis causa, hinc origo fit criminis. Etenim si unusquisque in hoc mundo visibiliter possidere mandatur, ut sua tantum sit possessione contentus, ac res non invadat alienas, non agrum pauperis tollat non vineam, non subiunctorum aliquid, non famulos, non fructum, quanto magis qui æcclesiæ Dei præesse debet, ita in omnibus servare iustitiam, ut hoc sibi vendicet, quod sui iuris esse cognoscit? Aliena non rapiat, aliena non tangat, æqualem se cæteris faciat. Et sicut sine his in æcclesia non fuit, ita et sine his in ministerii dispensatione non vivat. Certe ut ipse novisti, qui visibiliter in hoc mundo insinuandis alienum, accusatur a paupere, damnatur a iudice. Ita in æcclesia Dei cum unusquisque stipendia sua perdit, clamat ad Dominum, auditur a Christo. Nec differtur ultionis sententia, si non sedantur universa. Moderatio enim Dei ac pietas, solum nostrum reditum quærit, ac nos cupit longa sua bonitate salvari. Si non convertitur, si duri colli sumus, si in peccatis usque ad mortem illicite perduramus, assidue peccantem sicut scriptum est Deus non miseretur.

CVIIII.

Idem ad eundem.

Nec ego dico præsentibus Episcopis suis, atque astantibus in altario presbyteros posse sacramenta conficere, sed quia scriptum est. Presbyteri dupplici honore honorantur, maxime qui laborant in verbo Dei prædicare eos decet. Utile est benedicere. Congruum est confirmare. Convenit reddere communionem. Necesse est visitare infirmos, orare pro invalidis, atque omnia Dei sacramenta complere. Nemo hic episcoporum invi-

dia diabolicæ temptationis inflctur, irascatur, interdum si presbyteri exortentur plebem, si in æcclesiis prædicent, si plebi ut scriptum est benedicant. Etenim obvianti mihi ista sic, dicat, qui non vult presbyteros facere quod iubetur a Deo. Dicat qui maior Christo? aut quid poterit corpori eius aut sanguini anteponi? Si presbyter Christum consecrat cum in altario Dei sacramenta benedicit, benedicere populum non deberet, quia Christum meruit consecrare? Circa laicos ac mulieres iubentibus vobis iniustissimi sacerdotes presbyter Dei benedictionis perdit officia? amittit linguæ opus? non habet confidentiam prædicandi, truncatus omni parte virtutum? Solumque presbyteri nomen habet, plenitudinem ac perfectionem quæ consecrationi eius compentit non retentat? Quis hic rogo sacerdotes honor vester est, ut damnum gregibus inferatis? Quoniam cum pastoribus præpotentiam aufertur Deo digna diligentia contagium quoddam et calamitas crescit in gregibus. Ac Deo non patrimonii sui damna conqueritis, dum soli vultis in ecclesiis potentari? Denique et chrismatis ea ratio est, atque hic ordo legitimus consecrandi. Presbyteri ergo si necesse est possunt chrisma conficere. Et paulo post. Presbyteri ab initio negotiorum iudices esse mandati sunt, presbyteri sacerdotum interesse concilio, quoniam et ipsi presbyteri ut legimus, episcopi nominantur, secundum quod scriptum est, ad episcopum, quæ tibi data est per impositionem manuum presbyteri. Et alibi, ad mares natu, qui vos posuit episcopos regere ecclesiam suam. Et infra. Sed oderunt hoc superbi sacerdotes in presbyteri nomine qui nolunt hoc esse quod Christus, qui discipulorum pedes lavit, qui baptizatus a Iohanne est, licet baptizandum se esse Iohannes a Domino proclamaret. Quod propterea scribo, ut si peracti temporis error iam non potest revocari et ad præsens in ecclesiis tuis faciant quod Romæ sui, quod in Oriente sui, quod in Africa, quod in Hispania, quod in Britannia, quod in Gallia, quod in omnibus locis humilitas perseverat, quod in cælo quod maius est, ubi sedes eorum legis esse dissposita.

CX.

(Eiusdem super Matthaeum.

Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis. Et cætera. Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes aliquid sibi de phariseorum assumunt supercilium, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita queratur. Et paulo post. Alligat vel solum episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit quid ligandus sit qui solvendus.

CXI.

Ex epistola ad Evagrium Presbyterum.

Legimus in Esaia, fatuus fatua loquitur. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconi presbyteris idest episcopi anteferret. Nam cum apostolus perspicue doceat eosdem esse presbyteros quos episcopos, quid patitur mensarum et viduarum minister, ut super eos se tumidus efferat ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? Quæris auctoritatem? Audi testimonium. Paulus et Timotheus servi Christi Ihesu, omnibus sanctis in Christo Ihesu qui sunt in Philippis, cum episcopis et diaconibus. Vis et aliud exemplum? In actibus Apostolorum, ad unius ecclesiæ sacerdotes ita Paulus loquitur. Antendite vobis et cuncto gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, ut regeretis ecclesiam Domini quam acquisivit sanguine suo. Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures episcopos fuisse contendat, adi et aliud testimonium in quo manifestissime comprobatur, eundem esse episcopum atque presbyterum. Propter hoc reliqui te Crete, ut quæ deerant corrigeres, et constitueres per civitates presbyteros, sicut ego tibi mandavi. Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, fideles habens filios, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem.

Et ad Timotheum. Noli neglegere gratiam quæ tibi data est prophetiæ, per impositionem manuum presbyterii. Sed et Petrus in epistola. Presbyteros, inquid, in vobis precor, compresbyter et testis passionum Christi et futuræ gloriæ quæ revelanda est particeps, regere gregem Christi, et inspicere non ex necessitate, sed voluntarie iuxta Deum. Quod quidem græce significantius dicitur ἐπισκοποῦντες unde et nomen episcopi tractum est. Parva tibi videntur tantorum testimonia? Clangat tuba evangelica, filius tonitrui, quem Christus Ihesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. Presbyter electæ dominæ et filiis eius, quos ego diligo in veritate. Quod autem postea unus electus est, qui ceteris præponeretur, in chrismate, hoc remedium factum est, ne unusquique ad se trahens Christi ecclesiam rumperet. Nam Alexandriæ Marco evangelista usque ad Heraclium et Dionisium episcopos, qui tertium X^um et XIIII^um locum optinuerunt, presbyteri semper unum de se electum, et in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant. Quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se quem industrem invenerint, et Archidiaconem vocem. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? Nec altera Romanæ Urbis ecclesiæ consuetudo, altera totius orbis estimanda est. Et Galliæ, et Britanniæ, et Africæ, et Persis, et omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si auctoritas queritur orbis maior est urbe. Ubicumque fuerit episcopus, sive Romæ, sive Egubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Thanis, eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotii. Potentia divitiarum et paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum facit. Ceterum omnes Apostolorum successores sunt. Et infra. In ecclesia tua Romæ presbyteri sedent, et stant diaconi. Et paulo post. Qui provehitur a minori ad maius provehit. Aut igitur ex presbytero ordinetur diaconus, ut presbytero maior comprobetur, in quem crescit ex parvo, aut si ex diacono ordinatur presbyter noverit se lucis minorem, sacerdotio esse maiorem.

CXII.

Hieronymus in epistola ad Nepotianum.

Esto subiectus pontifici tuo, et quasi animam parentem ama. Sed et episcopi, sacerdotes se sciant esse non dominos, honorent clericos quasi clericos, ut ipsi episcopis a clericis, quasi episcopis honor deferatur. Scutum est illud oratoris Domitii. Cur ergo inquid te habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem? Quod Aaron et filios eius, hoc esse episcopum et presbyteros noverimus. Unus Dominus, unum templum, unum sit ministerium. Recordemur semper quod Apostolus Petrus præcepit sacerdotibus. Pascite eum qui in vobis est gregem Domini, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo, ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. Pessimæ consuetudinis est in quibusdam æcclesiis tacere presbyteros, et præsentibus presbyteris non loqui, quasi aut invideant, aut non dedignentur audire. Et si alii inquit apostolus Paulus fuerit revelatum sedenti, prior taceat, potestis enim pro singulis prophetare, ut omnes discant, et omnes consolentur, et spiritus prophetarum est subiectus prophetis. Non enim dissensionis est Deus, sed pacis. Gloria patris est filius sapiens. Gaudent Episcopus in iudicio suo cum tales Christus elegerit sacerdotes.

CXIII.

Idem super Aggeum.

Considera sacerdotum esse officii de lege interrogatos respondere. Si sacerdos est, sciat legem Domini. Si ignoras legem, ipse arguit sacerdotem non esse. Sacerdotis enim est scire legem et ad interrogationem responderé de lege. Quod quidem et in Deuteronomio legimus, ut sicubi in urbibus Israel questio fuerit exorta, inter sanguinem et sanguinem, et inter iudicium et iudicium, lepram et lepram, contradictionem et contradictionem, eant ad sacerdotes, et levitas, et pontificem qui

fuerit in diebus illis, et quærant ab eis legem Domini. Quibus respondentibus. Quod si non fecerunt, exterminentur de populo suo.

CXIIII.

Idem in epistola ad Titum.

Constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui. Quod qualis presbyter debeat ordinari, in sequentibus disserens, hoc est si quis sine crimine est, unius uxoris vir, postea intulis. Oportet enim sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem. Idem ergo est presbyter quod episcopus. Et antequam diaboli instinctu diversa studia in religione fierent, communi presbyterorum consilio æcclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque quos baptizaverat suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura ecclesiæ pertineret, et scysmata tollerentur. Hæc propterea inquio ut ostenderet apud veteres eosdem fuisse presbyteros quam episcopos. Sicut ergo presbyteri sciunt se æcclesiæ consuetudine eis qui sibi præpositi sunt esse subiectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispensationis dominicæ veritate presbyteri esse maiores.

CXVIII. *(sic)*

Idem ad Rufucum monachum.

In apibus princeps unus est. Grues unam secuntur ordine litterato. Imperator unus. Iudex unus provinciæ. Roma ut condita est duos fratres simul reges habere non potuit, et parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero Esau et Iacob bella gesserunt. Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi unus est gubernator, in domo unus est dominus. In quovis grandi exercitu unius signum expectatur. Idem in epistola ad . . . . . . Maiorum traditiones et consuetudines, quæ tamen non sunt contra fidem, leges apostolicas religio christiana arbitratur.

CXVIIII.

Idem.

Roboam filius Salomonis ideo perdidit regnum, quia noluit audire presbyteros suos. Quomodo enim centuriones dicuntur, qui C præsunt militibus, et chiliarchæ qui mille, quos nos tribunos appellamus ab eo quod præsunt tribui, sic in Israelitico exercitu quinquagenarii vocabantur, qui in capite erant L militum. Senatum quoque Romani consules habebant, quorum consilio cuncta agebant. Et nos habemus in ecclesia senatum nostrum cætum presbyterorum. Idem super Matthæum. Convocatis discipulis, ait Ihesus. Misereor super turba. Convocat discipulos Christus et quod facturus est loquitur, ut magistris ecclesiæ det exempla, cum subditis communicanda esse consilia.

CXX.

Idem in epistola ad Eliodorum presbyterum.

Vestes pullas æque ut candidas, ornatus ut sordes pari modo fuge. Quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Nam absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere laudabile est. Alioquin ridiculum et plenum dedecoris est, referto marsuppio quod sudarium orariumque non habeas regulari. Idem ad Eustochium. Sunt alii ut de mei ordinis hominibus loquar, quibus est omnis cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folliat, digiti anulo radiant, et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales magis sponsos estimato quam clericos.

CXXI.

Hieronymus in epistola ad Heliodorum presbyterum.

Sed et alia causa monachi est, alia clericorum. Clerici oves pascunt, ego paschor. Illi de altario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem. Si munus ad Altare non defero, nec possum obtendere paupertatem cum evan-

gelio. Anum viduam duo quod sibi soli supererant, mittentem laudat Dominus. Michi ante presbyterum sedere non licet. Ille si peccavero licet tradere me sathanæ in interitu carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Et in veteri quidem lege quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio cervice subiecta contemptu expiabat cruorem. Nunc vero inobediens, spirituali animadversione truncatur, aut eiectus de ecclesia rabidum demonum decerpitur. Idem item ad Furiam. Quocumque dicitur in monachos redundat in clericos qui patres sunt monachorum. Detrimentum gregis ignominia est magistri. Sicut e regione illius monachi vita laudanda est qui venerationi habet Domini sacerdotes, et non detrahit gradui per qnem factus est christianus.

CXXII.

Beda in Anglorum istoria.

Dilectissimis et sanctissimis fratribus episcopis, presbyteris, abbatibus Scotiæ Hilarius Archipresbyter et servans locum Sedis Apostolicæ, et Iohannes diaconus in Dei nomine electus in Romanum Pontificem; item Iohannes primicerius et servans locum sanctæ Sedis Apostolicæ. Et Iohannes servus Dei Consiliarius eiusdem Apostolicæ Sedis. Reseratis scriptis vestris quod per latores vestros ad sanctæ memoriæ Severinum Papam misistis, cognovimus quod virus pelagianæ heresis apud vos denuo reviviscit. Hortamur itaque vos fratres karissimi ut a vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa execranda heresis dampnata est, latere nos non debet, sed et cotidie a nobis perpetuo anathematæ sepulta dampnatur. Et hortamur ne quorum arma combusta sunt, aput vos eorum cineres suscitentur, et cætera.

CXXIII.

Ex lib. I Burchardi.

Gregorius IIII Theodosium quem Eugenius antecessor eius presbyterii honore privaverat, ecclesiæ Segininæ consecravit episcopum. Leontius dum esset presbyter depositus fuit, et postea in Antiochia patriarcha extitit. Misenum episcopum a Felice Papa damnatum, Gelasius successor eius et communioni reddidit, et æcclesiæ suæ restituit.

CXXIIII.

Ex gestis S. Silvestri Papæ.

A sancto Silvestro et presbyteris eius colobiorum usus sumpsit initium, et Marcus et Iulius, et Liberius eo ordine usi sunt. Post hos autem quoniam nuditas brachiorum culpabatur colobia in dalmaticas commutata sunt. Visum est enim melius huic proposito convenire, quod accuratius magis aspectibus placere valeat.

CXXV.

Ex historia Anastasii bibliothecarii Rom. Ecclesiæ.

Mundi anno quinquies millesimo DCC. XLIIII. divine incarnationis anno CC. XLIIII Novatus Romanæ æcclesiæ presbyter sese ab ecclesia separavit. Sub obtentu eorum, qui Decii tempore in persecutione immolaverant, et per pænitentiam in communionem ab ecclesia sunt recepti, et ipse cum suis sequacibus pulsus est. De paradiso ecclesiæ, sententia patrum LX qui sinonicæ convenere in urbe Roma cum pluribus presbyteris et diaconibus, præsidente Cornelio episcopo Urbis.

CXXVI.

Iohannes Crisostomus super Matthæum.

Diaconi autem qui non bene tractant, ecclesiasticarum pecuniarum mensas, sed semper de eis fraudant, et ipsas quas

dispensant, et divites fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummularii pecuniarum mensas habentes Christum evertit. Quoniam autem mensis ecclesiasticarum pecuniarum diaconi præsunt, docent nos in actibus suis Apostoli. Cum factum fuisset inquit murmur Græcorum ad Hebreos, eo quod despicerentur viduæ eorum in ministerio cotidiano dicebant. Non est bonum nos relinquentes verbum Dei ministrare mensis. Eligite ergo ex vobis septem quos constituamus in hunc usum. Nos autem verbo Dei instantes erimus.

CXXVII.

Ex concilio Bracharensi.

Placuit ut quicquid ex collatione fidelium offertur, apud unum clericorum fideliter colligatur, et constituto tempore, aut semel aut bis in anno, inter omnes clericos dividatur. Nam nunc modica ex ipsa qualitate discordia generatur, si unusquisque in sua septimana quod oblatum fuerit sibi defendat.

CXXVIII.

Ex cap. VI sinod.

Precipimus ne Diaconus quamvis in dignitate hoc est in officio quolibet ecclesiastico sit, ante presbyterum sedeat, nisi cum vices habuerit proprii patriarchæ, aut metropolitani pro aliquo capitulo. Tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur. Si quis vero præsumpserit hæc tyraunice facere, a proprio gradu repulsus, ultimus omnium fiat in ordine suo.

CXXVIIII.

Ex eodem.

Nullus eorum qui connumerantur in clero, vestimentum indecens habeat sive in civitate degens, sive in itinere ambulans, sed stolis utantur quæ concessæ sunt clericis. Si quis vero tale quid fecerit, per unam hebdomadam suspendatur.

CXXX.

Hysidorus.

Cardo dictus a potocardian græco, idest corde, quia sicut cor totum hominem regit et movet, ita cardo ianuæ idest cuneus totam ianuam regit et movet. Unde derivative sacerdotes et levitæ Summi Pontificis cardinales dicuntur, eo quod ipsi quasi forma facti gregi sacris prædicationibus et præclaris operibus Papam dirigant atque adregant, atque ad regni cælestis anditum moveant et invitent. Sicut abbasibus quæ sunt fulturæ columnarum a fundamento surgentes, basilei idest reges dicuntur quia Papam regunt, ita et Cardinales dirivative dicuntur a cardinibus ianuæ, qui tam regunt et movent, quod plebem Dei ut superius diximus doctrinis sanctis ad amorem Dei moveant. Item cardinales mundi duo sunt in septemtrione et meridie, et ideo dicuntur cardines quia in ipsis volvitur cælum.

CXXXI.

Ex sinodi secundi Stephani Papæ in actione III.

Esterno die prolata est sententia quemadmodum Constantinus Apostolicæ sedis invasor suppænitentiæ correptione subsistere debeat. Item infra. Oportebat ut hæc sacrosancta Dominica nostra Romana Ecclesia iuxta quod a beato Petro et eius successoribus institutum est rite ordinaretur, et in apostolatus culmine unus de cardinalibus presbyteris aut diaconibus consecraretur. Item. Sed et hoc sub anathematis interdictionibus decernimus, ut nulli unquam laicorum sive ex manu armata, vel ex aliis ordinibus præsumant inveniri in electione Pontificis. Sed a cunctis Sacerdotibus, atque proceribus ecclesiæ et cuncto clero ipsa pontificalis electio proveniat. Et postquam Pontifex electus fuerit, et in patriarchium deductus, tunc optimates militiæ, et cunctus exercitus, et cives honesti, atque universa generalitas populi huius Romanæ urbis ad salutandum eum sicut

omnium dominum properare debent, et ita more solito decretum facientes et in eo cuncti pariter concordantes subscribere debent, hoc itaque et in aliis ecclesiis sub divini iudicii obtestatione, et anathematis indictione decernimus observandum. De castris autem Tusciæ et Campaniæ et de aliis locis, nullus Romam audeat ingredi, nec a quopiam invitentur, aut infra civitatem introducantur, sed nec quisquam ex servis tam cleri quam militiæ in eadem electione inveniatur, nec ullus pœnitus cum armis aut fustibus.

Actio IIII.

Si ad Sanctorum consortium venire optamus, profecto hic omnia, in honore Sanctorum, sive reliquias non solum corporum sed et vestimentorum, sive basilicas nominibus eorum memoratas, sive etiam imagines, et vultus illorum in quolibet loco depictos celeberrimo honore venerari debemus. Item. Pavendum est ne sub iconarum occasione ad peiora sese status male assersionis erigat, et corpora Sanctorum, et reliquias martyrum adorari tanquam membra Domini, hac venerari prohibeatur. Item. Interrogatio Antiochi ad sanctum Athanasium. Quomodo vos facitis imagines et adoratis ea? ℟. non sicut deos imagines adoramus nos fideles. Absit, sicut pagani, sed tantummodo affectum et caritatem animæ nostræ ad vultum faciei imaginis aptamus, unde et multotiens vultu deleto sicut lignum purum atque comune iam quod dudum fuerat imago comburimus. Item. Crucem pro crucifixo in ea Christo adoramus et amplectimur fideliter. Item. Si quis sanctas imagines domini nostri Ihesu Christi et eius genitricis, atque omnium sanctorum, secundum sanctorum patrum statuta venerari noluerit, anathema sit. Item. Non amplius suscipiantur Apostolorum canonum prolata per sanctum Clementem, nisi quinquaginta capita quæ suscipit sancta Dei catholica Romana Ecclesia. Item. Si quis ex episcopis, vel presbyteris, vel monachis, aut ex laicis contra canonum et sanctorum patrum statuta prorumpens in gradus clericorum S. R. Ecclesiæ, idest Pre-

sbyterorum Cardinalium et Diaconorum ire præsumpserit, et hanc Apostolicam Sedem invadere, quilibet in supradictis temptaverit et ad summum pontificalem honorem ascendere voluerit, ipsi et sibi faventibus faciat perpetuum anathema. Item. Si quis cum armis in electione Pontificis, et aliorum sacerdotum inventus fuerit, anathema sit. Item. Si quis intrare aut introducere in hanc civitatem Romanam præsumpserit quemquam de quacumque civitate, aut castro, vel loco, pontificis post discessum, quousque in sede beati Petri Pontifex ordinatus fuerit, anathema sit. Item. Si quis resistere præsumpserit sacerdotibus atque primatibus ecclesiæ, vel cuncto clero ad eligendum sibi pontificem secundum hanc canonicam traditionem, anathema sit.

INCIPIT LIBER III.

DE REBUS ECCLESIÆ

Ex can. Apostol. cap. XI.

PRECIPIMVS VT IN POTESTATE SVA RES ECCLESIE EPISCOPVS HABEAT. SI ENIM ANIME HOMINVM pretiosæ illi sunt credite, multo magis oportet eum curam de pecuniis agere. Ita ut potestate eius indigentibus omnia dispensentur per presbyteros et diaconos, et cum timore omnique sollicitudine ministrentur. Ex his autem quæ indigent, si tamen indiget, ad suas necessitates, et peregrinorum fratrum usus, et ipse percipiat, ut nichil eis possit omnino deesse, lex enim Dei præcipit, ut qui altario deserviunt, pascantur ex ipso, quia nec miles stipendiis propriis arma contra hostes assumit.

II.

Ex eiusd. cap. X.

Sint manifeste res propriæ episcopi, si tamen habet proprias, et manifeste dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens episcopus, sicut voluerit et quibus voluerit derelinquere. Ne sub occasione ecclesiasticarum rerum, quæ episcopi probantur, interdicantur. Fortassis aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut servos, et iustum est apud Deum et homines, ut nec æcclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum pontificis, nec eius propinqui sub obtentu æcclesiæ proscribantur, et in causas incidant quæ ad eum pertinent morsque eius iniuriis infametur.

III.

Item in eiusd. cap. IIII.

Offerri non liceat aliquid ad Altare præter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et thimiama, idest incensum, tempore quo sacra celebratur oblatio. Reliqua poma omnia, ad domum primitiæ episcopis vel presbyteris dirigantur, nec offerantur altario. Certum est autem quod episcopus et presbyteris dividant diaconibus et reliquis clericis.

IIII.

In Chalcedonense concilio de XXX patr. cap. XXII.

Clericis non licet post mortem episcopi sui diripere ea quae illi competere possint, sicut anterioribus canonibus cautum est. Alioquia eos de gradibus suis posse periclitari.

IIII. (*sic*)

Ex eodem cap. XXV.

Redditus æcclesiæ viduatæ pene echonomum eiusdem ecclesiæ integri reserventur.

V.

Ex eodem cap. IIII.

Qui vere et sincere singularem sectantur vitam competenter honorentur. Quoniam vero quidam utentes habitu monachi, ecclesiastica negotia civiliaque couturbant; circumeuntes indifferenter urbes, nec non et monasteria sibi instituere tentantes, placuit nullum quidem usquam instituere monasterium, vel oratorii domum, præter conscientiam civitatis episcopo. Monachos vero per unamquamque civitatem aut regionem subiectos esse episcopo, et quiete diligere et intentos esse tantummodo ieiunio et orationi, in locis in quibus renuntiaverunt sæculo permanentes. Nec æcclesiasticis, nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti pro-

pria monasteria deserentes, nisi fortes eis præcipiantur propter opus necessarium ab episcopo civitatis. Nullum vero recipere servum optentu monachi, præter sui domini conscientiam. Transgredientem vero hanc diffinitionem nostram, excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur. Verumtamen episcopum civitatis convenit competentem monasteriorum providentiam gerere.

VI.

Ex VII Synodo CCCL Patrum cap. IIII.

Predicator æcclesiæ Paulus divinus apostolus ac si canonem ponens Ephesiorum presbyteris immo vero et omni sanctæ plenitudini, ita fiducialiter perhibuit. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos. Beatius existimans dare quam accipere, propter quod et nos edocti ab eo, diffinimus nullatenus episcopum turpis gratia lucri excogitare ad excusandas excusationes in peccatis, expetere aurum vel argentum, aut aliam speciem ab episcopis vel clericis vel monachis qui sub ipso sunt. Ait enim Apostolus. Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Et Petrus apostolus. Pascite qui in vobis est gregem Domini, non coacte, sed spontaneæ secundum Deum, nec turpis lucri gratia, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis, et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem coronam.

VII.

Ex ead. Synodo.

Quisquis episcopus vel abbas inventus fuerit de salariis episcopii, vel monasterii transferre quicquam in principum manus, vel etiam alii personæ conferre, irritum sit quod datum esse constituit, secundum canonem sanctorum apostolorum, qui dicit. Omnium ecclesiasticarum rerum episcopus habeat sollicitudinem et dispenset eas tamquam Deo contem-

plante. Non licet autem ei fraudare quicquam ex illis vel cognatis propriis dare quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur sed non sub honorum occasione quæ sunt ecclesiæ defraudentur. Quod si excusationem prætenderint, damnum facere et nihil ad profectum agrum existere, nec sic principibus tribuatur ager vel locus, sed clericis agricultoribus. Quod si calliditate usus fuerit princeps, et a colono vel clerico emerit agrum, etiam sic sit irrita venditio, et restituatur episcopio vel monasterio, et episcopus vel abbas hoc faciens abiciatur tamquam qui dispergit quæ non colligit.

VIII.

Ex eod. cap. XIII.

Quoniam quibusdam viris quædam venerabiles domus supripiuntur, tam videlicet episcopia, quam monasteria, et facta sunt communia diversoria, siquidem voluerint hi qui hæc retinent reddere ea, ut secundum antiquitatem restaurentur, bene et optime. Alioquia si de sacro catalogo fuerint, hos deponi præcipimus. Si vero monachi vel laici excommunicari. Quos nimirum constat condempnatos esse a Patre et Filio et Spiritu sancto, et deputantur ubi vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur, quia a Deo adversantur qui dicit. Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

VIIII.

Ex VIII Synodo CCXL Patrum in dic. X.

Apostolicos et paternos canones renovans hæc sancta et universalis synodus, diffinimus neminem prorsus episcopum vendere vel utcumque alienare, cymilia et vasa sacrata, excepta causa olim ab antiquis canonibus ordinata, videlicet quæ accipiuntur in redemptione captivorum, sed nec tradere salaria ecclesiarum in emphyteutica pacta, nec alias rusticas possessiones venundare. Ac per hoc ecclesiasticos redditus ledere, quos ad propriam utilitatem, et ob escas paupe-

rum et peregrinorum sustentationem esse decernimus. Et paulo post. Quisquis autem apparuerit post hanc diffinitionem nostram contrarium quid huic sanctæ ac universali Synodo agere, deponatur ut prævaricator divinarum legum et præceptorum. Cessata videlicet omnino quæ facta est in scriptis vel sine scriptis ab episcopo venditione, vel emphyteutica traditione, aut alia quavis alienatione cymiliorum, scilicet et salariorum locorum. Qui vero emerit, aut perceperit aliquid ex prædictis cymiliis vel salariis, et non restituerit æcclesiæ iterum quæ æcclesiæ sunt, vel non reddiderit ad incendendum cartam venditionis, vel emphyteuseos sit anathema, usque dum fecerit quod ab hac sancta et universali synodo confirmatum est. Si autem episcopus convictus fuerit construxisse monasterium de ecclesiasticis redditibus, tradatur eidem ecclesiæ ipsum monasterium.

XI. *(sic)*

Ex eadem in actione eadem.

Placuit huic sanctæ ac magnæ synodo, ut res, vel privilegia quæ Dei æcclesiis ex longa consuetudine pertinent, et sive a divæ recordationis imperatoribus, sive ab aliis Dei cultoribus in scriptis donata, et ab eis per annos XXX possessa sunt, nequaquam a potestate præsulum earum quæcumque persona sæcularis potestatem subtrahat, aut per argumenta quælibet auferat, sed sint omnia in potestate ac usu præsulis æcclesiæ, quecumque intra XXX annorum spatium ab ecclesiis possessa fuisse noscuntur. Quisquis ergo sæcularium contra præsentem diffinitionem egerit, tamquam sacrilegus iudicetur, et donec se correxerit, et æcclesiæ propria privilegia, seu res restituerit, anathema sit.

XII.

In eadem ex actione eadem.

Oportet post trium annorum census retentionem accedere ad præpositos urbis, vel regionis illius et arguere in conspectu eorum eum, qui emphyteusin consecutus est et exhibere contem-

ptum eius, et tunc ex sententia et iudicio prætorum recipiat ecclesia propriam possessionem. Sed ne qua quam quisquam apud se vel per se faciat prædictorum ablationem locorum. Suspectivum quippe tale quid, et multi temporis lucri et avaritiæ consistit iudicium. Si quis ergo episcopus aut metropolita propter hanc diffinitionem nostram abstulerit aliquem locum a quoquam, putans quod ecclesiam propriam defendat, sequestretur a proprio patriarcha per aliquod tempus dans primo quod per potestatem suam abstulerit vel surripuit. Si vero contemptor quis perstiterit, non obediens his quæ sanctæ ac universali synodo visa sunt, deponatur omnimodis.

XIII.

In concilio Ancirano cap. XIIII.

Si qua de rebus æcclesiæ cum episcopus non est, presbyteri vendiderint, placuit roscisso contractu, ad ius ecclesiasticum revocari. In iudicio autem episcopi erit constitutum, si pretium debeat recipi, necne, propter quod sæpe contigit distractarum rerum redditus ampliores summam accepto pretio reddidisse.

XIIII.

Item in concilio Gangrensi cap. VII.

Si quis dederit vel acceperit fructum oblationis, extra episcopum vel quemlibet ministrum, tamquam ad dispensationem boni operis, anathema sit.

XV.

In Cartaginensi cap. XXXI.

Nullus res ecclesiæ distrahat. Quod si redditus non habet, et aliqua necessitas nimia cogit, hanc insinuandam esse primati provinciæ ipsius, ut cum statuto numero episcoporum utrum faciendum sit arbitretur. Et si tanta urget necessitas æcclesiæ, ut non possit ante consulere, saltem vicinos testes convocet episcopus, curans ad concilium omnem referre æcclesiæ neces-

sitatem. Quod si non fecerit, reus Deo et sancto concilio, venditor honore amisso teneatur.

XVI.

Item in eodem cap. XXXVIII.

Item placuit, ut episcopi, presbyteri, diaconi, et quicumque clerici qui nichil habent, ordinantur, et tempore episcopatus, vel clericatus sui agros vel quæcumque pretia nomini suo vel per alium excusandum comparant, tamquam rerum dominicarum invasione teneantur, nisi admoniti in æcclesia eadem ipsi contulerint. Sin autem ipsis propria liberalitate alicuius vel successione cognationis aliquid obvenerint, faciant inde quod eorum proposito congruit. Quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore ecclesiastico tamquam indigni arceantur.

XVII.

In eodem cap XXXVIIII.

Item etiam placuit, ut presbyteri non vendant res æcclesiæ ubi sunt constituti nescientibus episcopis suis. Quomodo nec episcopis licet vendere pretia æcclesiæ inconsulto concilio vel cuncto presbyterio sine ulla necessitate.

XVIII.

In eod. cap. XL.

Episcopo non liceat matricis æcclesiæ res idest tituli presbyteri sui usurpare.

XVIIII.

Item ex Concilio II Eugenii PP. cum episcopis LXI
et Leonis IIII cum episcopis LXVII.

Nulli Episcoporum liceat res de subiectis plebibus et aliis piis locis in proprios usus habere. Contra agens canonica auctoritate coerceantur.

XX.

In concilio Cartaginensi cap. XLVIII.

Ut unusquisque presbyter res quas post diem consecrationis acquisiverit, propriæ æcclesiæ relinquat.

XXI.

In Africano cap. XV.

Ut Episcopus rebus ecclesiæ tanquam commodatis, non tamquam propriis utatur. Irrita vero erit Episcopi vel donatio, vel venditio, vel commutatio rei æcclesiæ absque convenientia vel subscriptione clericorum.

XXII.

In Antiocheno Concilio cap. XXIIII.

Probata autem et certa debent esse quæ sunt æcclesiæ, cum notitia presbyterorum, et diaconorum, et omnia eos scire, et non ignorare, quæ sunt propria æcclesiæ, et nihil eos lateat. Ut cum venerit episcopum exire da sæculo, scientes ea quæ sunt æcclesiæ, per neglegentiam perire minime patiantur.

XXIII.

In eodem cap. XXV.

Secundum Apostolum dicentem, habentes victum et tegumentum his contenti sumus. Si autem Episcopo in his non sufficit, et convertat res æcclesiæ in suos domesticos usus, et eius commoda, et possessionum fruges non cum notitia presbyterorum et diaconorum tractat, sed et domesticis suis et affinibus et fratribus aut filiis parat potestatem, et per eos tales absconse ledere certat res æcclesiæ, hunc convictum subiacere sinodo provinciæ. Si autem taliter incusetur episcopus ab his qui cum eo sunt presbyteris, eo quod quæ pertinent ad ecclesiam sive de agris, sive de aliqua substantia æcclesiæ sibi usurpat, et pauperes tribuantur, hos oportet corrigi in sancta synodo.

XXIIII.

In canonibus Apostolorum cap. XXXVIIII.

Non liceat episcopo parentibus suis quæ Dei sunt dare. Quod si pauperes sunt, tamquam pauperibus eis subministret, ne eorum occasione ecclesia deprædetur.

XXV.

Ex concilio Agathensi cap. IIII.

Clerici etiam vel sæculares, qui oblationes parentum aut donatas aut testamento relictas retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donaverint æcclesiis vel monasteriis crediderint, aut ferendum, sicut sancta constituit synodus velut necatores pauperum quousque reddant ab ecclesiis excludantur.

XXVI.

Ex concilio Icasense cap. XXI.

Qui oblationes defunctorum retinent, et ecclesiis tradere morantur, ut sacrilegi ab æcclesia sunt abiciendi, quasi egentium neccatores, nec credentes iudicio Dei.

XXVII.

In concilio Maguntino cui præfuit Romanus Legatus Bonifatius martyr et episcopus cap. XI.

Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec aliis possessionibus pro novis oratoriis sine consensu episcopali priventur. Item in eodem. Ut terminum habeat unaquæque æcclesia de quibus locis decimas accipiat. Quicumque vero voluerit æcclesiam facere, cum consensu episcopi faciat, cuius parrochia fuerit. Verumtamen omnino providendum est, ut æcclesiæ antiquiores propter hanc occasionem suam iustitiam aut decimas non perdant, sed semper antiquioribus æcclesiis persolventur.

XXVIII.

Ex epistola.

Anacletus servus Christi Ihesu, Episcopis omnibus et cæteris cunctis fidelibus. Qui abstulerit patri vel matri aliquid, dicatque hoc peccatum non esse, homicide particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit. Mater vero nostra æcclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias et æcclesiæ aufert vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum iusti iudicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam domini sui iniquitatem operatur. Qui autem pecuniam proximi sui iniquitatem operatur. Qui pecuniam, vel res æcclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.

XXVIIII.

Item in eàdem.

Privilegia æcclesiarum et monasteriorum, inviolata et intemerata omnibus decrevimus manere temporibus, leges æcclesiæ, apostolica firmamus auctoritate, peregrinas summovemus. Idem. Si omnia in hoc sæculo iudicata essent, locum divina iudicia non haberent.

XXX.

Alexander Episcopus omnibus episcopis. Qui vos persequitur, ipsum cuius vice legatione fungimini persequitur. Quia sicut ipse Filius Dei mediator fuit Dei et hominum, ita et vos eius vice in ecclesia estis constituti, ut inter Deum et homines legatione fungamini. Si quis autem legationem vestram impedit, non unius, sed multorum profectum avertit. Et sicut multis nocet, ita a multis arguendus est. Et quia Dei causam impedit, et statum conturbat æcclesiæ, ab eius liminibus arceatur. Vos autem si dilectionem habueritis ad invicem, et unanimes fueritis, facile tales superabitis. Si vero quod absit discordes fueritis et canino vos dente roseritis, neminem superabitis. Qui vero ex vestro collegio fuerit, et se ab auxilio vestro subtraxerit, magis scismaticus quam sacerdos esse probatur.

XXXI.

Ex prima epistola PP. Urbani et Lucii.

Urbanus Episcopus omnibus Christianis. Res æcclesiæ fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis usibus, quam in æcclesiarum usum, vel indigentium christianorum fratrum convertunt. Quia vota sunt fidelium, et pretia peccatorum. Si quis autem quod absit secus agerit, videat ne dampnationem Ananiæ et Saphiræ percipiat. Et infra. Hæc fratres valde cavenda sunt et timenda, quia res æcclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, et Domino oblatæ cum summo timore, non in alios, quam in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ, ne sacrilegii reatum incurrant qui eas inde abstraunt ubi traditæ sunt, et quod peius est anathema maranatha fiant, et si non in corpore ut Ananias et Saffira, tamen in anima moriantur.

XXXII.

Ex secunda epistola.

Pivs Romanæ Urbis Archiepiscopus. Sicut qui ecclesiam Dei vastat, eiusque prædia et donaria expoliat et invadit, fiat sacrilegus, sic et ille qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegii reus extitit, et sicut sacrilegus iudicatur.

XXXIII.

Lucius Episcopus omnibus Episcopis. Rerum ecclesiasticarum et facultatum raptores a limitibus sanctæ æcclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus et damnamus, atque sacrilegos iudicamus. Et non solum eos, sed et omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, rei iudicantur. Par enim pæna et agentes et consentientes comprehendit. A qua pæna et agentes et consentientes comprehendit. A qua pæna liberi non possunt esse illi, quorum ministerium est, et qui talia possunt prohibere et emendare, et ea non student corrigere, et cætera.

XXXIIII.

Ex epistola Papæ Leonis primi cap. XLV.

Leo Papa universis Episcopis per Siciliam constitutis. Occasione specialium quærelarum curam vobis providentiæ generaliter indicat, ut quod in duabus provinciis in æcclesiis improbe gestum, iniusteque præsumptum est, id constitutione perpetua ab omnium episcoporum usurpatione resecemus. Et infra. Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de æcclesiæ suæ rebus audeat quicquam vel donare, vel commutare, vel vendere, nisi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et cum totius clerici tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium æcclesiæ profuturum.

XXXV.

Eiusdem.

Leo Episcopus Marciano Augusto. Privilegia æcclesiarum et monasteriorum, sanctorum patrum auctoritate instituta, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Deo, fideliter exequendo, necesse est huius sanctæ sedis pontifices perseverantem exercere famulatum. Dispensatio enim nobis credita est. Et ad nostrum reatum tendit, si paternarum regulæ sanctionum nobis consentientibus et neglegentibus violentur. Item idem Pulcheriæ Augustæ. Omnes res aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, regia et sacerdotalis defendat auctoritas.

XXXVI.

Ex synodo Hylari Papæ cap. III.

Illud quod quisque Episcopus commisit illicite, aut a decessoribus invenit admissum, si proprium vult vitare periculum damnabit. Nam ipse quicquid in alio non resecaverit, inveniet.

XXXVII.

Ex epistola Simplicii PP. Florentio et Equitio.

De redditibus æcclesiæ vel oblatione fidelium sola episcopo ex his una portio remittatur, duæ ecclesiasticis fabricis et erogationi peregrinorum et pauperum profuturæ, a presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur. Ultima clericis pro singulorum meritis dividatur. Et infra. Cui idem Gaudentio episcopo specialiter in hoc præcipimus immineri, ut tres illas portiones quas triennio sibi tantummodo dicitur vendicasse, restituat.

XXXVIII.

Ex decreto Gelasii Papæ cap. XXVIIII.

Quattuor autem tam de redditu quam de oblatione fidelium prout cuiuslibet æcclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut sacerdotis intererit, integram ministris æcclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clericus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis officiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum deceat instauratio manifesta sanctorum. Quia nephas est, si sacris edibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata convertat. Ipsa nichilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensare monstraturus esse videatur, tamen iuxta quod scriptum est. Ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cælis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri.

XXXVIIII.

Symmachus Papa in concilio CCX et VIII episcoporum præsidens in basilica beati Petri Apostoli dixit. Mansuro cum Dei nostri consideratione decreto sancimus, ut nulli Apostolicæ

Sedis Præsuli a præsenti die donec disponente Domino Catholicæ fidei manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum quantecumque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel commutatione ad cuiuslibet iura transferre, nec cuiusquam excusentur necessitatis obtentur. Quippe cum non sit personale quod loquimur. Nec aliquis Clericorum, vel laicorum sub ac occasione accepta tueatur. Sed in usufructus rura aliquibus dari liceat, nec data retineri præter clericos et captivos atque peregrinos, ne male occasionis ministretur occasio, cum liberalitati illi alia itinera reserventur. Sane tantum domus quibuslibet urbibus constitute, quarum statum necesse est expensa non modica sustentari, acceptis si offerri contigerit sub iuxta estimatione redditibus, et divini timore iudicii commodentur.

XL.

Eiusdem in eodem.

Pari etiam ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis titulos qui sunt presbyteri, vel quicumque futuri sunt astringi volumus lege custodes, quia nefas dictum est obligatione qua se per caritatem Christi connectit summus Pontifex, ea hominem secundi in æcclesia ordinis retineri. Quicumque tamen oblitus Dei, et decreti huius immemor cuius Romanæ civitatis sacerdotes volumus religiosis nexibus devinciri, in constitutum præsens committens, quicquam de iure titulorum vel æcclesia superius præfata, quolibet modo præter aurum, argentum, et gemmas, vestes quoque si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia adornamenta divina minime pertinentia perpetuo iure exceptis dumtaxat sub præfata condicione domibus alienare temptaverit, donator, alienator, ac venditor honoris sui amissione multetur.

XLI.

In eadem.

Præterea qui petierit, aut acceperit, vel qui Presbyterorum aut Diaconorum seu defensorum danti subscripserit, quo

iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur. Sitque accipienti, vel subscribenti, idem de personis superius comprehensis quas anathemate feriri censuimus, in statuta pæna contubernium, servata quam præmisimus in alienatore vindicta, nisi forte et alienator sibi dum repetit, et qui acceperit celeri restitutione prospexerit.

XLII.

In eadem.

Quod si minore animæ suæ cura sibi quisquam remedium oblatum forte neglexerit, super penarum genera quæ superius tenentur ascripta, contra fas si quod conceptum fuerit documentum, universis iuribus quamvis ab initio nullos habuerit effectus exinaniatur. Sed liceat quibuscumque æcclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, et æcclesiastica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus possit alienata reposcere. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, quia religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas sine aliqua consideratione dispergit.

XLIII.

Ex VI Synodo Symachi Papæ Episcoporum CCXVIII.

Symachus æcclesiæ Episcopus Catholicæ Urbis Romæ, dixit. Si his qui res Dei competit, in aliis quam ubi agitur maxime solet territoriis commorari, sacerdotem loci ipsius ubi habitat, episcopus huiusmodi pravitate contemptus, neglectæ personæ litteris reddat instructum. Tunc antistes ipsius fratris anxietate comperta, aut pervasorem rerum dominicarum admonitione corrigat, aut prætaxata canonica correptione condempnet. Unde et in canonibus in Grangrensi æcclesia Apostolica auctoritate conditis, de fructuum oblationibus quæ ministris æcclesiæ debentur, et de his quæ in usus pauperum conferuntur, scriptum conferunt habetur. Si quis oblationes æcclesiæ accipere vel dare noluerit, præter episcopi conscientiam, vel eius cuius huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit. Et iterum in eodem Con-

cilio Gangrensi. Si quis oblata Deo dederit vel acceperit, præter Episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam materiam pauperibus, et qui dat et qui accipit, anathema sit. Valde ergo iniquum, et ingens sacrilegium est, ut quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel pro salute aut requie animarum suarum unusquisque venerabili æcclesiæ contulerit, aut certe reliquerit, ab his a quibus maxime servare convenit, idest Christianis et Deum timentibus hominibus, et super omnia a principibus et primis regionnm, in aliud transferri vel converti. Propterea quibus non præviderit, et aliter quam præscriptum est æcclesiis tradita petierit vel acceperit, aut possederit, vel iniuste defenderit, aut retinuerit, nisi cito correxerit quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur. Sitque accipienti, vel danti, vel possidenti anathema. Et infra. Generaliter vero, quicumque res æcclesiæ confiscare, aut competere vel pervadere periculosa sua infestatione præsumpserit, similiter et qui res æcclesiæ iussu vel largitione principum, vel quorumdam potentium, aut quadam invasione, aut tirannica potestate retinuerint, et filiis vel heredibus suis ut a quibusdam iam factum audivimus, quasi hereditarias reliquerint, nisi cito res Dei admoniti a Pontifice agita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Iniquum enim esse censemus, ut potius custodes cartarum quam defensores rerum creditarum, ut præceptum est iudicemur. Et infra. Ferro enim abscidenda sunt vulnere, quæ fomenta non sentiunt. Similiter et illi extorres debent fieri ab ecclesia qui sacerdotali admonitione non corriguntur. Dicente Domino. Auferte malum ex vobis. Universa synodus surgens acclamavit. Ut ita fiant rogamus. Dictum est octies. Exaudi Christe. Simacho Papæ vita. Dictum est XII.

XLIIII.

Ex epistola Simachi Papæ ad Cesarium.

Possessiones igitur quas unusquisque æcclesiæ propriæ dedit, aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis atque distractionibus, vel sub quocumque argumento non patimur, nisi

forsitan aut clericis horum meritis, aut monasteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis, si necessitas largiri suaserit. Sic tamen, ut hæc ipsa non perpetuo, sed temporaliter habeant.

XLV.

Item Symachus in syn. Episcoporum CC X et VIII.

Provida sententia enervari non convenit, et in irritum deduci, ne in exemplum remaneat præsumendi, ne quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus in quacumque civitate quolibet modo liceat aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa docetur. Eulalius Siracusanus Episcopus dixit. Laicis quamvis religiosis nulla de ecclesiasticis facultatibus ut ait martyr et Pontifex Stephanus aliquid disponendi legitur usquam attributa facultas.

XLVI.

Ex concilio Gregorii I Papæ cap. III.

Consuetudo nova in hac ecclesia et valde reprehensibilis erupit ut cum rectores eius patrimonii urbana vel rustica prædia iure illis committere suspicantur, fiscali more titulos imprimant atque hoc quod competere pauperibus estimant, non iudicio sed manibus defendant. Et cum per prædicatores suos veritas dicat, nichil per contentionem faciatis, etiam ipsum litigiose contentionis malum transcenditur, et res quælibet cum estimatur ecclesiæ posse competere, per vim tenetur. Provide in præsenti decreto constituo, ut si quis ecclesiasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico sive in urbano prædio sua sponte præsumpserit, anathema sit. Et responderunt omnes. Anathema sit. Item in eodem cap. IIII. Is autem qui præest ecclesiæ si hoc fieri præcipit, vel sine sua præceptione factum, digna puniri animadversione neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes anathema sit.

XLVII.

Ex concilio Gregorii II cap. XIII.

Si quis in quoquam partemve præcepta ante missa apostolice æcclesiæ de olivetis et locis diversis temeraverit, et non in omnibus observaverit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio. Anathema sit.

XLVIII.

In concilio Leonis IIII Episcoporum LXVII.

Item monemus et irrefragabiliter affirmamus, ut nullus episcoporum vel sacerdotum rem tituli sui usurpare præsumat, sed neque salarium a Christianis sanctis locis oblatum, causa amicitiæ vel timoris, aut muneris auferre pertemptet, ne ecclesia Dei ad nichilum redigatur. Quod qui facere præsumpserit, ille episcopus vel sacerdos canonicam sine dubio subeat ultionem, et quod æcclesiæ iniuste ablatum est reddere compellantur, ita ut deinceps nullas vires pro eis ad litigandum vel possidendum habere possint.

XLVIIII.

Ex eodem concilio cap. XV et ex concilio II Eugenii Papæ cap. XV. Episcoporum LXI.

Nulli Episcoporum liceat a subiecto sacerdote vel alio quolibet clerico et piis locis dationes ultra statuta patrum exigere, aut superposita maggariis inferre. Sed cum sit optimus perspector ita perpisciat, ut universæ sibi commissæ oves maxime alantur, atque in necessitatibus adiuventur, quam illicitis exactis vel dationibus opprimantur, quia Dominus pascere et docere nos docuit, et omnibus ministrare, non terrenis lucris sed avaritiis delectari.

XLVIIII.

Iohannis VIII Papæ cap. VI ex concilio eius apud Ravennam CXXX Episcoporum.

Si quis domum Dei violaverit, et aliqua sine licentia illius cui commissa esse dinoscitur inde abstulerit, vel ecclesiasticis

personis iniuriam fecerit donec in conventu admonitus legitime satisfaciat, sciat se communione fore privatum. Si vero post secundam et tertiam conventionem coram episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut secundum Apostolum nemini fidelium misceantur.

XLVIIII. *(sic)*

Ex concilio eiusdem cap. XVI.

Verum quia sunt plerique, qui prolationem sententie subterfugere cupientes, a matricialibus ecclesiis vel baptismalibus se subducunt, placuit, ut hi qui intra regionem positi a publicis æcclesiarum se convenientibus ultra III dies dominicos voluntarie sententiam subterfugiendo substraunt, donec subtisfactione se corrigendo abstruant, communione priventur.

LI.

Item ex eodem concilio cap. XXI inter cetera.

Auctoritate summi iudicis Domini nostri Ihesu Christi et principum Apostolorum Petri et Pauli simul et omnium Sanctorum præcipimus, decernimus, et modis omnibus interdicimus, ut amodo et deinceps nullius quilibet homo petat patrimonia sanctæ nostræ æcclesiæ. Appiæ videlicet et Lavicanense vel Companium, Tyburtinum, Traiectanum, Theatinum utrumque, Saviniense, et Tusciæ, porticum sancti Petri, monetam Romanam, ordinaria et actionaria publica, ripam, Portus et Ostiam. Sed et hæc omnia in usum salarii sacri Palatii Lateranensis perpetualiter maneant, ita ut solitos redditus et angarias perpetualiter absque ulla contradictione persolvant. Et si quis hoc beneficialiter, vel alio quolibet modo subtrahere quovis tempore volnerit, anathema sit. Et infra. Exceptis his quos familiares vel nostros vel nostrorum successorum esse, ratio proficua evidentissime demonstraverit. Quod si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpserit, scilicet eadem patrimonia S. R. Ecclesiæ beneficiali, seu quolibet more sibi amodo dari petierit, aut volenti dare consenserit, et qui dat et qui recipit, anathema sit.

LIII.

Item de eodem cap. XXIII inter cetera.

Si quis de massis sive de coloniis patrimoniorum sancti Petri Apostoli, de quibus hactenus nulla concessionis conscriptio repperitur, aut postulati, aut suadenti consenserit, Ananiæ et Saphiræ qui de propriis mentientes ante pedes Apostolorum expiraverunt pæna multetur. Et non solum his apud quem de prædictis rebus præcepti alicuius series inventa fuerit, res illas cum frugibus quibus ex eis abusus est ex toto restituat, sed eadem scriptura cassata nichil per illam proficiat, verum etiam cum omnibus sibi convenientibus perpetuo anathemate perculsus, cum Iuda traditore Domini nostri Ihesu Christi æterni ignis incendiis exuratur.

LIIII.

Item in eodem ex cap. XXI.

Item Apostolica auctoritate præcipimus et sancimus, ut amodo et deinceps nullus cuiuslibet gentis vel ordinis homo, monasteria, cortes, massas, et salas, tam per Ravennam et Pentapolim et Emiliam, quam et per Tusciam Romanorum atque Logobardorum et omne territorium sancti Petri Apostoli constitutas, præsumat beneficiali more, aut scripto, aut alio quolibet modo petere recipere vel conferre, exceptis illis dumtaxat quibus pro utilitatibus et speciali servitio S. R. Ecclesiæ, vel ducatus uniuscuiusque loci habitatoribus præbetur, vel ad vestra dispensanda constituti sunt, sive constituentur. Quod si quisquam huic nostro statuto contraire temptaverit, et de præfatis quibuslibet alicuiusmodi scriptum sibi fieri postulaverit, aut etiam beneficiali more ea retinere præsumpserit, excepta dispensatione apostolica quæ ad augmentum et servitium S. R. Ecclesiæ esse probatur statuimus ut non solum scriptura illa cassata nullum robur obtineat firmitatis, sed etiam fruges ex eis quibus usus est omnino restituens, nichil ex hac ambitione vel beneficiis ipsis lucratu anathematis subiaceat.

LV.

Ex Concilio VII PP. Gregorii L Episcoporum.

Si quis prædia beatorum Apostolorum Petri et Pauli ubicumque possita in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata non propalaverit, vel debitum servitium exinde eisdem non exhibuerit cognoscat iram Dei et sanctorum Apostolorum velut sacrilegus se incurrere. Quicumque vero in hoc crimine deprehensus fuerit, eadem hereditatem beatis Apostolis legitime restituat, et penam quadruplici de propriis bonis persolvat.

LVI.

Ex eodem cap. V.

Decimas quas in usum pietatis concessas esse canonica testatur auctoritas, a laicis possideri apostolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis, vel regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi æcclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, et æternæ dampnationis periculum incurrere. Idem in VIII libro registri sui. Nulli debet grave videri pro meliori parte idest anima semper victura quemque decimas Deo offerre cum pro morituro corpore plurime gentes coniugibus suis tertiam partem rerum suarum compellantur exolvere.

LVII.

In eodem concilio Gregorii VII.

Ut nullus Abbas decimas et primitias et reliqua quæ secundum statuta Canonum ad Episcopos pertinent detineat sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi in cuius dyocesi habitat, apostolica sanctione firmamus. Et ut omnis Christianus procuret ad Missarum sollempnia aliquid Deo offerre, et duci ad memoriam quod Deus per Moysen dixit. Non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis sanctorum patrum liquido apparet quod omnis Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum deberent.

LVIII.

Item ex Concilio Nicolay iunioris cum Episcopis CXIII cap. V, et concilio LIIII Episcoporum LXVII.

Ut decimæ et primitiæ seu quæcumque oblationes vivorum et mortuorum æcclesiis Dei fideliter reddantur a laicis, et ut in dispositione episcoporum sint secundum canones distribuendo quas qui retinuerint, a sanctæ æcclesiæ communione separentur. Item Leo IIII in registro suo episcopis Britanniæ. De decimis vero non tantum nobis sed et prioribus patribus placuit, plebibus tantum dari, in quibus sacrosancta dantur baptismata. Alexander II Sigifredo, ait. Quicumque decimas suas annuatim sacerdotibus non reddit, christianus non est.

LVIIII.

Leonis Papæ VIIII Decretum.

Leo episcopus servus servorum Dei, omnibus fidelibus in Christo per totam Italiam. Relatum est auribus nostris esse quosdam perverse agentes, qui subvertere atque dividere conantur æcclesiæ unitatem. Videlicet Abbates et Monachi qui non studio caritatis sed zelo rapacitatis invigilant, et docent atque seducere non cessant seculares homines quos illa quæ dare possunt, ut res suas atque possessiones, sive in vita, sive in morte in monasteriis illorum tradant, et ecclesiis quibus subiecti esse videntur, et a quibus baptismum, pœnitentiam, eucharistiam, necnon pabulum vitæ cum lacte carnis acceperunt, vel accipiunt, nichil de bonis suis relinquant, hanc denique famam discordiæ nos animadvertantes, omnibus modis inhibere volumus, et ne amplius fiat omnino prohibemus. Convertentes non esse bonum, ut illi qui olim fuerunt socii passionum secundum Apostolum, sint immunes a societate consolationum. Et quia dignus est operarius mercede sua. Ideoque præcipimus atque iubemus, ut quicumque amodo ad monasterium converti voluerit, sive in vita sive in morte ut omnium rerum et possessionum quas pro salute animæ suæ disponi

decreverit, medietatem ecelesiæ cui ipse pertinere dinoscitur relinquat, et sic demum in monasterio prout sibi libitum fuerit eundi convertendique habeat licentiam. Quicumque autem huius nostri decreti contradictor, convulsor, ac temerator extiterit, gladio anathematis subiaceat. Data Romæ mense Aprili die XX indictione V.

LX.

Ex II libro vitæ Sancti Gregorii Papæ.

Niehilominus per diversas provincias pro custodia sacre religionis rebus pauperum strenue gubernandis æcclesiæ suæ viros, industrios rectores patrimoniorum ascivit. In quibus Cyprianum diaconum patrimonii, Siculi. Pantaleonem Notarium Siracusani. Fantinum Defensorem Panormitani. Sergium Defensorem, Calabritani. Romanum Notarium, Apuli. Benenatum Defensorem, Sarruei. Anthemium Diaconum, Neapolitani. Petrum Subdiaconum, Campani. Candidum Defensorem, Tusei. Urbicum Defensorem, Sabini. Optatum Defensorem, Nursini. Benedietum Notarium, Carseolani. Felicem Subdiaconum, Appiæ. Castorium Cartularium, Ravennatis. Castorium Notarium, Ystriani. Antonium Subdiaconum, Dalmatini. Iohannem Notarium, Illiriciani. Simachum Defensorem, Sardiniæ. Bonifatium Notarium, Corsieani. Pantaleonem Notarium, Liguriæ. Hieronimum Defensorem, Alpiumscottiarum. Hylarium Notarium, Germaniciani. Candidum Presbyterum, Galieani.

LXI.

Gregorius Ianuario Calaritano Episcopo. Indicatum est nobis, quod laicis quibusdam curam vestri patrimonii committentes, postmodum in rusticorum virorum depredationibus, atque per hoc fatigationibus fuerint deprehensi. Quod si ita est distriete a vobis diseuti convenit, atque inter eos æcclesiæque vestræ rusticos causam examinare subtilius, et quic-

quid fuerit fraudis inventum, cum pæna legibus statuta reddere compellantur. De cætero vero cavendum a fraternitate vestra est, ne sæcularibus viris atque non sub regula vestra degentibus cuiuslibet res æcclesiæ commitantur, sed probatis de vestro officio clericis. In quibus si quid reperiri poterit pravitatis, ut in subditis emendare quod gestum est valeatis.

LXII.

Gregorius Leoni, Secundino, Iohanni, Dono, Lucido, Traiano Episcopis Siciliæ. Sicut nos nobis invicem spiritualiter per Apostolum monemur, impertire orationum suffragia, ita in his quæ necessitate iniuncti regiminis pro dispensatione rerum pauperum Deo per nos fuerint auctore disposita, sacerdotalia dignum est non deesse solacia. Latorem siquidem præsentium Adrianum Cartularium nostrum ad regendum æcclesiæ nostræ patrimonium Siracusanarum videlicet partium dirigentes fraternitati vestræ necessario duximus commendandum, ut in quo usus exegerit vestra solacia conferatis. Quatinus dum et ad agendum per vos corporalibus et ad facilitatem explendi quæ repperit spiritalibus orationum fuerit fultus auxiliis, prospere ea quæ ei a nobis iniuncta sunt, Deo quoque cooperante valeat perficere. Vosmetipsos autem ita ante conspectum omnipotentis Domini in bonis operibus debetis exhibere, ut inveniri in vestra actione nequeat, quod vel Deo iudice percuti, vel quolibet homine insidiante valeat accusari. Nam eidem præfato cartulario nostro iniunximus, ut si qua de reverentissimis fratribus nostris episcopis inordinate actum cognoverit, prius quidem secreta ac modesta adhortatione ipse corripiat. Quæ si emendata non fuerint, nobis celeriter innotescat.

LXIII.

Gregorius Romano Defensori, Fantino defensori, Sabino subdiacono, Adriano notario, Eugenio notario, Felici subdiacono, Sergio defensori, Bonifatio defensori a paribus. Inter cætera. Si quis Episcoporum, quos commissi tibi patrimonii fi-

nis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas. Et de cætero illic eos habitare nullomodo patiaris. Et infra. Præterea cura tua sit eosdem fratres nostros Episcopos adhortari, ut subiectos sibi in sacris videlicet ordinibus constitutos, quod ipsi servant ad similitudinem, modis omnibus servare commoneant, hoc tantummodo adiectio ut sicut canonica decernit auctoritas, uxores quas caste debent regere non relinquant.

LXIIII.

Gregorius Vitali defensori Sardiniæ. Indicatum nobis est, quod quidam Caralitane æcclesiæ cleri disciplinam sui refugientes Christi, et contra eum solacium tuæ defensionis exquirant. Atque per hoc illi quod dici grave est contumaces existant. Quam rem si ita est, omnino dure suscepimus. Dicitur etiam quod suæ actus deserentes æcclesiæ, in aliorum se obsequiis ac laboribus occupantes, ubi nomen dederunt militiæ inveniantur extranei. Experientia itaque tua nihil deinceps tale aliquid facere præsumat. Sed si cuiusquam clerici ut assolet culpæ casus emerserit, in qua te sibi petere debeant adiutorem ad eumdem Episcopum reverenter accede, et sicut cause meritum cognoveris, apud eum non defensor culpæ, sed potius intercessor accede, ut in hac provisione, et poscenti foras auxilium, et una propositi non turbentur. Si qui vero sunt qui iusta poposcerint, per te auxilium sedis Apostolicæ non est negandum, sed tamen ita servanda est uniuscuiusque episcopi reverentia, ut clericorum disciplina per defensionis tuæ experientiam minime solvantur.

LXV.

Gregorius Ianuario episcopo Sardiniæ. Pervenit ad nos quod quidam de vestris clericis spiritu elationis inflati, et quod dici grave est fraternitatis vestræ iussionibus obedire postponant, atque in aliorum se magis obsequiis ac laboribus occupantes, suæ deserant ubi sunt necessarii actus ecclesiæ. Ex qua

re nimium admiramur cur in eis ecclesiasticæ non teneatis regulam disciplinæ, nec eos dissolute vagantes in deviis ad normam sumpti officii districti moderaminis freno restringatis. Dicitur etiam quod aliqui ex eis de contumacibus clericis ut defendi contra vos valeant, ad Vitalis Defensoris nostri patrocinia convolare. Unde ad eum scripta nostra direximus, ne quemquam clericorum vestrorum contra vos valeant irrationabiliter denuo audeat defensare. Sed si culpæ casus emerserit, et gravis non est, sed quæ veniam mereatur intercessor apud vos magis accedere debeat quam defensor. Ne ergo tam ad nos deinceps de subiectorum vestrorum contemptu quicquam perveniat, præcavere. Et paulo post. Quam verecundum sit ut fraternitatem vestram admonere videamur, quatenus clerum suum sub disciplinæ vigore restringat, credo quod eadem vestra fraternitas tacite et ipsa considerat.

LXVI.

Gregorius Deusdedit episcopo Mediolanensi. Nulli est dubium quia sicut sacerdotibus res in episcopatu acquisitas nulla est alienandi licentia, ita et de eis quas ante habuerint quicquam iudicare voluerint non vetantur.

LXVII.

Gregorius Dominico Cartaginensi episcopo. Sicut nostra privilegia defendimus, ita singulis ecclesiis sua defendimus. Nec cuilibet favente gratia ultra quam meretur impertior, nec ulli quod sui iuris est derogabo, sed fratres meos per omnia honorare cupio. Sicque singulos honore subvehi, dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi.

LXVIII.

Gregorius Augustino episcopo Anglorum. Mos est Apostolicæ sedis ordinato Episcopo præcepta tradere, ut de omni stipendio quod accedit, IIII debeant fieri portiones. Una videlicet Episcopo et familiæ eius propter ospitalitatem atque susceptionem. Alia Clero. Tertia pauperibus. Quarta ecclesiis reparandis.

LXVIIII.

Idem ad eumdem.

Sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum fieri non debet a clericis suis, in æcclesiis Anglorum quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instruere conversationem quæ in initio fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. Si quis vero sunt clerici extra sacros ordines constituti qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, exstipendia sua exterius accipere quia et de eisdem a patribus novimus scriptum. Quod videbatur singulis prout cuique opus erat. De eorum quoque stipendio cogitandum atque providendum est, et sub æcclesiastica regula sunt tenendi. Ut bonis moribus vivant et canendis psalmis invigilent, et ab omnibus illicitis cor et lingua et corpus Deo auctore conservent. Communi autem vita viventibus iam de faciendis portionibus vel exhibenda hospitalitate et adimplenda nobis misericordia quod erit loquendum cum omne quod superest in causis piis ac religiosis erogandum est. Domino magistro omnium docente. Quod superest, date helemosynam et ecce omnia munda suut vobis.

LXX.

Gregorius Romano defensori Siciliæ. Pervenit ad nos quod si quis contra quoslibet clericos habeat, despectis eorum episcopis, eosdem clericos in tuo facias iudicio exhiberi. Quod si ita est, vade esse constat incongruum. Et ideo hac tibi auctoritate præcipimus, ut hoc denuo facere non præsumas. Sed si quis contra quemlibet clericum causam habuerit, episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certe ab ipso iudices deputentur. Aut si fortasse ad arbitros eundum est, partes ad eligendum ab ipso excutio deputata compellat. Si quis vero clericus vel laicus contra episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes, ut inter eos aut ipse cognoscas, aut certe te admonente, sibi iudices eligant. Nam nisi sua unicuique epi-

scopo iuris districtio servetur, quid aliud agitur, nisi per quos ecclesiasticus custodiri illic ordo debuit confundatur. Item nuntiatum est nobis, quia quosdam clericos qui a reverentissimo fratre nostro Iohanne opiscopo exigente culpa in pænitentia commissi sunt nesciente eo, tua illos exinde auctoritate eieceris. Quod si verum est rem te omnino inhonestam et non leviter, increpandam fecisse cognoscas. Eosdem ergo clericos episcopo suo sine mora restitue, et hoc decreto cave committere. Quia si neglexeris, nostros te noveris non mediocriter motus incurrere.

LXXI.

Gregorius Bonifatio defensori Corsicæ. Præterea pervenit ad nos quod quidam clericorum te illic posito a laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ imputatur, quia hoc fieri si homo esses non habuit. Et ideo hoc decreto fieri non permittas, sed si quis contra clericum causam habuerit episcopum ipsius adeat. Quod si forte suspectus fuerit, executor vel ab ipso, aut si et hoc actor refugerit, a tua est experientia deputandus, qui partes sibi mutuo consensum iudices compellat eligere, a quibus quod fuerit definitum, vel tua, vel episcopi sollicitudine servata lege modis omnibus compleatur.

LXXII.

Gregorius Romano Defensori. Pervenit ad nos quod quidam homines minorem omnino discretionem tenentes, in suis nos periculis implicare desiderant, atque ita volunt ab æcclesiasticis personis defendi, ut ipse quoque personæ æcclesiasticæ ex eorum culpa teneantur. Iccirco præsenti præceptiono admoneo, et per te fratrem et coepiscopum nostrum domnum Iohannem, et cæteros qui interesse possunt, ut patrocinia æcclesiastica sive mea suscipiatis scripta, sive etiam minime fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus si qui in furtis publicis implicati sunt, a nobis non videantur iniuste defendi, nec opinionem male agentium ex indiscretæ defensionis actu in nos ullo modo transferamus. Sed quantum decet æcclesiam admonendo, verbum intercessionis

adhibendo quibus valetis succurrite, ut et illi opem feratis et opinionem sanctæ æcclesiæ non inquinetis. Item Iohanni Episcopo post aliqua. Si quis eorum de quibus est aliqua ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit, ut eis sacramentum ab his quorum interest de servanda lege et iustitia promittatur, et per omnia commoneantur exbire, atque suorum actuum reddere rationem. Quibus etiam æcclesiæ vestræ defensorem deputare vos convenit, cuius sollicitudine, ea quæ illis fuerunt promissa serventur.

LXXIII.

Gregorius Maximo episcopo. In quantum prævalet fraternitas tua opponere se pro oppressis debet, quæ etiam si prodesse minime valuerit, ipsa omnipotenti Deo mentis devotio sufficit, quam dedit. Scriptum est enim. Eripe eos qui ducuntur ad mortem. Quod si dixeris vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit. In omne ergo quod agis inspectorem cordis appete habere placatum. Quicquid est unde illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores et gratie, fumo sunt similes, qui levi aura raptus evanescit, hoc certissimo scito, quia placere Deo sine pravis hominibus nullus potest. In tantum se estimet fraternitas tua Deo placere, quanto se perversis hominibus dispicere cognoverit. Ipsa tamen defensio pauperum moderata et gravis sit, ne si quid rigide agitis, ex iuventute vos arbitrentur superbire. Sed talis necesse est ut inveniatur pro oppressis nostra defensio, ut humiles protectionem sentiant, et oppressores non facile inveniant quod ex malivola mente reprehendant.

LXXIIII.

Gregorius Pantaleoni notario. Experientia tua, quod vel quale apud sanctissimum corpus beati Petri Apostoli iusiurandum præbuit, memor est. Unde nos quoque securi discussionis causa tibi in patrimonio partis syracusanæ commisimus. Oportet ergo te fidem tuam, et eiusdem beati Petri Apostoli timo-

rem semper ante oculos habere, atque ita agero, ut neque ab ominibus in præsenti vita, neque ab omnipotente Deo valeas in extremo iudicio reprehendi. Et infra. Ita ego ago, ut in die iudicii de eadem causa quæ experientiæ tuæ commissa est, mihi fructum quem feceris ostendas. Quod si pure et fideliter ac strenue egeris, et hic illud in filiis tuis recipies et postmodum retributionem plenariam in æterni iudicis examine habebis.

LXXV.

Gregorius Iohanni Panormitano episcopo. Inter cætera. Tabularium autem una cum consensu seniorum et cleri memineris ordinandum, qui annis singulis ad amputandum fraudis suspicionem sollemniter suas debeat rationes exponere.

LXXVI.

Gregorius Petro subdiacono. Inter cætera. Volumus securitatis libellos ita de pensionibus facias, quatinus imprimas dicens, tantam pensionem unumquemque persolvere debere inibi adiectis siliquis honoribus vel grammaticis. Quod autem ex his minutiis in usum rectoris accedebat, volo ut hoc ex præsenti iussione nostra, et summa pensionis in usu tuo veniat.

LXXVII.

Gregorius Candido episcopo. Inter cætera. Et quia præsentium lator calumniosus pro hac persecutione quam sustinet consueta sibi commoda ab ecclesia vestra asserit denegari, iccirco fraternitatem tuam præsentibus hortamur episcopis, quatinus nichil eum ad percipienda quæ consueta sunt hæc egreditudo debeat impedire. Quia diversis in æcclesia militantibus varia sicut nosti sepe contingit infirmitas. Et si hoc fuerit exemplo deterriti, nullus de cætero qui ecclesia militet poterit inveniri. Sed secundum loci eius ordinem quæque ei si sanus esset poterant ministrari, de ipsa exiguitate æcclesiæ potest accedere fraternitas tua divini contemplatione iudicii egenti præbere non desinatur.

LXXVIII.

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano. Porro si tu quod non opinamur iussionem nostram dissimulandam putaveris, rectori patrimonii ecclesiæ nostræ qui illic est vel fuerit constitutus noveris esse licentiam, ut quod sponte postponis, eius facere iustitiam modis omnibus urgearis.

LXXVIIII.

Gregorius Paschasio episcopo Neapolitano. Tempore quo fraternitas vestra ad episcopatus officium Deo auctore provecta est, constituisse nos recolit, ut ex pecuniis æcclesiæ vestræ, portio clerici vel pauperum quam minime decessor vester præbuerat, idest CCCC solidos seorsum fieri debuissent, volumus ut secundum distributionem præsentibus scriptis insertam, coram Athemio subdiacono nostro sine difficultate aliqua fraternitas vestra debeat erogare. Et infra. Id modis omnibus statuatis, quatinus hoc quod alter iniuste detinuit, vos devote ac celerius impendendo ad vestram possitis applicare mercedem.

LXXX.

Gregorius Maximiano episcopo Siracusano. Cognovimus de redditibus æcclesiæ noviter acquisitis canonicam dispositionem quartarum minime provenire, sed episcopos locorum distribuere tantummodo quartam antiquorum redditaum, nec vero quæsita suis usibus retinere. Quamobrem pravam subintroductamque consuetudinem, fraternitas tua vivaciter emendare festinet, ut sive de præteritis redditibus, sive de his quæ obvenire vel obvenientibus quarte, secundum distributionem canonicam dispensentur. Incongruum namque est unam eamdemque æcclesiæ substantiam dupplici quodam modo iure censeri. Idem in eodem registro. De redditibus et oblationibus æcclesiæ quartam in integro portionem æcclesiæ tuæ clericis, secundum meritum, vel officium, sive laborem suum, ut ipse

unicuique dare prospexeris, sine aliqua præbere debes tarditate. Idem Gaudentio episcopo Nolano. Clericis Capuanæ æcclesiæ qui in Neapolitana civitate consistunt, quartam in presbyterium est de hoc quod antedictæ æcclesiæ singulis annis accesserit, iuxta antiquam consuetudinem distribue, secundum personarum qualitatem, ut aliquod stipendiorum habentes solacium ministerium officiumque suum circa eandem æcclesiam devotius impendant.

LXXXI.

Gregorius Iohanni Panormitano episcopo. Possessiones igitur si quæ sunt alia ecclesiastico iuri competentia et ab extraneis indebite detinentur, cum omni studio servata civilitate, in ius æcclesiæ tuæ reparare festina, ut neglegens in aliquo videri non valeas.

LXXXII.

Gregorius Castorio episcopo. Abbatem vero eiusdem monasterii, non alium sed quem dignum moribus et actum disciplinæ monasticæ communi consensu congregatio tota poposcerit ordinari volumus. Missas autem illic publicas per episcopos fieri omni modo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus popularibus occasio præbeatur ulla conventibus, vel mulierum fiat novus introitus, et simpliciores ex hoc animas plerumque quod absit in scandalum trahat.

LXXXIII.

Gregorius Petro subdiacono. Inter cætera. Si monasterium præphatum sancti Theodori fines de quibus causatio mota est inconcussis XL annis possedisse reppereris, nullam deinceps etiam si quid sanctæ Romanæ æcclesiæ competere potuit, patiari sustinere calumniam. Si vero actores æcclesiæ non eos possedisse, XL annis inconcusso iure monstraverint, sed aliquam intra tempora hæc motam fuisse aliquando questionem, eorumdem finivit electis arbitris tranquille et legaliter sopiatur.

LXXXIIII.

Gregorius Petro subdiacono Siciliæ. Inter cætera. Præterea volumus ut si quando eos qui sunt in obsequio experientiæ tuæ in aliquibus causis quæ sunt extra patrimonium transmittis, parva quidem ex eis commoda accipiant. Sed tamen ita ut in eorum utilitatem proficiant quoniam nos sacculum æcclesiæ ex turpis lucribus nolumus inquinare. Et longe inferius. Qui æcclesiæ stipendiis subsistit, ad lucra propria non anelet. Si quid vero sine peccato, sine appetitu concupiscentiæ per eos qui causas agunt ecclesiæ ad ecclesiam venerit, dignum est ut ipsi vacui ex labore suo esse non debeant. Sed nostro reservetur iudicio qualiter remunerari debeant. Ex familia vero si quis culpam fecerit, in ipso quidem ut dignum est iudicetur, a commodo autem ei abstineatur, nisi forte parum aliquod, quod in usum executoris qui ad eum transmisimus fuerit proficere possit. Parentes autem morientium qui in possessione æcclesiæ degunt, heredes eis accedant. Idem ad eundem. Tua experientia sanctæ æcclesiæ utilitatem conspiciat, memor quod ante sacratissimum beati Petri Apostoli corpus potestatem patrimonii eius acceperit, et licet quod hinc scripta decurrent, quod utilitatem patrimonii impediat, nullomodo permittat, quia nec nos sine ratione aliquid dedisse reminiscitur, vel dare disponimus.

LXXXV.

Gregorius Leoni episcopo Catinensi. Ad hoc locorum gradus rationis ordo distinxit, et iudicia esse constituit, ut nec præpositi in opprimendos se frustra valeant occupare subiectos, nec subgectis iterum contra suos præpositos effrenata sit resultandi licentia. Volumus ergo ut quicquid æcclesiæ tuæ ex redditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde pro portione sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem presbyteris, diaconis, ac clero ut tibi visum fuerit discrete dividere. Ita sane ut unicuique si meritum laboris exegerit, libera tibi sit iuxta quod prævideris largiendi licentia.

LXXXVI.

Gregorii commonitorium Iohanni defensori eunti Hispaniam. Imprimis requirendum de persona Presbyteri dilectissimi fratris et coepiscopi nostri Iannarii. Et si ita se veritas habet, sicut eiusdem episcopi petitio continet, in æcclesia atque loco suo idem presbyter modis omnibus revocetur. Si autem dictum fuerit quod citra ipsum causa aliqua mota sive probata est, subtiliter ipso præsente, et pro se rationem reddente, quærendum est et genus causæ, et modus probationis, ut ex hoc colligere valeas utrum adhuc debeat in exilio demorari, an certe in ecclesia et officio suo revocari. De episcopi persona hoc fatendum est, ut si nulla contra eum criminalis causa, quæ exilio vel depositione digna est, mota sive probata est, his episcopus qui eo superstitem perverse et contra canones in ecclesia eius ordinari præsumpsit, sacerdotio privatos, ab omni æcclesiastico ministerio repellatur. Qui etiam eidem dilectissimo Ianuario fratri et coepiscopo nostro tradendus est, ut aut ab ipso in custodia habeatur, aut certe hab eo ad nos per omnia transmittatur. Episcopi vero qui eum ordinaverunt, vel ordinationis eius consentientes interfuerunt, in VI mensibus Dominici Corporis et Sanguinis communione privati agere ponitentiam in monasterio compellantur, et suprascriptus Ianuarius loco et ordini suo modis omnibus reformetur. Si vero communione privatis mortis contingerit imminere periculum, benedictio ei viatici non negetur. Si autem Episcopi in præiudicio condemphationis, vel depositionis memorati Episcopi se metu iudicis consensisse ac talia fecisse sua sponte confessi fuerint, tempus eius breviandum est et modus penitentiæ temperandus. Si vero ille qui locum eius invasit, de hac luce fortasse migraverit, et alter est ordinatus quia levior culpa videtur non quasi ipsi superstiti, sed successisse defuncto, episcopatus illi officium tantummodo æcclesia interdicatur, ut in alia ecclesia quæ sacerdote vacaverit, si electus fuerit possit esse episcopus, ad Malachitanam ecclesiam tamen nunquam aliquo modo reversurus. Gloriosus autem Commitiolus quidquid prædictus episcopus per vio-

lentiam atque insecutionem ipsius expendisse vel dampnum pertulisse datos sacramento firmaverit, eidem episcopo restituere condempnetur. Si autem aliter quam antefati episcopi petitio continet actum esse forsitan perhibetur, suptiliter querendum est, et cognita veritate cum Dei timore quod iustitiæ ordo suaserit iudicandum. Quia igitur Stephanus Episcopus in odio suo quædam ficta et de falsis se capitulis accusatum, neque aliter ordinabiliter factum, sed iniuste se asserit condempnatum, diligenter querendum est. Primum si iudicium ordinabiliter est habitum, aut si alii accusatores, alii testes fuerunt. Deinde causarum qualitas, si digna exilio vel depositione fuit. Aut si eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium dictum est, si contra eum scriptis actum est, vel si ipse licentiam respondendi et defendendi se habuit. Sed et de personis accusantium suptiliter quærendum est, cuius condicionis, cuiusve opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra ipsum episcopum inimicitias habuissent, et utrum testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testati sunt, vel si scriptis iudicatum est. Si partibus præsentibus sententiæ recitatæ sunt. Quod si forte hæc sollempniter acta non sunt, neque causa probata est quæ exilio vel depositione digna sit, in æcclesia sua modis omnibus revocetur. Hi vero qui contra Dei timorem et statuta canonum eum condempnaverunt, excommunicato in monasterio ad agendam penitentiam in VI mensibus sunt mittendi. Ita saue, ut si cuiquam eorum mortis contigerit imminere discrimen, viatici eis benedictio non negetur. Ipse autem qui eo vivente locum eius temerarie ambuat *(sic)* privatus sacerdotio, ab omni ministerio æcclesiastico repellatur atque eidem dilectissimo fratri et coepiscopo nostro tradatur, ut eum ipse aut ad nos transmittat, aut apud se in custodia habeat. Episcopi vero qui eum ordinare præsumpserunt vel perverse ordinationi illius præbuere consensum, item communione privati, in VI mensibus ad agendam pænitentiam in monasterio deputentur. Si autem episcopi in præiudicio condempnationis vel depositionis memorati Stephani, se metu iudicis consensisse, ac talia fecisse sua sponte professi fuerint, tempus eis abbrevian-

dum est, et modus penitentiæ temperandus. Si igitur his qui prædicti Stephani locum invasit fortasse defunctus est, atque alius in ecclesia eius episcopus ordinatus, illud de eo statuendum est, quod superius de causa fratris et coepiscopi nostri Ianuarii diximus. Quod forte aliqua de obiectis contra memoratum Stephanum episcopum probata sunt, aliqua vero doceri minime potuerunt, cauta omnino consideratione pensandum est, utrum leviora capitula, aut certe graviora probata sunt, ut ex eis qualiter definitionem tuam formare debeas possis scire. Gloriosus vero Commitiolus, si suprascriptus Episcopus innocens esse claruerit, quicquid de rebus eius, vel æcclesiæ ipsius tulit, ei sine aliqua dilatione restituat. Sed et quæcumque se in persecutionem ac violentiam eius expendisse, vel damnum idem episcopus se pertulisse asseruerit, item memoratus Comitiolus reddat, ac satisfaciat. Si autem talem culpam antedictum episcopum quod absit commisisse constiterit, ut constet eum non inrationabiliter esse depositum, eadem eius depositio confirmetur, et omnes res suæ ecclesiæ quæ ablatæ claruerint restituantur, eo quod delictum persone in damnum æcclesiæ non est convertendum. Si autem dicitur quod Commitiolus defunctus est, ab herede eius que ab illo iniuste tulta sunt, sine excusatione reddantur. De persona presbyteri hoc attendendum est, quia si quam habuit non ab alio teneri, sed episcopus ipsius adhiri debuit, sicut hoc novellarum constitutio manifestat, quæ ita loquitur. De sanctissimis et Deo amabilibus ac reverentissimis Episcopis, et Clericis, et Monachis. Imperator Iustinianus perpetuus Augustus, Petro gloriosissimo præfecto prætorii, cap. LIII. Si quis contra aliquem clericum, aut monachum, aut diaconissam, aut monasteria, aut ascytriam habuit, aliquam actionem doceat prius sanctissimum episcopum cui horum unusquisque subiacet. Ille vero causam inter eos diudicet. Et siquidem utraque pars his quæ iudicata sunt acquieverit, iubemus per loci iudicem executioni perfecte contradi. Et cetera. Ne vero obiciatur quod hec de clero loquitur, non de presbytero, sciendum est quod superius in eadem constitutione LI cap. legitur. Appellatione clericorum etiam Presbyteros et Diaco-

nos contineri. Verba autem legis ista sunt. Presbyteros autem, et Diaconos, et lectores, et cantores, quos omnes clericos appellamus. Et reliqua. De persona Ianuarii sciendum est, graviter omnino et contra leges actum, ut violenter de æcclesia traheretur. Dum quando si quamlibet aliam iniuriam a quocumque episcopus passus fuerit in æcclesia, iniuriantem lex capitali pœna percutiat, et sicut maiestatis reum omnibus det illum accusandi licentiam, ut huius legis series loquitur, codicis liber idem cap. III constitutione XI Imperatores Archadius et Honorius Augustus Theodosius Perpetui. Si quis in hoc genus sacrilegii irruperit, ut in æcclesiam catholicam irruens, sacerdotibus et ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet iniuriæ, quod geritur a provinciæ rectoribus animadvertatur. Atque ita provinciæ moderator, sacerdotum et catholicæ æcclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus iniuriam capitali in convictos sive confessos sententia noverit iudicandum. Et post pauca. Sitque cunctis laudabile, factas atroces sacerdotibus iniurias velut publicum crimen insequi, et de talibus ultionem mereri. Et cetera. Datum VI Kal. Maii Mediolani Honorio Augusto quater, et Eutichiano iudicari Consulibus. De persona Christi Stephani hoc attendendum est quod nec invitus ad iudicium trahi, nec ab Episcopis alieni concilii debuit iudicari. Contra hoc dictum si fuerit, quod nec Metropolitanum habuit nec patriarcham dicendum est, quia a sede Apostolica quæ omnium æcclesiarum caput est hæc causa audienda fuerat ac dirimenda, sicut et prædictus episcopus petisse dinoscitur. Quia ergo episcopus alieni concilii iudices habuit omnino suspectos, sententia non a suo iudice dicta nichil firmitatis obtineat. Quod autem dicitur a servis suis accusatus, sciendum est quod audiri minime debuerint. Si vero dictum fuerit, quod de hoc accusatus est, quod ad maiestatis crimen attendit, nec ipsum de eo credendum est, vel fuit, si vitalis opinio eius talis ante non extitit. Quod autem dicit idem episcopus, quod se absente, aliqui vilissimi sunt testes exibiti, hoc si verum est, nullius esse momenti. Quales autem testes vel cuius opinionis ad testimonium admittendi sint, plurimæ leges

ostendunt, quæ pene habentur incognite quæ etiam illud sanciunt, ut vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat. Quod autem dicitur, quod nichil scriptis dubuit (*sic*) iudicari. Nam ibi inter alia præcipitur, ut sententia quæ sine scripto dicta fuerit, nec nomen sententiæ habere mereatur.

LXXXVII.

In nomine Domini Dei nostri. Cui officium cognitoris iniungitur, ita se pura atque intemerata conscientia debet in omnibus exhibere, ut ex his quæ aliis iudicant, ipse ultionem æterni examinis non incurrat. Dum igitur ex deputatione beatissimi atque apostolici Domni mei Papæ Gregorii, ego Iohannes defensor inter Ianuarium episcopum civitatis Malachitanæ, atque inter ill. et ill. Episcopos cognitor resedissem, necesse habui causam prædicti Ianuarii interna inquisitione discutere, et a partibus subtiliter querere veritatem, an sicut petitio eius continet, transmissis clericis a memoratis episcopis, una cum hominibus gloriosi Comitioli, de ecclesia fuerit violenter abstractus. Qui dum multa contra se invicem sicut gesta testantur obicerent, ad conclusionis utreque partes terminum pervenerunt, petentes me de agnitis iudicare debere. Unde sollicite quæ acta sunt relegens, et veritatem diligenti investigatione perquirens, nullam in antedicto Ianuario culpam, quæ exilio vel depositione puniri digna esse sed magis eiectum illum de æcclesia deviolenter inveni. Et quamquam huiusmodi temeritatem legum censura districtius feriat, ego tamen legum vigorem sacerdotali moderatione temperans mediis sacrosanctis evangeliis quibus præsentibus ab initio in hoc cognitor resedi iudicio, ea que contra eum statuta sunt, licet nullo iure teneantur, nec alicuius momenti sint infirma tamen et iuxta esse pronuntio. Atque memoratos ill. et ill. episcopos, qui postposita sacerdotali consideratione, in fratris sui preiudicio atque damnatione iniuste et contra Dei timorem versati sunt condempnas, in monasterio recipiendos ad agendam penitentiam statuo atque decerno. Illum vero qui locum antedicti sanctis-

simi Ianuarii contra sanctorum canonum statuta nequiter præsumpsit invadere, item condempnans, privari sacerdotio, et ab omni ecclesiastico ordine removeri statuo, ut et hoc quod male est adeptus amittat, nec ad officium quod ante indignus gesserat revertatur. Sepedictum autem sanctissimum Ianuarium Episcopum absolutum, loco suo in Episcopatus gradu Deo auctore reverti, ac modis omnibus reformari constituo.

LXXXVIII.

Gregorius Sabiniano subdiacono. Inter cetera. Sacrilegium et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis suis temptaverit compendiis retinere. Idem Anthemio subdiacono. Ratio nulla permittit, ut propriis cuiusque usibus applicetur, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur. Idem Italicæ Patriciæ. Scimus nosmedipsos iuvantes Domino a causarum litigiis ecclesiastica moderatione compescere atque secundum illum apostolicum sensum, rapinam bonorum nostrorum cum gaudio sustinere. Sed illud scire vos credimus taciturnitatem atque patientiam nostram futuris post me pontificibus in rebus pauperum præiudicium non facturam. Idem Felici subdiacono et rectori patrimonii Appiæ. Omnia quæ hæc apostolica beatorum Petri et Pauli quorum honore et beneficiis acquisita sunt, Deo sunt auctore communia. Tamen beato Paulo qui totum mundum lumine prædicationis implevit, possessio aquas salvias in qua ipse capite truncatus est, specialiter cum omnibus eidem pertinentibus serviat.

LXXXVIIII.

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ. Quale in castello Lucullano sit scelus in Paulo fratre et coepiscopo nostro commissum, directa nobis relatio fecit manifestum. Proinde Scolastico iudici Campaniæ et Epyfanio subdiacono nostro iniunximus, ut tantam insaniam districta corrigant emendatione. Et quoniam mancipia gloriosæ Clementinæ in eodem scelere

interfuisse et voces quæ seditionem commoverent iactitasse dicuntur, si ita est distincte ea inminere ultione susterni, nec pro persona illius sit severitas vestra remissior, quia amplius feriendi sunt, quanto utpote nobilis feminæ pueri exola superbia deliquerunt. Sed et illud subtili indatione perquirite, utrum ne prædicta femina in tanto scelere habuerit consilium, aut si cum eius est conscientia perpetratum, ut quam sit periculosum non solum manibus, sed etiam in sacerdotem verbis excedere ex nostra cuncti possint defensione cognoscere. Siquid enim in hac causa tentatum fuerit, vel omissum, ad tuam culpam ac potius cognoscat pertinere periculum. Idem præfato Paulo episcopo. Licet non mediocriter non contristaverit quam es perpessus iniuriam, habemus aliquam tunc consolationem quod laudem tuam huic rei inesse cognovimus, ob id quod pro æquitatis rectitudine hoc quantum nobis directa relatio patefecit pertulisti. Ut ergo ad maiorem gloriam tibi applicetur, hæc res constantiam tuam nec frangere, nec a via debet veritatis avertere. Nam maior in sacerdotibus merces est, in veritatis tramite etiam post iniurias manere.

XC.

Gregorius Episcopus omnibus Episcopis. Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, et de eorum perpetua securitate tractare, ante actum nos officium quod in regimine cenobii exhibuimus informat. Et ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine quisquam monachis quid molestiæ præsumat inferre necesse est, ut hæc quæ inferius enumerare curabimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferende inquietudinis occasio fieri.

Hoc privilegium cuidam monasterio Ravennatis tantummodo concessum fuisse legitur in registro et quædam sunt ei iuncta quæ contraria sunt canonibus et registro eiusdem.

Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Ihesu Christi et ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis cuius

vice huic æcclesiæ Romanæ præsidemus, ut nullus episcoporum aut secularium ultra præsumat de redditibus vel cartis monasteriorum, vel de cellis, vel de villis quæ ad ea pertinent, quocumque modo, seu qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Si qua causa forte inter terram venientem ad patrem suarum ecclesiarum et monasteriorum evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud electos abbates, et alios patres timentes Deum, sine voluntaria dilatione mediis sacrosanctis evangeliis finiatur. Defuncto autem Abbate cuiusque congregationis, non extraneus eligatur nisi de eadem congregatione. Quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit. Et qui electus fuerit sine dolo, vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequeunt, sollerter sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum. Neque constituto Abbati quæcumque persona qualibet occasione præponatur, nisi forte extantibus quod absit criminibus quæ sacri canones puniri monstrant. Pariter autem custodiendum est, ut invito abbate ad ordinanda monasteria alia, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachos non debeant. Descriptiones quoque rerum, aut cartarum monasterii ab episcopo ecclesiasticas fieri omnino denegamus. Sed si quando res exigit, abbas loci cum aliis fratribus causas rerum inventarum faciat, et eorum consilio sine iudicio fiat. Obeunte quoque Abbate, Episcopus in describendis prævidendisque rebus monasterii acquisitis, vel datis, vel acquirendis, nullatenus se permisceat. Missas quoque publicas ab eo in cenobio fieri omnino prohibemus, ne in servorum Dei recessibus, et eorum receptaculis ulla popularis præbeatur occasio conventus, vel mulierum fiat novus introitus quod omnino non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi cathedram collocare, vel quamlibet potestatem imperandi habere, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi, semper in abbatum suorum sint potestate, nullusque monachum sine testimonio, vel concessione abbatis in ecclesia aliqua teneat, vel ad aliquem promoveat honorem.

Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore ab omnibus episcopis firmam statuimus illibatamque servari, et ut suæ æcclesiæ iuvante Domino tantummodo sint iure contenti. Et monasteria æcclesiasticis condicionibus seu angariis, vel quibuslibet obsequiis sæcularibus nullomodo subiaceant, nullis canonibus iuribus deserviant, sed remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant. Universi episcopi responderunt, libertati monachorum gaudemus, et quæ nunc de his statuit beatitudo vestra firmamus. Ego Gregorius episcopus sanctæ catholicæ et Apostolicæ Romanæ ecclesiæ, huic constituto a nobis promulgato subscripsi. Similiter Aguellus Episcopus Ferentinas. Et Iohannes Episcopus Velitornensis, et cæteri Episcopi num. XX et presbyteri X et VIII, et diaconi III Nonis Aprilis indictione II. Idem Mariniano episcopo inter cætera. Si Abbas habet monachos sufficienter et dare noluerit ad sacros ordines, in cuius parrochiam sollerter tollat de his qui superfuerint. Quisquis autem ex monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic licentiam non habeat habitandi.

XCI.

Gregorius Costantinæ imperatrici. Inter cætera. Sudarium beati Pauli apostoli cum corpore eius est. Quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed quia serenissime domine tam religiosum desiderium esse vacuum non debet, de catenis quas ipse sanctus Paulus in collo et in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem vobis aliquam transmittere festinabo, si tamen hanc tollere limando voluero, quia dum frequenter ex catenis eiusdem multi veniunt et benedictionem petunt, ut parum quid ex limatura percipiant, assistit Sacerdos cum lima, et aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis eius excutitur, ut mora nulla sit. Quibusdam vero petentibus diu per catenas ipsas lima ducitur, et tamen in aliquod inde exeat non obtinetur. Idem Eulogio episcopo Alexandrino. Præterea

transmisimus fraternitati vestræ Crucem, in qua de catenis amatorum vestrorum sanctorum Petri et Pauli Apostolorum inserta benedictio est, quia multa per eandem benedictionem miracula fieri consueverunt.

XCII.

Gelasius Cresconio, Iohanui et Mesale episcopis. Decessorum statuta sicut legitima et iusta successorem custodire convenit, ita debet etiam malefacta corrigere.

XCIII.

Gelasius Iohanni episcopo Sorano. Certum est quidem nostris præceptionibus constitutum, ne quis in æcclesia, aut in oratorio, quod sedis nostræ non legitur permissione dedicatum, processionem publicam putaret impendi, ne conditores furtivis surreptionibus contra regulam statuta prosilirent. Sed quia in Egetia spectabilis femina, petitorii nobis oblatione suggessit, in possessionibus propriis suorum corpuscula condidisse, frater karissime umanitatis intuitu, quod priora statuta non maculet, funeribus et sepulcris tantum, in comprehensis petitorio locis misteria noveris pro sollemnitate præstanda, ut defunctorum nomine sollumodo divina celebrentur officia, publica frequentatione et processione cessante. Data ibibus Aprilis.

XCIIII.

Gelasius Senecioni episcopo. Pie mentis amplectenda devotio est qua se Iulius vh (*vir hillustris?*) in Reumana iuris suis fundasse perhibetur ecclesiam, quam in honorem sancti Viti confessoris cum prænonime consecraris. Hanc igitur frater karissime si ad tuam diocesim pertinere non ambigis, ex more convenit dedicari. Collata primitus donatione sollemni, quam ministris ecclesiæ destinasse præfati muneris, testator oblator, sciturus sine dubio præter processionis aditum qui omni christiano debetur nichil ibidem se propriis iuris habiturum. Dat. XIII Kal. Aug.

XCV.

Gelasius Victori episcopo. Dudum de sanctæ Agathe basilica quæ in Caclano fundo olim noscitur constituta, processionem sub nostra consultatione suspenderas, asserens possessionis dominum omnia quæ illi conferebantur accipere, et suis usibus applicare. Nec illic posse ministrorum Dei aliquos ad processionem venire, cum nulla illic alimenta susciperent. Sed nuper vir spectabilis Petrus noster nobis rationabiliter intimavit, hoc quod in culpam venerat, se taliter ordinasse, ut universa quæ in ecclesia supradicta diversorum fuerint oblatione collata, ad Episcopum, aut ad eum cui basilicam deputaverint, universa pertineant, ita ut ex hoc compendio sarta tecta æcclesiæ procurentur. Et ideo frater saluberrime dispositionis professione suscepta, processionem supradicte æcclesiæ te convenit ordinare.

XCVI.

Gelasius Respecto et Leonino Episcopis. Iohannes archidiaconus Falerionensis urbis eversionem æcclesiæ ab eo qui præsulis nomine censetur effectam, grandi nobis supplicatione conquestus est, ita ut se videlicet de locis sui administratione deiecto, iter sibi liberum ad depopulandas facultates aperiret æcclesiæ. Nam ministeriis et ornatu pro sua voluntate distracto, prædium etiam paternum quod in alimoniam clericorum decessor eius reliquerat, velut proprium suis utilitatibus vindicavit. Obviantemque supradictum Archidiaconum, aliosque complures, qui pariter reclamabant, ab ordinibus suis credidit excludendos. Et ideo fratres karissimi divinitatis intuitu æcclesiæ causam summa attentione trutinantes, omni veritate discussa, de compertis cita nostris auribus relatione signate. Ut perspecta instructione diligentiæ vestræ, quod fieri debeat censeamus.

XCVII.

Gelasius Iusto et Stephano Episcopis. Frater et coepiscopus noster proficuis Salpinæ sacerdos æcclesiæ petitorii nobis

insinuatione suggessit, Brumarium spectabilem virum, cum nullis extantibus causis, servum ecclesiæ gravissima cede muctasset, tunc etiam ad augendam violentiæ suæ pervicaciam, supradictum antistitem gravissimis contumeliis affecisse. Et ideo fratres karissimi si a vobis admonitus, ad iudicium vestrum inquisitionemque convenerit, veritate discussa, unde tantus superbiæ spiritus, aut violentiæ conceptio fluxerit, quidve fuerit quo pontifex tanta laceraretur insolentia, nostris auribus relatione signate. Aut si forte simili præsumptione contempserit, potestatem sibi supradictus pontifex noverit esse concessam, quatinus apud iudicem provinciæ atrocium iniuriarum quærat propositione vindictam.

XCVIII.

Gelasius Maiorico, Sereno et Iohanni episcopis. Quod et humanis legibus in civili temeritate calcatis, et reverentia religionis abiecta, vel æcclesiastica privilegia calcare contendunt ut ubilibet in pauperum prosilire dispendium, nec huiusmodi saltem commoniti convictique nequitiam sopire consentiunt, atque illata sacris rebus detrimenta sarcire, merito divini muneris sunt participatione privandi. Et infra. Quapropter Dionisii qui sicut vestre textus relationis ostendit, non solum Vivonensis ecclesie iura turbare, sed etiam repensare quod nequiter admiserant respuerunt, sacre communionis arceantur accessu, donec quæ honori divino competunt discant devota mente deferre. Contra quos etiam quicquid publicis legibus agi poterit, minime negligatur, ut qui utrumque tempserunt, utrisque cohibiti, tam sibi quam ceteris præbeant quod necessaria disciplina poscit exemplum.

XCVIIII.

Gelasius Iohanni episcopo Frisano. Ecclesiastica ministeria quæ unicuique basilicæ fidelium devotio deputavit, ad aliam æcclesiam nullo debent surripiente transferri. Et ideo si huius iuris portitoris petitio veritate subsistit, calicem quem decessor tuus abstulit, æcclesiæ cuius fuit restitue sine intermissione.

C.

Gelasius Acgilulfo post cætera. Precor autem, ut reculam beati Petri Apostoli intra Dalmatias constitutam defensare dignemini, et quæ vobis, vel frater et coepiscopus meus Honorius pro eius utilitate suggesserint, vel conductores putaverint intimandum, quam fieri potest præstare iubeatis. Idem Ianuario post cetera. Sed et causas quibus beneficia beati Petri apostoli continuata percipias, fidenter iniungo. Prestet igitur tua nobilitas, ut rebus pauperum eius auxilium defensionemque concedat, et conductores earum pio favore tueatur, ut vicissitudinem præstitorum ab eodem recipiat consequentem, cuius merittis et honori devotus ista dependit. Idem Firminæ illustri feminæ post cetera. Ad cumulum vero mercedis vestræ pertinere certissimum est, si præsidia quæ vel a barbaris vel a romanis inconvenienter invasa sunt, vestris dispositionibus egentium victui reformentur. Cuius tanta de provinciis diversisque bellorum clade vastate sunt, Roma multitudo confluxit, ut vix ei Deo teste sufficere valeamus. Conspicitis ergo quantum boni operis acquiratis si beato Petro Apostolo prædia quæ pro sua quisque anima contulit, vestro postmodum præsidio liberata reddantur. Cuius benedictionis eulogias, quas pro affectione direxi, peto ut grata suscipere mente digneris.

CI.

Gelasius. Actoribus Urbici. Constat vos intulisse rationibus æcclesiæ ex præstatione fundi Claculas quem conductionis titulos teneris, de fructibus anni s. consulatus Asterii, et Presidii VV. CC. de interdicto III auri solid. XXX. Notavi V Kal. Augusti Flavio, Viatore Coss. Idem Vincomalos. Constat intulisse te rationibus æcclesiæ ex præstatione fundi quem conductionis titulo tenes de fructibus anni, consulatus Asterii et Præsidii VV. CC. deinde III auri solid. numero XXX. Notavi die V Kal. Augusti.

CII.

Pelagius Melleo subdiacono inter cetera. Notariorum sedis nostræ insinuatione didicimus nullius iudicis a tempore quo tibi primum ecclesiæ patrimonium constat esse commissum, usque actenus ratiocinia sunt decisa, et ea sint necessario dispungenda, ut quod ecclesiasticis utilitatibus debeatur, vel quod a quoquam usurpatum sit, fideli inspectione cognoscere valeamus, et tu vel heredes tui in futuro tempore securitate plenaria communiti, nullas possitis inquietudines sustinere.

CIII.

Pelagius Mauro episcopo Prenestino inter cetera. Didicimus de patrimonio Hildiuade, ante quidem de prima, et II, et III indictionibus ampliato quondam presbytero et Stephano diacono vices Pontificis in urbe Roma agentibus, quod exegisti fide media persoluisse. De quarta vero indictione, secundum ordinationem filii vestri viri religiosi Narse sacri palatii filiis nostris Dulcitio, Felici atque Iohannis Presbyteris quod exatum fuerat intulisse. Supervenientibus vero nobis et per Dei gratiam ordinatis intulisti de eadem IIII indictione. Et infra. Ideoque supplicante dilectione tua, ex omnibus suprascriptis, præteritis, VII indictione, fraternitatem tuam hac securitate credidimus muniendam, ut nulla caritati tuæ in posterum a quolibet calumpnia moveatur.

CIIII.

Pelagius Narse patricio Anagnostico, inter cætera. Bene noverit excelleutia vestra nos habentibus dumtaxat hominibus, et nullam necessitatem patientibus res dare pauperum nulla ratione præsumere. Quia neque hoc vobis placere novimus, neque hoc nostro esse officio conveniens iudicamus.

CV.

Pelagius Boetio Præfecto pp. Africano, inter cætera. Romana cui Deo auctore præsidemus ecclesia post continuam XXV et eo amplius annorum vastationem bellicam in italiæ regionibus accidentem, et pene adhuc minime discedentem, non aliunde nisi de peregrinis insulis aut locis clerico pauperibus qui, et si non sufficiens vel exiguum tamen stipendium consequitur.

CVI.

Pelagius Armentario magistro militum inter cetera. Postea quam ecclesiæ iura, documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam pontifex vel si velit permittatur habere licentiam.

CVII.

Pelagius Eleutherio episcopo. Maximus diaconus æcclesiæ dilectionis tuæ nobis suggessit, in fundo qui appellatur Pancellus oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honore beatæ Cantianæ martyris desiderat consecrare. Et ideo frater karissime si in tua diocesi memorata constructio iure consistit, et nullum corpus ibidem constat humatum, percepta prius donatione legitima, idest possessione ill. et ill. præstantes liberos a fiscalibus titulis solidos tot gestisque municipalibus allegatis, prædictum oratorium absque missis publicis sollempniter consecrabis. Ita tamen ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec presbyterum constituas Cardinalem. Sed quotiens missa sibi fieri forte maluerit, a dilectione tua presbyterum noverit postulandum, quatinus nichil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur.

CVIII.

Pelagius Asterio episcopo. Vindimius Abbas petitorii nobis insinuatione suggessit, quod haberet in subditis, iuxta mu-

ros civitatis Salernitanæ intra monasterium suum oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honore beatorum martyrum Chrisancti et Dariæ desiderat consecrari. Et ideo si nullum corpus ibidem constat humatum, prædictum monasterium absque missis publicis sollempniter consecrabis ita tamen ut si cum dator prædictus missas ibidem fieri forte maluerit, a dilectione tua presbyterum noverit postulandum. Similiter Gregorio Benenato Tindarithano episcopo et Fortunato Neapolitano.

CVIIII.

Pelagius Iuliano episcopo Cingulano. Constat dilectionem tuam intulisse rationibus æcclesiæ ex præstatione massarum sive fundarum per Pycenum ultra XI positorum quod curæ tuæ commissum est, deinde VII filio nostro Anastasio argentario et Arcario æcclesiæ nostræ auri solidos • Notavi die III kal. Maii post consulatum Basilii viri clarissimi.

CX.

Pelagius Dulcitio defensori, post quedam. Preterea rationes nobis nescio quas græcorum more fucatas de VI indictione, pensionibus direxisti. Suggerens te pro L solidis et pro aliis LX a diacono Varino, et nescio quo alio casas recolligisse. Et cum tibi cotidie hinc et inde accrescant prædia, tu nobis de pensionibus angustias generas. Non tibi sufficit quod te a notariis et aliis diversis officiis ne commoda exigeris, iuxte liberare potuimus, ut ad summam ac viam quod non vidimus neque accipimus te implesse steteris.

CXI.

Pelagius Vito defensori inter cetera. Ideoque tibi præsenti iussione mandamus ut curam ipsius patrimonii peragere non omittas. Sciens quod nos a te iam et relinquam VI indictionem et omnes singularum deinceps indictionum a VII exigemus pensiones. Ut secundum morem et emittas in scrinio cautionem, et brevem eiusdem patrimonii possis accipere.

CXII.

Pelagius Viventio neapolitano, Gemino puterlano et Constantio miseno episcopis post cetera. Et ideo caritati vestræ, præsentium decretorum tenore mandamus, ut exequente Constantino Sedis nostræ defensore, clerum vel cives æcclesiæ Pariensis, et ediverso æcclesiæ Uultraninæ vel vici Feniculensis ad vestrum faciatis convenire iudicium et ex scripto sententiam coram partibus deferatis, antedicto sedis nostræ defensore modis omnibus exequente, ut quo statuta fuerunt effectui mancipentur.

CXIII.

Pelagius Benegesto defensori post pauca. Propter quod experientiæ tuæ præsenti auctoritate mandamus, ut in quibus causis quælibet ecclesiastici officii persona loco petitoris existit, quendam laicum pulsatura, apud provinciæ iudicem suas proponere non desinat actiones. In his vero negotiis in quibus ecclesiastici officii persona pulsatur, totius summoto pulsationi obstaculo, ad episcopi vel episcoporum in loco ubi questio vertitur constitutorum, occurrat indifferenter examen, nullis causæ dictionem frustrationibus declinando. Quatinus omne negotii meritum de sola veritate sua solisque legibus disceptatum celeri proveniente sententia terminetur. Annitente quoque executione tua, ut quæ statuî contingerint, effectui mancipentur. Nulla ad nos de cuiusquam ecclesiastici pulsati contumacia deinceps quærimoniæ redditura, per quam non solum contumaces excessus, verum tua quoque neglegentia sit plectenda.

CXIIII.

Pelagius Iohanni comiti patrimonii post cetera. Gloria igitur vestra secundum bonitatis consuetum morem, filio nostro Luminoso presbytero solacia in præfato itinere quibus tute ad destinatum locum pervenire valeat subministret. Sed et commendare eum dignamini illic hominibus vestris, ut etiam ibi

vestris fultus auxiliis, iniuncti sibi negotii facilius possit terminum recipere.

CXV.

Pelagius Anilani comiti post pauca. Petrum filium nostrum Apostolicæ Sedis presbyterum ad corrigenda ea quæ in questionem veniunt duximus dirigendum. Faciliorem omnium causarum futurum esse iudicantes exitum, si illum ab apostolica contigisset publicæ sede transmitti, quod et pro rei merito et pro caritatis vinculo potestatis publice iuvaretur auxiliis. Sic enim et canonum et legum statuta nos ammonent, ut et doceantur humiles, et superborum spiritus comprimantur. Quia nonnumquam mentibus desperatis, et doctrina sine potestate contepnitur, et dominantis vim habere creditur potestas sine ratione doctrine, huic autem ut possint ea quæ iussa sunt facilius Domino adiuvante compleri, Proiectum notarium Sedis nostræ adiungendum esse credimus, ut participato consilio, quæ rationabilia sunt exequi non morentur. Salutantes igitur paternæ caritatis alloquio ut prædictis in omnibus quæ vel ad ecclesiasticam unitatem vel ad correptionem excessuum pertinent feratis auxilium postulamus.

CXVI.

Pelagius Helpidio, episcopo Catinensi inter cetera. Sicut unumquemque clericorum tuorum æcclesiasticis utilitatibus vel dispositionibus dilectionis tuæ pro eadem ecclesia usque ad iustitiæ legumque rationem procedentibus fideliter obedire prospexeris, ita dilectionis tuæ effectu contineas secundum fidem diligentiamque suam uniuscuiusque merita prosequendo.

CXVII.

Ex regesto Honorii Papæ.

Honorius Gratioso subdiacono. Ne cuiquam labor ac diligentia quam in rebus æcclesiæ adhibet possit esse damnosa,

ita disponendum est, ut illi suus labor sit utilis, et detrimentum ecclesiasticæ res non agnoscant. Proinde domum cum orto suo positam in hac urbe Roma iuxta termas Diocletianas regione A cum omnibus ad eam pertinentibus, tibi in XXVIIII annorum spatia ad unum auri solidum persolvendum singulis quibusque annis rationibus ecclesiasticis pensionis nomine possidendam concedimus. Nec te exinde eici, vel augmentum pensionis illic constituimus imponendum. Ita sane, ut reparatio eiusdem domus in cunctis utilitatibus studere, sicut diligens paterfamilias debeas. Post XX vero VIIII annorum curricula eadem domus cum orto suo ad ius sanctæ Romanæ æcclesiæ, cuius est proprietas sine dubio revertatur, nec aliquid ex his quæ in eius melioratione expensum fuerit, vel a te vel tuis heredibus sit repetendi licentia, quia rationis ordo non sinit, ut rei melioratione expensam repetat quæ in eadem pensione augmentum non recepit. Data Idibus Decembris indictione XIIII anno Domini ill.

CXVIII.

Honorius servo Dei notario. Quotiens a nobis illud petitur quod rationi noscitur convenire, animo nos decet libenti concedere. Ideoque quia petisti a nobis ut casale quod appellatur Aurelianum in integro una cum vineis suis positum via Portuensi iuxta sanctos Abdon et Sennen, præstantem auri solidos II semis iuris S. Romanæ, cui Deo auctore deservimus æcclesiæ, tibi ad certum tempus debemus concedere. Eapropter huius præcepti serie emissa, suprascriptum casale cum omnibus ad se pertinentibus, tibi a præsenti XIIII indictione, diebus vitæ tuæ concedimus, ita sane ut a te annis singulis pensionis nomine rationibus æcclesiasticis duo auri solidi et tremissis unus sine mora aliqua persolvantur, quatinus et tu aliquid exinde possis habere remedium, et æcclesiæ nostræ utilitas non decrescat. Post tuum vero obitum, prædictum casale ad ius sanctæ æcclesiæ nostræ cuius est proprietas revertatur sine dubio. Dat. IIII Idus Maii indict. XIIII anno Domini ill.

CXVIIII.

Ex regesto Gregorii iunioris.

Gregorius Stephano presbytero atque aliis duabus successim personis. Quotiens illa, a nobis tribui sperantur, quæ rationi incunctanter conveniant, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertire suffragium, Ideoque quia postulasti a nobis, quatinus fundum Capanianum cum domo sua et vinea posita via Flaminea, XIIII plus minus millibus ad hac Urbe Roma, quæ tenuit per emunitionem Sergius presbyter et vestariarius noster qui fundus extitit ex corpore patrimonii Tusciæ iuris sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus æcclesiæ, hac vobis emissa præceptione ad tenendum concederé deberemus. Inclinati itaque precibus vestris, per huius præcepti seriem supradictum fundum, cum domum et vinea et omnibus ei pertinentibus in integro, a præsenti VIII Idus diebus vitæ vestræ vobis concedimus detinendum, ita sane ut a vobis singulis quibusque indictionibus, pensionis nomine rationibus æcclesiasticis III auri solidi difficultate postposita persolvantur, omnemque qua indigent meliorationem ac defensionem prædictus fundus et vinea seu domus indifferenter a vobis sine dubio procurantur efficiantur, nullaque prætcrea ad dandum annuæ pensionis a vobis mora proveniat, sed ultro actionariis sanctæ nostræ Ecclesiæ a prædicto tempore persolvatur. Nam si aliter quod absit a vobis provenerit desuper scripta melioratione, defensione et annua pensione statuimus fore invalidam hanc nostram præceptionem. Post obitum vero vestrum memoratus fundus ad ius sanctæ nostræ æcclesiæ cuius est proprietas in integro revertatur. Dat. Id. Aprilis indict. VIII anno Domini ill.

CXX.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, universis reverentissimis et sanctissimis fratribus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, gloriosis Ducibus, et magnificis Gastaldis, Comitibus etiam seu cunctis Christianis Deum timentibus. Sollici-

tudinem nimiam gerentes prospecutione nobis credita, quia in umbra mortis aliquas gentes in Germanie partibus et plaga orientali Rheni fluminis antiquo hoste suadente errare, et quasi sub religione christiana ydolorum servire culture cognovimus, aliquos vero qui nec baptismatis unda sunt loti, sed comparatione brutorum animalium pagani factorem suum non cognoscunt. Pro utrorumque illuminatione, ad prædicandum rectæ fidei verbum, harum litterarum portitorem Bonifatium fratrem et cöepiscopum nostrum ad easdem partes dirigere studuimus, ut eos ad viam salutis informet, et in fide catholica doceat permanere. Hortamur igitur ob amorem Domini nostri Ihesu Christi et Apostolorum eius reverentiam, ut ei in omnibus solaciari nisibus totis debeatis, eumque in nomine Ihesu Christi recipiatis, sicut ipse de talibus ait. Qui vos recipit, me recipit. Providentes ei quæ necessaria sunt, et comites itineris, cibum etiam ac potum, vel si quo indiguerit, ut cum eo præmia laboris eius percipere mereamini, deque conversione errantium merces vobis acquiratur in cælis. Si quis itaque huic ad illuminationem gentium ab hac apostolica atque catholica Dei ecclesia destinato auxilium præbuerit, orantibus Apostolorum Principibus consortia sanctorum Dei mereamur. Si quis vero quod non putamus adversando eius impedire conatus fuerit laborem, aut contrarius extiterit ministerio anathemate percellatur, ac perpetuæ damnationi nisi digne penituerit subiaceat. Dat. kalendis Decembris indictione IIII anno Domini ill.

CXXI.

Iohannes episcopus Angelbertæ imperatrici. Inter cetera. Ad hoc usquæ malum crevit et incrassatum est, ut factione Ravennatis Archiepiscopi, Maurinus cum suis complicibus qui excommunicati et anathematizati a nobis iam sunt, Ravennam ingrederetur, et fidelium nostrorum res cum eis funditus raperet ac devastaret. Adeout claves civitatis Ravennæ a vestarario nostro violenter subtraheret, et pro libito suo nescimus cuius auctoritate ipsi archiepiscopo quod nunquam factus fuisset recolitur potestative concederet.

CXXII.

Iohannes episcopus Hludovico imperatori inter cetera. Nam monasterium sanctæ MARIÆ in Comacho quodque Pomposia dicitur, et monasterium Sancti Salvatoris in monte Feretri, aliudque monasterium quod vocatur Sancto presbytero, atque colonos in territorio Ferrariense, et Adriense, et Gallicata et Faventillam Ravennati Archiepiscopo non abstulimus, sed ea monasteria et loca ab antecessoribus nostris possessa repericntes, possedimus, actenusque iure proprio retinemus. Alia quoque loca et villas et predia de quibus aliquam functionem per » iam annos ecclesia Ravennas recepit, volumus ut pristinam functionem et dationem eadem æcclesia deinceps recipiat. Et quia eidem æcclesiæ alia loca nec tulimus, nec occupari fecimus, habeat quæ actenus habuit, absque prædictis locis, idest Gallicata, et massa Faventilla, et absque præfatis monasteriis, quousque in præsentia vestra et ipsa loca quæ sua esse putat, nostræ potius æcclesiæ lege et ratione pertinere, omnimodis cognoscatis. Dat. IIII kal. Febr. indict. VII.

CXXIII.

Iohannes episcopus Annoni Frisinguensis æcclesiæ episcopo. Efficaciam tuæ fidelitatis circa sanctam sedem apostolicam quam nimirum litteris tuis extuleras, operibus te approbare velle satis devotissime promittentem et gratanter accepimus, et pro commendatione rerum Romanæ ecclesiæ provisioni tuæ ut asseris commissarum. Noveris itaque nuperrime nos litteras, dilecto filio nostro Hludovvico regi sed Episcopis et comitibus Italici regni qui earum redditus nobis deferri salvos faciant, transmisisse, nichilque alius superesse cognoscimus, nisi ut aurum, aliasque species quas te collegisse fateris, simul cum præteritæ indictionis quominus fuerunt redditibus sub omni plenitudine nobis per totum Septembrem futuræ VII indictionis, aut per temetipsum referas, aut transmittas, sciens quasi hoc condicto tempore redditus nobis non venerint, nullius alterius nisi tuæ morosæ negligentiæ specialiter imputandum.

Precamur autem ut optimum organum cum artifice qui hoc moderari et facere ad omnem modulationis efficaciam possit, ad instructionem musicæ disciplino nobis aut deferas, aut cum eisdem redditibus mittas quatinus dum vile metallum beato Petro conferre festinas, ab eo aurea regni cælestis munera capessas.

CXXIIII.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, Ill. subdiacono nostræ apostolicæ sedis. Salubri providenti quicquid æcclesiastica requirit utilitas, illud committendum credimus esse personis, quas fidei puritas, vel placite actionis studium laudabili opinioni commendat. Quapropter tibi ill. subdiacono quod divina gratia suffragante dictum sit, omne patrimonium iuri sanctæ Romanæ cui Deo auctore deservimus æcclesiæ, per insulam ill. constitutum præsenti præceptione peræquandum, sive ordinandum committimus iniungentes ut colonorum vires sub divini iudicii contemplatione consideres, et quantum pensionis nomine ab hoc præsenti Dominicæ incarnationis anno millesimo ill. inferre debeant sollicita provisione disponas, ne quisquam eorum ultra quam sufficit exigi coartetur, aut amplius persolvat. Et quicquid tibi cum Dei timore provida deliberatione constiterit, eiusdem protectoris nostri dextera protegente disponas, ut cui prævideris aliquid relaxandum, pensionis levigationem inveniat, et cui addendum credideris, quod iustum est cogatur exsolvere, quia id quod pauperibus erogatur, longe fit a mercede, si a quibus infertur non fuerit iuste ac misericorditer dispensatum.

CXXV.

Iohannes episcopus servus servorum Dei ill. notario nostro. In ordinando sive discutiendo patrimonio sanctæ Romanæ cui Deo auctore deservimus æcclesiæ, in provincia ill. constituto, ab hoc præsenti anno Dominicæ incarnationis millesimo et ill. iubemus te rectorem accedere. Te videlicet bene agente, et absque colonorum gravamine conversante, ut dum

divini consideratione iudicii, nostræ communionis memor, ita te efficaciter ac fideliter exhibeamus, ut nullius neglegentiæ, vel fraudis quod absit alicuius inveniaris sustinere periculum. Magis autem id agas, quatinus de fide et industria tua divinæ possis gratiæ commendari. Ad familiam quoque eiusdem patrimonii, secundum morem præcepta direximus, ut nihil ad peragendum ea quæ tibi iniuncta sunt in aliquo valeant impedire.

CXXVI.

Item in eodem.

Iohannes episcopus servus servorum Dei colonis et familiæ massarum sive defunctorum in provincia ill. constitutorum. Ad sollicitudinem vero ill. Sedis nostræ notarii et regimen dispositio nostra pertinere constituit. Iubemus enim ut eius mandatis in utilitatibus et cultura agrorum parere properetis, et salubrioribus obedire præceptis. Cui talem dedimus potestatem, ut eos qui contumaces extiterint, districta severitate corripiat. Noveritis autem, sub hac condicione vos esse commissos, ut mancipia si qua foris latitant, vel fines pervasos sua instantia iuri ecclesiastico revocari non differat. Pariter etiam periculo suo fuisse commonitum, ne aliquando violentiam rebus alienis vel raptum facere præsumatis.

CXXVII.

Iohannes episcopus servus servorum Dei ill. insulæ illius glorioso iudici. Qui in actione positus bonis se omnipotenti Deo commendare studet operibus, viam sibi provectus sternit, per quam salubriter ad desiderata perveniat, et ad maiora semper Christo adiuvante proficiat. Itaque præmisso salutationis alloquio, ill. notarium portitorem præsentium quem ad regimen patrimonii ecclesiastici in ill. insula constituti transmisimus vestræ magnitudinis commendamus, ut bonitatis vestræ illi affectum et gratiam in causis pauperum libentissime commodetis, atque ita eum sicut revera Christianos decet in omnibus adiuvetis. Quatinus dum vobis concurrentibus

utilitatem commissam peregerit, ante omnipotentis Dei oculos intercedente beato Petro Apostolorum Principe actionum vestrarum mercedem invenire, et eius semper debitricem æcclesiam habere valeatis. Nec enim novum vobis est, ista quæ poscimus agere. Nam multi exinde venientes, tanta de vobis testati sunt, ut maiorem de sublimitatis vestræ bonitate fiduciam capere quam olim habuimus debeamus. Quoniam postulamus petitiora sine dubio creditur exhibere, qui consuevit etiam non postulata præstare. Omnipotens Deus ab omni malo vos protegat et de vestra nos diutissime salute faciat gaudere.

CXXVIII.

In eodem ad Episcopos.

Iohannes episcopus servus servorum Dei ill. Episcopis a paribus. Ill. notarius sanctæ nostræ æcclesiæ patrimonium in insula ill. situm, ab hoc præsenti anno Dominicæ incarnationis M ill. Deo auxiliante gubernandum noveritis esse commissum. Qua de re dilectio vestra memorato notario ubicumque necesse habuerit, solacia festinet impendere. Quatinus adiutus vestro auxilio, ea quæ ei iniunximus sine impedimento valeat explicare, ut dum nobis de obedientia vestra retulerit, apud nostros animos possitis Deo propitio melius commendari.

CXXVIIII.

In eodem.

Domno sancto et beatissimo patri patrum Papæ ill. famulus vester ill. In prædio meo ill. iuris mei, basilicam sumptu proprio me suggero construxisse, quam in honorem sanctorum ill. martyrum desidero consecrari. Cui basilicæ ad luminaria vel ad helemosinas ibidem servientibus offero ill. et ill. Quapropter quæso Apostolatum vestrum, ut detis præceptiones vestras ad ill. venerabilem ill. civitatis episcopum, quatinus supramemoratam debeat sacrosanctis misteriis consecrare, ut hoc facto, sancta religio vestris temporibus sumat aug-

mentum. Promitto etiam nichil mihi de eodem loco, ulterius vendicandum, nisi processionis gratiam, quæ christianis omnibus in commune debetur. Pari quoque prece deposco, ut detis litteras vestras ad ill. venerabilem ill. civitatis episcopum, quatinus possit mihi reliquias supramemoratorum sanctorum sollempniter contradere.

CXXX.

Ambrosius in libro primo de officiis. Officere enim istud est, non prodesse alteri, si largiaris ei qui conspiret, adversus patriam, qui congregare cupiat tuo sumptu perditos qui inpugnent æcclesiam. Non est hoc probabilis liberalitas, si adiuves eum qui adversus viduam et pupillos gravi decernit iurgio, aut vi aliqua possessiones eorum eripere conatur, non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat. Si iniuste quærat, et iuste dispensandum putet, nisi forte ut Zacheus reddas prius ei quadruplum quem fraudaveris. Idem in II libro. Quis igitur vel eos qui pecunia ad obedientiam reddimuntur, et eos qui assentatione invitantur, fidos sibi arbitretur? Nam et illi frequenter se vendere volunt, et isti imperia dura ferre non possunt, levi assentatiuncula facile capiuntur. Si præstrixerit verbo, immurmurant, deserunt, infesti abeunt, indignantes relinquunt. Imperare malunt quam obedire, quasi obnoxios beneficio subiectos sibi debere existimant quos præsitos sibi habere debeant. Quis igitur sibi fideles putet quos vel pecunia et adulationis sibi obligandos credidit? Nam et ille qui pecuniam accepit vilem se et despectum iudicat, nisi sepe redimatur. Itaque frequenter expectat pretium suum, et ille qui obsecrationem ambitus videtur, vult semper rogari. Ergo bonis artibus et sincero proposito nitendum ad honorem arbitror, et maxime ecclesiasticum. Ut neque resupina arrogantia, vel remissa negligentia fit, neque turpis affectatio et indecora ambitio. Ad omnia abundat animi directa simplicitas, satisque seipsa commendat. In ipso vero munere neque se veritatem esse dura convenit nec nimiam remissionem, ne aut potestatem exercere, aut susceptum officium nequaquam implere videamur.

Enitendum quoque, ut beneficiis obligemus et consolatum plurimos reservemus gratiam, ne iure beneficii fiant immemores, qui se graviter lesos dolent. Sepe enim in usu venit, ut quos gratia foveris, vel aliquo superiore cumulaveris gradu, avertas si indigne ei aliquem præponendum iudices. Idem in eodem. Perfecta liberalitas est, ut primum opereris circa domesticos fidei. Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat. Si scias eum sine sumptu esse famem tollerare, erumpnam perpetitur, qui præsertim agere erubescat. Si in causam inciderint, aut captivitatis suorum, aut calupniæ, et non adiuves. Si sit in carcere, et pœnis et suppliciis propter debitum aliquod, iustus excrucietur. Nam et si omnibus debetur misericordia, tamen iusto amplius, si tempore afflictionis suæ nichil impetret, si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat quam vita morituri. De quo pulchre Iob dicit. Benedictio perituri super me venit. Personarum quidem Deus acceptor non est, quia novit omnia. Nos autem omnibus quidem debemus misericordiam. Sed quia plerique fraude eam querunt, et affinguut erumnam, ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largius se debet profundere misericordia. Non enim avarus est Dominus, ut plurimum quærat. Beatus quidem qui dimittit omnia et sequitur eum. Sed et ille beatus est, qui quod habet ex affectu facit. Ceterum Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi forte ut Eliseus boves suos occidit, et pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticam daret. Est illa etiam probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas, melius est enim ut ipse subvenias tuis quibus pudor est ab aliis suptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati. Non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus. Causa enim præstat non gratia. Neque enim propterea te Domino dicasti ut tuos divites facias. Et infra. Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia quæ ingenuos prodit natales. Ut senibus plus largiaris, qui sibi labores iam ne-

queunt victum quærere. Similiter et debilitas corporis, et hoc iuvando promptius. Tum si quis ex divite cceiderit in egestatem, et maxime sine vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis quæ habebat amiserit. Idem in eodem. Pulchrum quoque est, propensiori eius haberi rationem, qui tibi aut beneficium aliquod aut munus contulit, si ipse necessitatem incidit. Quid enim tam citra officium, quam non reddere quod acceperis? Nec mensura parit, sed uberiori reddendum arbitror et usum pensare beneficiis, ut et tu subvenias quanto eius erumnam repellas. Etenim superiore non esse in referendo quam in efferendo beneficio, hoc est minorem esse. Quoniam qui prior contulit, tempore superior est, humanitate prior. Idem in eodem. Qui enim non repellit a socio iniuriam si potest, tamen in vitio, quam ille qui facit. Unde sanctus Moyses hinc prius orsus est temptamenta bellicæ fortitudinis. Num cum vidisset Hebreum ab Egyptio iniuriam accipientem, defendit, ita ut Egyptium sterneret et absconderet in arenam. Salomon quoque ait. Eripe eum quidem ad mortem. Idem in II officiorum. Pulcra liberalitas erga ipsos quoque pauperes mensuram tenere, ut abundes pluribus, non conciliandi favoris gratia ultra modum fluere. Quicquid ex affectu pio ac sincero promitur, hoc decorum est. Non superfluas edificationes aggredi, sed non prætermittere necessarias. Et maxime sacerdoti hoc convenit, ornare Deo templum decoro congruo, ut etiam hoc cultu aula Dei resplendeat. Impensas misericordiæ convenientes frequentare. Quantum oporteat largiri peregrinis, non superflua sed competentia, non redundantia, sed congrua humanitati, ne sumptu pauperum alienam sibi querat gratiam. Ne restrictionem erga clericos, aut indulgentiorem se præbeat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum. Si aut sumptus desit necessitati, quos a sordidis negotiationis aucupiis retrahere debeas, aut voluptati superfluat. Quin etiam verborum ipsorum et præceptorum esse mensuram convenit, ne aut nimia remissio videatur, aut nimia severitas. Plerique enim remissiores malunt esse ut videantur boni. Sed nichil simulatum et fictum vere virtutis

esse certum est quin etiam diurnum esse non solet. In principio vernat, in processu tamquam fosculus dissipatur et solvitur. Quod autem verum ac sincernm, alta fundatur radice. Idem in eodem. Tunc vas dominici sanguinis agnosco cum in utroque videro redemptionem, ut calix ab oste redimat, quos sanguis a peccato redemit. Quam pulcrnm, ut cum agmina captivorum, ab ecclesia redimuntur, dicat, hoc Christum redemit. Ecce aurum quod probari potest. Ecce aurum utile. Ecce aurum Christi quod a morte liberat. Ecce aurum quo redimitur pudicitia, servatur castitas. Agnosco infusum auro sanguinem Christi, non solum irrutilasse, verum etiam divinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere. Et cetera.

CXXXI.

Prosper in libro de vita clericorum. Quod habet ecclesia, cum omnibus nihilabentibus commune habet, nec aliquid inde eis quod de suo sufficiunt debet erogare, quando nichil sit aliud habentibus dare quam perdere. Illi vero qui sua possidentes dare sibi aliquid de ecclesia volunt, non sine suo grandi peccato unde pauper victurus erat accipiunt. Sicut vero non habentes propria, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt, ita possessores sui non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Idem in eodem. Non levi detrimento firietur (*sic*) qui cum sit sani corporis ac robustibus, stipe sustentatur aliena, quæ iuste solum est debilibus attributa, cum utique secundum Apostolum debeat manibus suis cotidianos victus inquirere.

CXXXII.

Possidius episcopus in vita sancti Augustini. Augustinus episcopus testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Dei non habuit. Ecclesiæ bybliothecam omnesque codices diligenter posteris custodiendos semper iubebat. Si quid vero ecclesia vel in sumptibus vel in ornamentis habuit, fidei presbyteri qui sub eodem domus æcclesiæ curam gerebat. Domus æc-

clesiæ curam cunctamque substantiam, ad vices valentioribus clericis, quoad vixit delegavit et credidit. Numquam anulum in manu habens sed ab hisdem domus præpositis cuncta accepta et erogata notabantur, quæ anno completo eidem recitabantur, quo sciretur quantum acceptum, quantumque dispensatum fuerit, vel quantum dispensandum remanserit. Suos consanguineos, vel in proposito vel extra constitutos, nec in vita, nec in morte vulgi morte tractavit. Quibus dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod ceteris erogavit, novit divitias haberent, sed ut non aut minus clerici egerent.

CXXXIII.

Hieronymus ad Paulinum presbyterum.

Preter victum et vestimentum et manifestas necessitates nichil cuiquam tribuas, ne filiorum panes canes comedant, verum Christi templum anima credentis est, illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. Quæ utilitas est parietes fulgere germinis et Christum in fame paupere mori? Iam non sunt tua quæ possides. Dispensatio tibi credita est. Memento Ananiæ et Saphire. Illi tum de sua servaverunt. Tu considera ne Christi substantiam inpudenter effundas, idest ne inmoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus. Et secundum dictum prudentissimi viri, liberalitate liberalitas pereat. Noli respicere ad faleras, et nomina vana Catonum. Idem super Matthaeum. Omnes qui stipe templi, et his quæ ad pauperum usus conferuntur, in aliis rebus abutuntur quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum et phariseorum redimentum mendacium et sanguinem Salvatoris vendentium.

CXXXIIII.

Ex eodem Iustiniano constitutione II.

Constantinus clericis salutem dicit. Iuxta sanctionem quam dudum meruisse perhibemini, fundos et mancipia vestra nullus novis collationibus obligavit sed vagatione gaudebitis. Valentinianus et Valens. Universos quos constituit custodes

ecclesiarum esse sanctorum locorum, ac religiosis obsequiis deservire, nullius temptationis molestiam sustinere. Archadius et Honoratus. Si æcclesiæ venerabilis privilegia cuiusquam fuerint temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum XII librarum auri, sicut etiam prius constitutum est condempnatione plectatur, ipsaque privilegia nichilominus plenissimum per omnia optineant vigorem.

CXXXV.

Ex eodem constit. I.

Imperatores Val. Marco Palladio prætorii præfecto. Salaria quæ sacrosanctis æcclesiis in diversis speciebus de publico actenus ministrata sunt, iubemus nunc quoque inconcussa, et a nullo prorsus imminuta præstari, liberalitatique huic promptissimæ perpetuam tribuimus firmitatem. Dat. II. Id. Novemb.

CXXXVI.

Leo Imperator Augustus Armasio prætorii præfecto. Iubemus ut nullus cui res æcclesiastica gubernanda mandatur, ullomodo eam alienare aut transferre audeat. Quod qui præsumpserit, expolietur sua dignitate, et tabellio qui instrumenta conscripserit in exilium ducatur, et iudex qui huiusmodi consenserit, non revocetur ad iudicium.

CXXXVII.

Item ex lege Iustiniana.

Si quis emphytheoseos contractum in ecclesiasticam rem, vel alterius venerabilis loci contraxerit imperpetuum, primum quidem id quod actum est, pro infecto habebitur. Deinde tantum eum unoquoque anno perpetuo præstare sanctissimo loco oportet, quantum præstitisset, sed ab initio legitima emphytheusis esse, nichil remanente apud eum ex his quæ fructu emphytheuseos occasione præstita sunt. Res enim ipsa cum

suis fructibus omnimodo restaurari debet. Tabelliones vero si contra legem emphytheusis instrumenta scripserint, irrevocabili puniantur exilio, nisi divina sanctio indulserit. Nam nec magistratus instrumenta vel dictare, vel facta admitteret, et monimentis publicis inserere, vel confirmare audeant. Nam si aliquid tale deliquerint, non solum in una re, sed etiam et dignitate patrimonio cadant.

CXXXVIII.

Ex libro novellarum legum cap. CCCCLXVI.

Si quis divinis misteriis celebrandis in sanctam intervenit æcclesiam et episcopo vel clericis, vel aliis ministris æcclesiæ iniuriam facerit, iubemus eum tormentis subiectum in exilio mitti. Et sic ipse qui contrario vel divina misteria conturbavit, vel celebrare prohibuerit, capitali supplicio puniatur. Hoc idem observandum in lætaniis in quibus episcopus vel clerici inveniuntur, ut siquidem contumeliam tantum fecerit, tormentis et exilio tradatur. Sin autem letanias conturbaverit capitale periculum sustinebit. Eaque defendere volumus non solum civiles sed etiam militares iudices.

CXXXVIIII.

Ex lib. eodem constit. I.

Imperatores Archadius et Honorius Augusti Theodoro præfecto prætorii. Si quis in hoc genus sacrilegii prorupit, ut in æcclesias catholicas irruens sacerdotibus et ministris, vel ipso cultui locoque alii importet iniuriæ, quod geritur a provinciæ rectoribus animadvertatur atque ita provinciæ moderator sacerdotum, et catholicæ æcclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus iniuriam capitali convictos sive confessos reos sententia noverit iudicandum. Et non expectet ut episcopus iniuriæ propriæ ultionem deposcat, quia sanctitas cognoscendæ gloriam derelinquid. Sitque cunctis laudabile, factam atrocem sacerdotibus, aut ministris iniuriam veluti publicum crimen

persequi, ac de talibus ultionem reos mereri. Quod si multitudo violenta civilis apparitionis et executione et adminiculo ordinum possessorum vel non potuerit præsentari, quod se armis aut locorum difficultate tueatur, presides provinciarum etiam militari auxilio per publicas litteras appetito, competentem vindictam tali excessui non morentur. Data VIII kal. Maii Mediolani. Honorato et Eutichiano consulibus.

CXL.

Ex historia Anastasii.

Promulgavit autem Imperator Iustinianus formam de episcopis et oechonomis, et orphanotrophis, exenodochis, ne hereditate possiderent, nisi prius quam promoverentur habuisse probarentur, de quibus et testamentum emittere potuissent. Ab hora vero qua promoverentur, neminem habere licentiam disponendi, sed omnia ipsius venerabilem domum hereditari.

CXLI.

Ex libro novellarum legum cap. CCCCLII.

Si quis clericus cuiusque gradus, sive administrator cuiuscumque loci religiosi, vel ante consecrationem, vel administrationem, vel ad curam sibi commissam, vel postea, voluerit aliquid de propriis offerre æcclesiæ in qua consecratur, vel loco cuius administrationem vel curam recepit, non solum non prohibemus hoc fieri, sed magis exortamur talia pro salute animæ suæ facere. Nos enim illa tantum dari prohibemus, quæ specialiter quibusdam personis præstantur, non ea quæ sanctis æcclesiis vel religiosis locis offeruntur.

CXLII.

Ex eod. Iusitinano constit. II.

Imperator Iustinianus Augustus Iuliano prætorii præfecto. Ut sit inter divinum publicumque ius et privata commo-

da competens discretio, sancimus si quis aliquam reliquerit hereditatem, vel legatum, vel fideicommissum, vel donationis titulo aliquid dederit, vel vendiderit sive sacrosanctis ecclesiis, vel xenodochiis, vel ptochiis, vel monasteriis mascnlorum, vel virginum, vel orphanotrophiis, vel gerontochomiis, necnon iure civitatis relictorum, vel donatorum, vel venditorum, eis sit longeva exactio, nulla temporis solita perscriptione præcoartanda. Sed et si in redemptionem captivorum, quædam pecuniæ, vel res relicte, vel legitimo modo donatæ sunt, earum exactione longismam (*sic*) esse censemus. Et nobis quidem cordi erat, nullis temporum metis huiusmodi actionem circumcludi. Sed ne videamur in infinitum hanc extendere, longissimum vitæ hominum tempus eligimus, et non aliter eam actionem finiri concedimus, nisi C annorum curricula excesserint. Tunc etenim tantummodo huiuscemodi exactionem evanescere sinimus. Sive itaque memoratis religiosissimis locis, vel civitatibus, hereditatis sive legatum, sive fidei commissum fuerit relictum, vel donatio, vel venditio processerit in quibuscumque rebus mobilibus vel immobilibus, sive pro redemptione captivorum quædam fuerint derelicta vel donata, sit eorum penæ, perpetua vendicatio, et ad annos C ut dictum est extendatur, nulla exceptione temporum inhibenda, sive contra primas personas, sive contra heredes, sive successores eorum moveantur. In his autem omnibus casibus non solum personales actiones damus, sed et tamen in re ypothecaria secundum nostræ tenorem constitutionis, quæ legatariis et hypothecarias donavit, et supradictis omnibus, unum tantummodo terminum vitæ imponimus, idest C metas annorum. Hæc autem omnia observari sancimus in his casibus, qui vel postea fuerint nati, vel alias in iudicium deducti sunt. Data V April. Lampadio et Oreste IIII Consulibus.

CXLIII.

Imperatores Valentinianus, Theodosius Augusti Dextro, Comiti rerum privatarum. Universas terras quæ a colonis dominicis iuris Romani Pontificis, vel iuris templorum in quali-

bet provincias venditæ, vel ullo alio pacto alienate sunt, ab his qui perperam atque contra leges eas detinent, nulla longitemporis perscriptione officiente iubemus restitui, ita ut nec pretium quidem iniquis cooperatoribus reposcere liceat. Data V Non. Iul. Valentiniano et Eutropio VV. CC. Consulibus.

CXLIIII.

Ex libro novellarum Iustiniani Imperatoris.

Imperator Iustinianus Augustus. Iohanni beatissimo ac sanctissimo Archiepiscopo et Patriarchæ veteris Romæ. Et legum originem antiquior Roma sortita est, et summi Pontificatus apicem apud eam esse nemo est qui dubitet. Unde et nos necessarium duximus patriam legum, fontem sacerdotii, speciali nostri numinis lege illustrare. Et paulo post. Centum tantummodo annorum lapsum temporalem exceptionem possessionibus eius opponi sancimus, ut maneant per totum supradictum tempus integra iura æcclesiastica, et non possit ei alia præter C annorum obviare exceptio, cum hoc tempus vitæ hominum plerumque finis esse dinoscitur. Et infra. Huiusmodi legis prærogativam sicut supra dictum est, non solum in ocidentalibus partibus Romanæ ecclesiæ condonamus, sed etiam in orientalibus, in quibus æcclesiæ urbis Romæ, possessione sunt, vel postea fuerint, scilicet omnibus iudicibus qui christiani et orthodoxi sunt hanc nostram constitutionem servantibus. Nichilominus huiusmodi legis temeratoribus post celestes penas, etiam legitimum semper vigorem pertimescentibus, et pænam L librarum auri formidantibus. Sanctitas itaque tua præsentem nostræ mansuetudinis legem pissimam sive sacrosanctam oblationem quam Deo dedicamus accipiens, inter sacratissima vasa reponat.

HOC PRIVILEGIVM CONCESSVM EST OMNIBVS OCCIDENTIS ÆCCLESIIS GRATIA ROMANÆ ÆCCLESIÆ. SED POSTEA EA EXCEPTA, OMNIBVS ABLATVM EST HAC CONSTITVTIONE EIVSDEM CODICIS.

Imperator Iustinianus Augustus, Theodoto inter cetera. Venerabilibus ecclesiis et monasteriis, et xenodochiis, et aliis

piis locis XL annorum protelatio possessionis conferatur, salva scilicet circa alias personas, et causas virtute, quam semper tricennalis sibi perscriptio vendicavit. Quoniam hac X annorum adiectionem solum ut diotum est religiosis locis, eorumque iuri, vel contractibus indulgemus, ut sopito hoc temporis spatio tam personales quam ypothecariæ actiones imperpetuum conquiescant nihil penitus aliis exceptionibus derogantes, sed tam in aliquo tricennio vim roburque tenentibus. In illis namque ut dictum est tantum negotiis religiosos contractus memorato XL annorum privilegio volumus perfrui, in quibus eis C annorum prærogativa constitutio nostra contulerat, quam modo ideo permittamus, quoniam per tantum sæculi magis quam temporis spatium, nec documentis integritas, nec actis fides, nec ætas valet testibus suffragari.

CXLV.

In eodem.

Imperator Iustinianus Augustus, Mennæ archiepiscopo Constantinopolis. Sancimus ut nulli liceat, monasterium, neque æcclesiam vel orationis domum incipere edificare, antequam civitatis episcopus orationem in loco faciat, et crucem figat, publicum ibi processum faciens, et causam manifestam omnibus statuens. Multi enim simulantes facere quasi orationis domus, suis medentur languoribus, non orthodoxarum æcclesiarum hedificatores facti, sed speluncarum illicitarum. Deinde non aliter quempiam æcclesiam a novo hedificare, priusquam loquatur episcopo, et finiant mensuram quam deputat ad luminaria, et sacrum ministerium, et domus custodiam, et observantium alimenta. Et si sufficienter habere videntur, faciat prius donationem eorum quæ futura sunt deputari, et ita domus hedificetur. Idem eidem in eodem. Illud quoque ad honorem et cultum sedis tuæ decernimus, ut si quis edificans æcclesiam, aut etiam aliter expendens in ea ministrantibus alimenta voluerit aliquos clericos statuere, non esse ei fiduciam ullam, quos vult per potestatem inducere, nisi primum tuæ reverentiæ iudicio, tuæque sanctitatis examinentur sententia.

CXLVI.

Ex legibus imperatorum videlicet Caroli et Hludouuici imperatorum XXX VII.

Decernimus et continua lege sancimus, ut qui decimas post creberrimas admonitiones et prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Iuramentum vero non costringantur, propter periculum periurii. Item in eisdem lib. V, cap. V. De his qui decimas iam per multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerint volumus ut per missos nostros costringantur usque ad emendationem. Item in eisdem cap. VI. Quicumque vero decimas abstrahit de ecclesia, ad quam per iustitiam debet dari, et eam præsumptuose aut propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem ad alteram æcclesiam dederit, a comite vel a misso nostro distringatur, ut eiusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

CXLVII.

Item ex legibus Romanis a domno Lothario imperatore promulgatis cap. VIIII.

Ut omnis decimatio episcopo, vel ei qui ab eo substitutus est præbeatur, nullusque eam suæ cappellæ nisi concessione sui episcopi conferat. Alioquin legibus humanis coerceatur. Quod si non emendaverit, ab episcopo excommunicetur. Ad ultimum ipsa cappella quæ magis contentionem quam utilitatem præstat, destruatur.

CXLVIII.

Eiusdem cap. XI.

Si quis sanctorum patrum regulas contempserit, et gloriosissimorum imperatorum Caroli et Hludouuici atque Lotharii, et Hludouuici filii eius, de decimis in eorum capitularibus statuta et sancita, non observaverit, vel retinere præsum-

pserit, et qui dat et qui recipit eisdem constitutis percellatur. Quod si neque sic correxerit, auctoritati et indicio sanctæ sedis apostolicæ modis omnibus subiaceat.

CXLVIIII.

Ex romano pontificali.

Adrianus Papa optinuit a Carolo rege Francorum, et patricio Romanorum, ut promissionem illam quam eius genitor Pipinus quondam Rex, et ipse præcellentissimus Carolus cum suo germano Carlomanno atque omnibus iudicibus Francorum, fecerant beato Petro et eius Vicario sanctæ memoriæ domno Stephano iuniori Papæ, quando Franciam perrexit pro concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiæ provinciæ, et contradendis beato Petro eiusque omnibus vicariis imperpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Cumque ipsam promissionem quæ Franciæ in loco qui vocatur Carisiacus facta est sibi relegi fecisset, complacuerunt illi et iudicibus eius omnia quæ ibidem erant annexa, et propria voluntate, bono ac libenti animo aliam donationis promissionem ad instar anterioris, ipse antedictus præcellentissimus, et revera christianissimus Carolus Francorum rex ascribi iussit, et per Etherium religiosum ac prudentissimum cappellanum et notarium suum, ubi concessit easdem civitates et territoria beato Petro, easque præphato Pontifici contradi spopondit, per designatum confinivit sicut in eadem donatione continere monstratur, inde Alunii cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, deinde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio et exinde in Mantua, atque monte Silicis. Simulque et universum exarchatum Ravennatium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venatium et Histriam, nec non et cunctum Ducatum Spoletinum seu Beneventanum. Factaque eadem donatione, et propria sua manu ipse Christianissimus Francorum Rex eam corroborans, universos episcopos, abbates, duces, etiam et graphiones in ea ascribi fecit. Quam prius super Altare beati Petri et postmodum intus in

sancta eius confessione ponentes, tam ipse Francorum rex quam eius iudices, beato Petro et eius Vicario sanctissimo Adriano Papæ sacramento sese omnia conservaturos quæ in eadem donatione continentur promittentes tradiderunt. Apparem ipsius donationis eumdem Etherium ascribi faciens ipse christianissimus Francorum Rex, intus super corpus beati Petri subtus evangelia quæ ibidem osculantur, pro firmissa cautela et eterni nominis sui ac regni Francorum memoria propriis manibus posuit. Aliaque eiusdem donationis exempla pro scrinarium huius sanctæ nostræ Romanæ æcclesiæ ascripta, eius ad exellentia secum deportavit. Sed et in gestis secundi Stephani Papæ leguntur esse patrimonia beati Petri Ravenna, Ariminum, Pensaurum, Catholica, Fanum, Cesena, Senogallia Esis, Forumpompilii, Forumlivii, et Castrum Sussubium, Monsferetri. Acerte agio, Mons lucani, serra, Castellum sancti Martini, Bobium, Callis Luciolus, Eugubium, Comiaclum, et civitas Narnia, et Faventia, et Castrum tyberiacum, et Gabelum et omnis ducatus Ferrarie. Iohannis VII Papæ temporibus Aripertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium cotiarum, quæ longa per tempora a iure æcclesiæ privata fuerit, ac ab eadem gente detinebatur, in litteris aureis exaratam iuri proprio beati Apostolorum Principis Petri reformavit. Cononis Papæ temporibus Iustinianus imperator filius Constantini relevavit CC capita annonæ, quæ patrimonia Britiæ et Lucaniæ persolvebant. Idem restituit suprascripti patrimonii familias, et Siciliæ, quæ in pignore detinebantur. Zacharias pontifex accepit a Constantino principe, donationem in scriptis perpetuo iuri Romanæ æcclesiæ de duabus massis, quæ Nymphas et Normias appellantur, quæ iuris publici erant. Huius temporibus Theodorus filius Megesti catacsancti, dedit beato Petro Apostolo patrimonium suum, situm V mill. ab hac Romana Urbe, via Tyburtina, quod domus cultam sanctæ Ceciliæ dicitur. Hic constituit aliam domum cultam XIIII°. mill. ab urbe Roma patrimoniæ Tusciæ, obligans eandem perpetuo usui Romanæ æcclesiæ, et domum cultam Lauretum, et massam Fontinianam quæ dicitur Paonaria, et massas quæ vocantur

Antins et Formias beato Petro acquisivit. Item Adrianus constituit domos cultas IIII unam quidem quæ dicitur Caput corum, territorio Vigentano, milia ab Urbe Roma plus minus XV in usum C pauperum Lateranensis palatii, et Galeriam in via aurelia, mill. plus minus X ab urbe, ad sanctam Rufinam et Calvisianum in via ardeatina, mill. ab urbe plus minus XV et aliam Galeriam cum omuibus eis pertinentibus in usum sanctæ Romanæ æcclesiæ. Idem acquisivit beato Petro massam Aratianam, sitam ab urbe mill. XVI via ardeatina, in qua ecclesia beati Edisti esse dinoscitur, qualiter etiam et massam Acutianam quæ iuxta eadem esse videtur. Necnon etiam massam in qua est æcclesia sancti Leucii, posita via flaminea, mill. ab urbe Roma plus minus V. Et quamvis supra monstratum sit, et adhuc in sequentibus demonstretur quosdam ducatus et marchias ex integro patrimonia beati Petri esse placet tamen ostendere quædam loca intra præfatos ducatus et marchias et principatus immo etiam in diversis regnis sita velut beati Petri patrimonia diversis temporibus a diversis pontificibus Romanis locata. Igitur Casinense monasterium beati Patris Benedicti nullus dicioni vel iuri subditum, habet tuitionem ab Apostolica sede a cuius Pontifice Zacharia per Petronacem virum restauratum est, eversionis suæ C° XX° anno. Dominicæ Incarnationis DCCXX habet privilegia suæ tuitionis a Romanis Pontificibus Zacharia. Item monasterium eiusdem sublacense, et Salvatoris apud Reate, et Farfense, iuris beati Petri sunt, quoniam in eius patrimonio, et territorio ut in sequentibus legitur sita sunt. Hæc itaque quæ secuntur sumpta sunt ex tomis Lateranensis Bybliothecæ. Itaque in eo tomo iu quo præscriptus est Papa Iohannes. Itaque in alio carticio thomo inveni iuxta Palladium in quo præscriptus est Papa Gregorius, leguntur esse patrimonia beati Petri Apostoli ab eisdem locata. Idest monasterium beati Petri in integro cum mercato suo, situm intra civitatem Lucensem, cum curte quæ dicitur Valentina vel Blentina, seu cæteris curtibus, cum casis, casalibus, vineis, terris, pratis, silvis, pascuis, cultum et incultum, mobile vel inmobile, seseque moventibus servos et ancillas, aldios aldiones, angarales, mandarioiis,

colonos et colonas, ibidem residentibus, cum omnibus suprascripto monasterio generaliter pertinentibus. Præstant suppensiones XIII auri solidos lucanos, in auro denarios VIIII et vestita stamc sirica IIII et guindensis suis. Necnon et curte in integro quæ dicitur Carpinianum, posita territorio Lucense, et Vulturnense cum omnibus ad eam pernentinetibus (*sic*) ut præmissum est de monasterio Lucense præstat XVIII auri solidos lucanos in auro denarios VIII. Item monasterium Salvatoris cum curte sua, in eodem territorio posita loco qui dicitur Vicoalais, vel Alissi cum omnibus sibi pertinentibus ut præmissum est, de monasterio lucense præstat L auri solidos lucanos in auro denarios VIIII. Et cum curte integra, quæ dicitur rapida, sita in territorio Pisano, loco qui dicitur æcclesia sancti Rufini cum omnibus sibi pertinentibus, ut præmissum est de monasterio lucense, nec non et curte alia quæ dicitur Ciccrana cum æcclesia sancti Andreæ, cum omnibus ad eam pertinentibus ut præmissum est de monasterio Lucense, præstant auri solidos lucanos V denarios VIIII. Itemque monasterium sancti Petri pecunia in integrum, et alia pecunia sita in territorio Lucense, et Siliano loco qui dicitur Cordennæ et Castello novo cum omnibus ei pertinentibus ut prædictum est de monasterio Lucense, præstant II auri solidos lucanos. Item curtis quæ dicitur Burrianum, in territorio Rosellano, cum omnibus suis ut prædictum est de Lucense monasterio, præstant XV solidos auri lucanos denarios VIIII. Et due curtes quæ vocantur Piscaria, et Flacianum cum caio suo qui dicitur tertio, una cum monasterio sanctæ Iulie necnon et villa magna et fossa que vocatur Flexu, cum omnibus eis pertinentibus posite sunt præfato territorio Rosellano, præstant X solidos auri lucanos denarios VIIII. Curtis in integro quæ dicitur Campaniaticum vel Capetiaticum cum ecclesia sancti Iusti. Villa que dicitur Castelione cum omnibus eis pertinentibus, posite sunt in territorio Rosellano, præstant X solidos auri lucanos denarios VIIII. Item monasterium sancti Petri in territorio Pisano, in loco qui dicitur Guada, cum omnibus suis, præstant X solidos auri in auro denarios VIIII. Item in alio tomo cui præscriptus Papa B leguntur posita esse in comitatu Lucano et

in comitatu Cornino, et in comitatu Rosellano, et in comitatu Pisano, hæc patrimonia beati Petri, et ab eodem locata. Idest curtis quæ dicitur Barrianum, et Carpanianum, cum castello suo, et curtis vada iuxta mare, et pimstellum et Valentina, terra quæ ponitur inter Arno et Armice, et Massa quæ ponitur in terra quæ ponitur in Policano et terra Inbincentale et Maxe, terra in Saltuplo, massè in Carrara, maxè et terra a Saltopplo, terra a vico Solaro, terræ et massæ in terra insexto, terra in Brancano, masse et terre quæ ponuntur in terra Indimizano, terra in Fundanio, terra in Tinpaniano, terra in decimo, terra in Leoiana, terra in Pastino, massæ in Avanæ et masse in Roio, massæ et terra in convalli, terra et masse in terra et masse in Lacumnæ, massæ et terræ in sive in Carbassano, vel in Bubiliano, sive sancti Petri in Cisarana cum omnibus suis pertinentiis, villa Miliana, et villa Ariana, villa in Bargano seu in Gluza, in villa maiore, in Bacano, in Fascana, et curte in Castellione, villa a colle Liquano, massæ in Caricino, masse in Roio, masse in Cassatico, curtis Cesarana cum æcclesia sancti Andreæ, et curtis quæ dicitur vicus et æcclesia sanctæ Rufinæ cum curte sua, et curtis Piscaria in integro, et curtis de Campaniatico, massæ et terre in Cascana seu in seu in Petroniono, in castello de Carfiniano, curtis in Ursiano, masæ quæ dicuntur Grisomo lecio quæ ponuntur inter paternum et in Cauriniana, vi in inceriliana, in granio, in graniana et alia graniana in curtis Foloniana cum suis pertinentiis, curtis in Coscimiano, curtis in et in lactaria cum introitu et exitu earum, et cum omnibus ad omnes suprascriptas cintes et terras generaliter in integro pertinentibus. Item in quodam tomo carticio, qui est in cartulario iuxta Palladium, legitur Papam Benedictum locasse civitatem et comitatum Suanensem, cum castellis, et villis et omnibus suis pertinentiis. Et civitatem comitatum Rosellensem cum villis et castellis et suis pertinentiis et districto et placito et cum omni datione et redditu suo, præstat unaquæque civitas LX solidos. Item in alio tomo eiusdem cartuarii legitur VII Papam Bonifatius locasse castellum petra pertusa, cum omnibus ei pertinentinentibus cum placito et districto eorum, et glandatico, et her-

batico, tam de eodem castello, quam de villis ad se pertinentibus, situm est in territorio silvæ candidæ, præstat annue X auri solidos. Item in alio carticio tomo Lateranensi legitur Burianum situm in comitatu iuris beati Petri esse cum castellis, et villis, et æcclesiis, silvis, et terris, seu lacu, et omnibus ei pertinentibus. Item invenitur in alio tomo Papam B. locasse cuidam comiti Ariminensem comitatum cum omnibus suis pertinentiis, una cum æcclesia sanctæ Mariæ quæ dicitur in turre muro, cum omnibus, et cum plebe sancti Paternianum in integro quæ est iuris sanctæ Mariæ quæ dicitur in turre novo. Similiter æcclesiam sanctæ Mariæ quæ dicitur in Argumino, cum cella sancti Theodori in integro cum omnibus et sanctum Georgium in integro qui est positus iuxta forum publicum, cum omnibus suis, simulque territorium integrum quod est castri Conchæ, cum suis publicariis, et armamaniis et ecclesia sancti Stephani. Et medietatem de comitatu Pensauro, cum publica et armariis suis infra civitatem ipsam, vel foris positis quantum ad medietatem ipsius comitatus pertinet, sicut dividitur a fluvio qui dicitur flolia usque ad fluvium qui dicitur Taullus, cum omnibus ad hoc pertinentibus. In comitatu Orbinensi, plebem sancti Petri quæ dicitur in Arsicio et plebem sancti Gaudentii. Est vero pensio prædictarum æcclesiarum LX solidorum denarii papiensium exceptis comitatibus et eorum pertinentiis. Item in quodam carticio privilegio invenitur nonus Leo Papa locasse comiti Anconitano præfatum comitatum Ariminensem et præfatas eius æcclesias et castrum Concha, et fundum qui dicitur sala, qui est iuxta plebem sancti Iohannis, quæ dicitur in Rufio. Item in alio invenitur iuris beati Petri esse palatium Ariminense cum capella sancti Nycolai iuxta posita, et curtis de Campo longo cum turri sua, et castrum magnum latum cum curte et apendicibus suis, et monasterium sanctæ Mariæ in Arbulici cum curte et apendicibus suis, et curte eternano, et castrum Arcinianum cum curte, et castrum Mazina cum curte, et medietas castri Erucis, cum IIII mansis, et castrum paternum, et quæcumque locata fuerunt a Romanis Pontificibus cuidam Marociæ comitissæ Ari-

minensi, et matri eius Sibillæ sicut legitur in tribus cartis armarii Lateranensis Palatii. Item in alio tomo sub Iohanne XV Papa Dagomæ iudex et Ote senatrix, et filij eorum Misicam et Labertus nescio cuius gentis homines puto autem Fardos fuisse, quoniam ipsi a IIII iudicibus reguntur, leguntur beato Petro contulisse unam civitatem in integro quæ vocatur Schinesghe, cum omnibus suis pertinentiis, infra hos affines, sicuti incipit a primo latere longum mare, finebruzze usque in locum qui dicitur russe, et fines russe extendente usque in craccoa et ab ipsa craccoa usque ad flumen Odde, recte in locnm qui dicitur alemure et ab ipsa alemura usque in terram Milze, recte intra Oddem et exinde ducente iuxta flumen Oddera usque in prædictam civitatem Schinesghe. Item in alio tomulo leguntur locata fuisse a patrimonio Romanæ ecclesiæ in comitatu Perusino, idest massa de Fascano, massa de Corgnolo. Massa de filiunci, massa de pusculo, massa sanctæ Margaritæ, massa de agelione, massa de morgialla, massa de caliano, massa sancti Georgii, maxa iuxsta lunani, massa de monte teuzo, massa sub daano. Massa iusta riam, massa sanctæ Mariæ in Petroio, massa de tauliana, massa vinea longa. Massa rancolfi, massa de arne, cum castellis, villis, silvis. Massa iuxta civitatem Perusinam, massa de monte alto, massa de mantiignana, massa de monte passignano. Massa de ancagianula. Lacus integer cum tribns insulis. Massa de miliano et sigilla. Massa supporta solum, quam detinent Canonici sancti Laurentii. Massa intentionosa. Item in alio carticio tomo legitur VII Gregorium Papam locasse castrum Abininum, situm in Narniensi comitatu, cum terris, vineis, silvis, pratis, pascuis, montibus, collibus, aquis, rivis, puteis, cum omnibus suis pertinentiis, intus et foris, cultis et incultis. Est autem situm inter hos affines. Ab uno latere rivus qni dicitur laia, ab alio terra poponis suorumque consortium. A tertio latere via asinaria quæ dicitur ad montem mori. A IIII latere criptulæ a via quæ ducit ad sanctum Silvestrum et usque in terram carvisem præstat annuatim palatio Lateranensi in Kalendis novembris, de nnaquaque domo denarios maiores quidem VI me-

diocres IIII minores II licet autem Romano Pontifici si vult domum vel turrim in eodem castro edificare, et pro utilitate, et servitio S. Petri ibidem milites ponentes, quibus oppidani debent pro amore beati Petri adiutorium in omnibus secundum suum posse præbere, ita ut quisquis oppidanorum obstiterit, suorum amissione multetur. Nec licet cuiquam Romano Pontifici a iure beati Petri præfatum castrum auferre, nec præfatum tenore commutare. Debent vero præfati oppidani Romano Pontifici omni tempore gratis expeditionem, conloquium placitum sicut mos est fidelium militum. Item in æcclesia sancti Petri sita in loco qui dicitur Casarchis in comitatu in episcopatu et silva et forestis secus Duronem fluvium, iuris Romanæ æcclesiæ est, data Tarentasiæ a quodam Guidone et uxor eius Aelheida sicut legitur in alio carticio tomo. Item in alio carticio tomo, cui præscriptus est nonus Leo Papa, V' pars monasterii sancti Valeriani, quod situm est in comitatu Olmellò in episcopatu in burgo qui dicitur de rodubio, et quarta pars de omnibus sibi pertinentibus. Debet præfatum monasterium Domnum Papam suscipere, cum XXX militibus nuntium eius cum X et totidem caballis, præstat annuatim in Pascha, II auri solidos. Item in alio tomo carticio in quo præscriptus est secundus Alexander Papa invenitur, iuris beati Petri monasterium montis Magellæ cum omnibus sibi pertinentiis idest monasterium sancti Pancratii, et sancti Clementis, et æcclesia sancti Barbati, et heremo sancti Angeli, et sancti Nicolai cum IIII^or portione de uno portu in integro, qui appellatur a sancto Vito, et heremo in comitatu Pinnensi, et castro Kefalia, et æcclesia sancti Martini, et æcclesia sancte Iustæ cum omnibus suis, sita in pertinentia castri Castilionis, et æcclesia sanctæ Cantianæ et medietatem æcclesiæ sancti Nycolai, site in territorio castri Fare, cum X massis intra dictum castrum, seu molendinis, et æcclesia sanctæ ✠ cum omnibus suis. Item æcclesia sancti Blasii et medietatem æcclesiæ sanctæ Agathæ, et rocca quæ dicitur Penna, et castro fameclano, et item æcclesia sancti Angeli, et sancti Petri cum omnibus eorum pertinentiis, et omnia præfato monasterio Magellæ concessa vel concedenda.

Item in alio carticio tomo legitur sanctus Papa Leo VIIII subdidisse beato Petro monasterium suum situm in Lotharingia in episcopatu ..... consecratum in honorem sanctæ ✠ et domum abbatiæ ipsius, et consecrationem abbatissæ et posuit annuam pensionem persolvendam Sedi Apostolicæ auream scilicet rosam penso duarum unciarum romanarum, aut factam ut fieri solet, aut faciendam. Debet vero mitti VIII die antequam consuetudinaliter feratur a Romano Pontifice. Quæ pensio si postposita fuerit districte exigatur ab abbatissa in consecratione eius. Item in alio carticio tomo et in missali Lateranensis palatii, legitur monasterium in Alamannia quod Sinlezzesaugia dicitur, cum omnibus sibi pertinentiis ditioni et tuitioni Sedis Apostolicæ subditum esse, et Abbas illius loci consecratur a Romano Pontifice cum dalmatica et sandaliis, interventu imperatoris Octonis. Debet pensionis nomine in sui consecratione codicem sacramentorum I epistolarum I evangeliorum I equos albos II, habet privilegia a Romano Pontifice. Item in alio legitur iunior Agapitus locasse Waldum qui dicitur Catilianum cum castello suo civitella, et turre sua, et ecclesia sancti Laurentii, et vocabulum eiusdem Valdi. Idem colle de manno, silva de longara, colle de gripta, Filetri et terra quæ dicitur Camisili, vel quibus aliis nominibus nuncupantur, et cum omnibus finibus eorum et cunctis eis adiacentibus, et portum fluminis tyberis, et aquæ eius usque ad dimidium pelagi fluvii, sicut ipse Waldus designat, et omnibus ad eum pertinentibus. Positus est vero inter sabinense et utriculanum territorium, inter affines ab uno lateræ laia quæ dicitur Bota. IIII. A II casale Servilianum et Paternum. A III confinium limitis Waldi insule. A IIII per medium fluvium, super pensione trium solidorum auri. Item in alio, Iohannes XII Papa locat fundum Fauriscum situm in territorio Outriculano, cum omnibus suis pertinentiis præstat annuæ V solidos auri. Hæc ex tomis patriarchii Lateranensis. Honorius vero in suo registro Epifanio defensori Tusciæ, legitur locasse massam Gracilianam apud Bleranam civitatem. Idem in eodem Dominico terras et vineas et prata foris portam Flamineam usque ad pontem Molvium sub annua pensione XXX

solidorum auri. Idem in eodem ad Valerianum, et Liberum notarium, Monasterium sancti Angeli in Claiano, apud Firmanam civitatem, iuris beati Petri est. Idem in eodem, ad Munerium notarium, fundum paternum, et gaianum, et ciprianum, et paternum et arbatianum locasse invenitur. Idem in eodem, Gaudioso notario, et Anatholio magistro militum Neapolitanam civitatem regendam committit, cum omnibus ei pertinentibus, et qualiter debent regi scriptis informat. Idem in eodem ad Epifanium, legitur locasse massam Stracesim cum prato suo et omnibus sibi pertinentibus, positam in territorio Centumcellensi. Sed et Gregorius iunior item in suo regit, locat in XXVIII annis Anatholio tribuno fundum Meianula cum casis et vineis et omnibus suis pertinentiis, ex corpore massæ Peltiane territorio Anagnino, patrimonio Lavicano, sub annua pensione præstat ϵ sq. siliquas auri. Idem in eodem. Exhilarato et Gaudioso locat ut supra casale, pondera Agellione, et casale Pompeianum, Caleianum, et fundum Fortunæ, positos territorio foro Claudiensi, ex corpore massæ, tusciæ, suppensione ɑ v. auri solidos. Idem in eodem. Constantinæ honeste feminæ locat ut supra fundum Salianum, cum omnibus suis pertinentiis, situm in territorio Cesinate, ad montem qui dicitur Lucati, ab uno latere situm iuxta fundum Carbasianum, ab alio, fundum Anianum, a tertio latere fundus qui dicitur Gumaris, ex corpore patrimouii Ravennatis, iuris Romanæ æcclesiæ præstat annuatim ɑι auri solidos. Idem in eodem. Lupicino presbytero, duo monasteria, silicet sancti Leonis confessoris et pontificis, et sancti Severini, sita intra castrum monte Feretro, cum omnibus eis pertinentiis. Idem in eodem locat Blando, ut supra, massam iuniorum patrimonio Lavicano sub annua pensione ɑsq. auri solidorum. Idem in eodem. Eustachio presbytero, fundum casa cantari et fundum vivarium, ex massæ corpore silanis et VI uncias fundi Lauretis cum Oliveto suo, ex corpore prædicte massæ præstantes pensionem ϖιιι m. auri solidos, sed et fundum Marcianum, ex corpore massæ Gallorum, patrimonio Lavicano, præstantem ʌ auri siliquas, et coloniam sitam in fundo Offiliano cum prato et saliceto suo præstantem ϖrq. auri siliquas, ex corpore massæ

neviane, patrimonio Appiæ. Idem in eodem. Leoni notario et Leontiæ iugalibus, eorumque filiis ac nepotibus fundum Ripacesarium, cum silvis, glandaretis, et terris sationalibus situm via Aurelia mill. plus minus X ex corpore suburbani patrimonii Tusciæ, præstat annuatim ɑr auri siliquas. Idem in eodem Bonifatio notario, seu Claudiæ iugalibus, eorumque filiis ac nepotibus fundum Coccianum et Folianum, ex corpore massæ Fonteianæ, patrimonii Appiæ, præstant annuæ ɔııs auri solidos. Idem in eodem, eisdem fundum Gratinianum, et fondum Rosarium, cum domibus et vineis, sita ab urbe mil. plus minus VII coerente sibi ab uno latere fundo canneolo, ab alio casale miliariolo, a tertio casale Faustini, iuris Romanæ æcclesiæ, ex corpore patrimonii suburbani Tusciæ, præstant annuæ ɔ auri solidos. Idem in eodem. Gennadio tribuno et Luciæ, et ex eorum amplexu filiis ac nepotibus fundum Porcianum, et Leonianum, et fundum Grecorum, et Tutitianum, via Clodia, mill. plus minus VIIII ex corpore patrimonii Tusciæ cıı auri solidos. Idem in eodem. Stodiosæ tribunæ, seu Petro ingalibus eisdemque Petri filiis et nepotibus fundum Serrulas, fundum Sisinianum, ex corpore masse Silanis, patrimonio Lavicano, præstant annue ɔııs x auri solidos. Idem in eodem. Annæ religiosæ, et aliis duabus personis fundum argenti verclanum, Lugeranum, Collibertorum, Toleranum, præstantes ıı auri solidos, et fundum Truci Trasissessanum et Possessianum, præstantes ɑ auri solidos ex corpore massæ Sabinensis via tiburtina, mill. ab urbe plus minus X ex corpore patrimonii tiburtini. Idem in eodem Heraclio præposito coquinæ dominicæ fundum Casasiri ex corpore massæ pro cultu, patrimonii Lavicani, præstat ...... auri solidos. Idem in eodem. Gemulo militi, fundum Mauricis, fundum via nova, via Prænestina, mill. plus minus VIIII, ex corpore massæ Varvariane patrimonium Livicani præstant ɑııı auri solidos. Idem in eodem. Care Religiosæ, coloniam quæ dicitur Pofinis via lata, mill. ab urbe plus minus XII post absidam basilicæ sancti Petri intra massam Marulis præstat ɔı auri solidos. Item in eodem. Eustathio presbytero, monasterium sancti Martini situm in Surrento

cnm omnibus ei pertinentibus. Idem in eodem. Iohanni consuli, fossam quæ dicitur Vaianicum iuxta campum Veneris, mill. ab Urbe Roma plus minus XX ex corpore massæ Forteiane, patrimonii Appiæ, præstat auri solidos. Idem, monasterium sancti Silvestri in monte Soracte imperpetuum, fundum Scantianum, ex corpore massæ Castellianæ, patrimonii Tusciæ suppensione ᴀ ᴎ siliquarum auri. Idem in eodem Petro magnifico tribuno, coloniam positam in massa Pauli, ex corpore patrimonii Appiæ, præstat annue ᴀᴌq auri solidos. Idem in eodem. Basilio v. h. coloniam Alvini, ex corpore massæ Ocris, patrimonium Appiæ, in Aricia, præstat annue ᴀıı auri solidos. Idem Georgio presbytero, fundum crispinis et amonetis, via Lavicana mill. plus minus XIII ex corpore massæ fistis patrimonio Lavicano præstat annuæ ᴀı auri solidos. Idem in eodem. Gemulo diacono, fundum Dometiorum, via Ardeatina mill. plus nimus VIIII ab urbe Roma ex corpore suburbani patrimonii Appiæ, præstat annuæ ᴕsq auri siliquas. Idem in eodem. Sergiæ h. f. fundum Severianum, ex corpore massæ iuniorum patrimonii Lavicani, præstat annuæ ᴕıı auri solidos. Idem in eodem. Diaconie sancti Eustathii imperpetuum fundum clivus fundum Querquetum, et Placonianum ex corpore massæ Calcianæ, patrimonii Lavicani, præstat annuæ ᴕıısq auri solidos. Idem in eodem Anastasio comiti, fundum launam ex corpore massæ laurentianæ, præstant annuæ ᴕıısq auri solidos, et fundum Toranianum, et ex corpore massæ Citrasensis, utrumque patrimonii Caietani, præstantes annuæ ᴕıısq auri solidos. Idem in eodem. Monasterium sanctæ Agnes, quæ dicitur dua forna, massam Marnli, et massam Sestianam, utrasque patrimonii Appiæ præstant annue ᴕ quinque auri solidos. Idem in eodem. Theodoro consuli in annis XXVIIII insulam Capris cum monasterio sancti Stephani, cum omnibus sibi pertinentibus, præstat annuæ in auro quidem solidos CVIIII iunimegaricos C. Item in eodem. Theodoro consuli casale quod dicitur Castro maiore, quod præstat annue ᴕıısq auri solidos, et casale qui dicitur Ninfise, sita utraque infra insulam Capris, patrimonii Neapolitani præstat annue ϑᴎ auri solidos.

Idem in eodem. Matrone religionæ (*sic*) diaconisse eiusque filiis ac nepotibus locum qui dicitur Icaonia ex corpore patrimonii Campaniæ Neapoli præstat annue auri solidos. Idem in eodem. Eustathio presbytero fundum Laurentium, et fundum Inaurorum, extra portam sancti Pancratii via Aurelia, ex corpore fundi suburbani patrimonii Tusciæ, præstat annue ᴧx auri solidos. Idem in eodem. Diaconiæ sancti Eustathii imperpetuum, fundum Cervinariola, fundum Caldariola, præstantes ɷı auri solidos, fundum Pompilianum, fundum Paganum, fundum Lamponianum, fundum Signioba, fundum Pompeianum, fundum Gavianum, fundum Caprolanum, fundum Veranum, fundum Calechianum, fundum Constantianum, fundum Camarellum cum casalibus et apendicibus suis præstant ᴧııı auri solidos, fundum Larintias,, fundum Pavianum, fundum Lamponianum ɷı auri solidos præstantes, fundum Constantianum præstans ᴧ⋌ auri siliquas, fundum Ricchianum præstantem ɷ⋌ auri siliquas et casale Torianum, fundum Servilianum, fundum Natianum, fundum Ruscellum, fundum Silicella, fundum Gregorianum, fundum. Cassamontis, fundum Gaianum præstantes ɷıı auri solidos, fundum Saxonigro præstantem ɷs auri solidos, omnes ex corpore massæ Calcianæ, fundum Pigrinum, fundum Casanova, fundum Turritanum, fundum Iaganum, fundum Calabrilacanum, fundum Trivicianum præstat ɷ auri solidos posita in Apie ex corpore maxæ Pontianæ, patrimonii Lavicani, et massam Furanianam cum fundo et casalibus et omnibus suis, fundum Pacutianum, fundum Ancurianum, fundum Casagallorum, fundum Furanianum, fundum Filanum, fundum Arelis, fundum Fatianum, fundum Scandilianum, fundum Barbatianense, fundum casa Herclanea, fundum Serenianum, fundum Casa tuscis, fundum casa Laucini, fundum Casnarntellis, fundum Casavini, fundum Casasimiama, fundum Iussianum, fundum Cetinianum, fundum Causavaleriana, fundum Pinianellum, præstant ɷv auri solidos, et aureum I ex corpore maxæ Aliane patrimonium Tiburtini, præstant annue ɷxIııs solidos. Idem in eodem. Theodoxiæ h. f. fundum Antinianum cum omnibus suis via, Appia milliar. ab urbe Roma plus

minus XX ex corpore massæ Nevianæ, patrimonium Appiæ præstat ɷı auri solidos. Idem in eodem. Theodoxio consuli monasterium sancti Pancratii situm extra castrum Mesenate et lacum in annos XXVIII. Idem Genesiæ h. f. fundum Capitonianum, fundum Dostianum, fundum Viricaria, fundum Tatianum cum omnibus suis, et iam et aquimodis posita in massa Camustis, iuxta campum Barbaricum et corpore patrimonii Appiæ præstat ɷ9 auri solidos et vini decimatas LXXX in præsentia missi Paracellarii. Idem in eodem. Calæ h. f. coloniam massæ Cilianæ, patrimonii Appiæ, præstat ɷrq auri solidos. Idem Anualdo tribuno fundum Casamaior et Longoicianum ex corpore patrimonii Lavicani, territorio Prænestino, mill. ab Urbe Roma minus plus XXI præstat ɷsq auri solidos. Idem in eodem. Mamalo, fundum Funianum via Prænestina miliario plus minus XV ex corpore massæ Alianæ, patrimonio Tiburtino, præstat vııı auri siliquas. Item in eodem. Stephano exconsuli, fundum Flabis, et fundum Horrea, sita V mill. ab urbe Roma via Latina, præstat ıı aureos. Idem in eodem. Leontio militi, fundum Aunias, et fundum Spatianum, sito via Numentana, mill. ab urbe Roma plus minus XI præstat XI ııı auri solidos. Hæc Gregorius iunior. Zacharias vero in suo item registro locat Philiacario comiti massam Pelagianam, patrimonium Lavicanum, præstat ɷıı auri solidos. Idem in eodem. Christoforo massam Gallis, cum omnibus suis pertinentiis, et fundum digitorum et fundum Gabus cum lacu et fundum Motiorum, fundum Barbulianum, qui et sentianus, fundum Lucretianum qui et Musta, fundum Lampadiorum qui et Furnellus, fundum Flavianum qui et Casamonachorum, fundum Medianam, fundum Formicis, fundum Aurefilis sitos in Bursano territorio Gabinate ex corpore patrimonii Lavicani præstat ɷıııı auri solidos. Idem in eodem. Alfio militi, fundum Familicanum in annos XXVIII ex corpore massæ Appianæ, patrimonii Lavicani præstat ɷs auri siliquas. Idem in eodem. Theodoro notario, casale casula et Testianum præstantes ɷ auri solidos et fundum Teganellum præstat ɷq* auri solidos, et fundum Quadrantula præstat ɷv auri siliquas ex corpore

Talassa rotis et fundum Ampitheanornm ex corpore massæ Piranæ præstat ɷ anri solidos, et campum positum in Scauriis præstat ɷϰ auri siliquas, et terram vacantem foris muros castri Caietani ɷϰ auri siliquas omnia ex corpore patrimonii Caietanibus, iuris Romanæ æcclesiæ præstant omnia ɷιιϰ anri solidos. Idem in eodem. Hysidoro fundum Sororum, et fundum Virorum via Lavicana mill. plus minus XIIII præstat ɷιι auri solidos. Idem in eodem. Urso fundum Ananvilas, cum apendice sua, cucunulis, qui et corcorulis et tabernale, posita in civitate Tiburtina, ex corpore massæ intromuranc, patrimonii Tiburtini præstat ɷιι auri solidos. Hæc Zacharias. Septimus vero Papa Gregorius in VI libro sui regesti dicit. Castrum quod dicitur Moricicla beati Petri esse situm in ducatu Spoletino, inter Muricem et Clarignanum in plebe de Luzano, ex reditione Gisleri, sub usufructu vitæ suæ, et filii sui, et legitimorum filiorum eius. Item ex primo eiusdem cap. LXVI. Croscientis æcclesia in episcopatu Sistoricensi in comitatu.... beati Petri est. Item in eodem cap. XVII legitur beatus Egidius iuri beati Petri subdidisse monasterium suum et abbates eius consecrationem. Item in eodem libro II cap. XV legitur monasterium Pultariense in Burgundia in episcopatu Lingonensi, inris beati Petri esse. Item in eodem cap. XVIII. Monasterium Dolense in Aquitania, in Archiepiscopatu Bituricensi iuris beati Petri esse legitur. Item e libro VII cap. LXX legitur beatus Giraldus monasterium suum situm in Arvernia loco qui dicitur Aureliacus, beato Petro tradidisse sub annua pensione X solidorum. Item ex eodem, cap. LXXV monasterium Salvatoris in Svevia, in episcopatu Constantiæ, in villa quæ dicitur Scaphusa, solvit annuatim aureos XII quorum XX unciam faciunt. Item ex VIII libro cap. XXVIIII monasterium quod dicitur mons maior, situm in Provincia, et monasterium sanctæ Mariæ de Crassa, in archiepiscopatu Narbonæ, iuris beati Petri leguntur, et commissa sub tutela Abbatis Maxiliæ qui regulariter promovetur. Item in eodem cap. XXX ecclesia Sancti Petri in episcopatu Pictaviensi, in villa Mascarans, a suis conditoribus Romanæ Ecclesiæ tradita est, et unaquæque domus eiusdem villæ solvit annuatim VIII denarios Pictavenses.

CL.

Alexander episcopus servus servorum Dei Svein regi Danorum inter cætera. Quapropter prudentiam tuam admonemus, ut censum regni tui quem antecessores tui sanctæ Apostolicæ Sedi persolvere soliti sunt, nobis et successoribus nostris transmittere studeas. Ita tamen ut non sicut oblatio super Altare ponatur, sed ut supra diximus tam nobis quam successoribus nostris ut certius abprobetur præsentaliter offeratur. Idem Gilillelmo regi Anglorum inter cetera. Novit prudentia tua Anglorum regnum ex quo nomen Christi ibi clarificatum est, sub Apostolorum Principis manu et tutela extitisse, donec quidam membra mali capitis effecti, zelantes superbiam patris sui satane, pactum Dei abiecerunt, et Anglorum populum a via veritatis abverterunt. Et paulo post. Nam ut bene nosti, donec Angli fideles erant, pie devotionis respectu ad cognitionem religionis annualem pensionem apostolicæ sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars æcclesiæ sanctæ Mariæ quæ vocatur scola Anglorum in usum fratrum deferebat. Gregorius VII eidem Guillelmo inter cetera. Rebus vero sancti Petri quæ in Anglia colliguntur, sic te ut tuis invigilare monemus, sic liberalitati tuæ ut tua committimus, ut pium et propitium debitorem Petrum reperias, et euntibus ex debito subvenire admoneas. In eodem regesto Alexandri. Raimundus Guillelmi comes Urgellensis, obtulit beato Petro in præfato comitatu duo castra unum dicitur Lobariola et alterum Saltevola suppensione IIII unciarum auri, ea conditione, ut posteri eiusdem comiti accipiant de manu Romani Pontificis præfata castella, et ab eodem anathemate feriantur, quicumque ab eisdem eadem auferre temptaverint. Huius autem annuæ pensionis exauctor et beati Petri actionarius est abbas monasterii sancti Pontii, quod est iuris beati Petri sytum in diocesi Narbonensi. Ex registro Gregorii VII Papæ lib. VIII cap. XXIII. Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nostris, Petro Albanensi Episcopo et

Gisulfo Principi Salernitano, legatis nostræ Sedis Apostolicæ in Gallias inter cetera. Dicendum est omnibus Gallis, et per veram obedientiam præcipuendum, ut unaquæque domus saltem unum denarium viritim annuatim solvant beato Petro, si eum recognoscunt patrem et pastorem suum more antiquo. Nam Carolus Imperator sicut legitur in tomo eius qui in archivo ecclesiæ beati Petri habetur, in tribus locis, annuntiatim colligebat mille et CC libras ad servitium Apostolicæ Sedis idest Aquisgrani, apud podium Beatæ Mariæ, et apud Sanctum Egidium, excepto hoc quod unusquisque propria devotione offerebat. Idem vero magnus Imperator Saxoniam optulit beato Petro, cuius eadem vice adiutorio, et posuit signum devotionis et libertatis sicut ipsi Xaxones habent scriptum, et prudentes illorum satis sciunt. Item ex regesto eodem lib. II cap. XIIII. Gregorius Episcopus Salomoni regi Ungarorum inter cetera. Sicut a maioribus patriæ tuæ cognoscere potest, regnum Ungariæ sanctæ Romanæ ecclesiæ proprium est, a rege Stephano olim beato Petro cum omni iure et potestate sua oblatum et devote traditum. Preterea Heinricus pie memoriæ imperator, ad honorem sancti Petri regnum illud expugnans, victoria adepta, ad corpus beati Petri lanceam et corouam eius transmisit, et pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum eius dignitatis attinere cognovit. Que cum ita sint, ut tamen ius et honorem sancti Petri quantum ad te imminuisti, dum eius regnum a rege Teutonicorum in beneficium sicut audivimus accepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam beati Petri aut nostram benivolentiam sperare debeas, tu ipse si iustitiam adtendis, non ignoras, videlicet te non eam abiturum, nec sine apostolica animi adversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni quod tenes correcto errore tuo, apostolicæ, non autem regiæ maiestatis beneficium recognoscas. Neque nos timore vel amore vel aliqua personali acceptione, quantum Deo adiuvante poterimus, debitum honorem eius cuius servis sumus inrequisitum relinquemus. Verum si hoc emendare, et vitam tuam, ut regem decet instituere Deo miserante volueris, procul dubio dilectionem sanctæ Romanæ ec-

clesiæ sicut dilectissimus filius et nostram in Christo amicitiam plene habere. Idem in eodem ad Geusam Ungariæ regem cap. LXIII inter cetera. Notum vero tibi esse credimus, regnum Ungariæ sicut et alia nobilissima regna, in proprie libertatis statu deberi esse ut nulli regi alterius regni subiici nisi sanctæ et universali matri Romanæ ecclesiæ, quæ subgectos non habet ut servos sed ut filios. Quod quia consanguineus tuus a rege Teutonico non a Romano Pontifice usurpative obtinuit dominium eius ut credimus, divinum iudicium impedivit. Idem in eodem ad eumdem cap. LXX inter cetera. Verum ubi contemptor nobili Domino beati Petri Apostolorum Principis cuius regnum esse prudentiam tuam non latet, rex subdidit se Teutonico regi, et reguli nomen optinuit, dominus autem iniurio suo illatam principi prævidens potestatem regni suo ad te iudicio transtulit. Et ita consanguineus tuus si quid in obtinendo regno iuris prius habuit, a se sacrilega usurpatione privabit. Petrus enim a firma petra dicitur, quæ portas inferi confringit, atque adamantino rigore destruit et dissipat quicquid obstitit. Idem in eodem Demetrio regi Ruscorum et reginæ uxori eius inter cetera cap. LXXXIIII. Filius vester limina Apostolorum visitans ad nos venit et quod regnum illud dono Sancti Petri per manus nostras vellet optinere, eidem beato Petro Apostolorum Principi fidelitate exhibita devotis precibus postulavit, indubitanter asserens illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si apostolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur. Cuius petitionibus quia iuste videbantur, tum ex vestro consensu, tum ex devotione poscentis tandem assensum præbuimus, et regni vestri gubernacula ex parte beati Petri illi tradidimus, ea videlicet intentione caritatis, ut beatus Petrus vos et regnum vestrum in sua apud Deum intercessione custodiat. Item quod regnum Hyspaniæ, iuris beati Petri sit cognoscitur ex regesto eiusdem VII Gregorii lib. I cap. VII° et ex IIII lib. cap. XXVIII quod ita se habet. Gregorius Episcopus servus servorum Dei Regibus, comitibus, ceterisque principibus Hyspaniæ, inter cetera. Præterea notum vobis fieri volumus, quod nobis quidem

tacere non est licitum, vobis autem ad præsentem et ad futuram gloriam valde necessarium, videlicet regnum Hyspaniæ ex antiquis constitutionibus, beato Petro et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in ius et proprietatem traditum esse. Quod nimirum hactenus et præteritorum temporum incommoda, et antecessorum nostrorum tacuit neglegentia. Nam priusquam regnum illud a Sarracenis pervasum est, et servitium, quod beato Petro inde solebat fieri, propter infidelitatem eorum et tirannidem detentum ab usu nostrorum tot annis interceptum est, pariter etiam rerum et proprietatis memoria dilabi cepit. Verum quia divina clementia concessa vobis in hostes illos semperque concedenda victoria terra in manus vestras tradi debet ulterius vos causam hanc ignorare nolumus neque supernus arbiter legum ac iustitiæ creditor, de recuperanda iustitia et honore beati Petri eiusque sanctæ et apostolicæ Sedis gloriæ vestræ ad benemerendum contulit, aut nobis ex taciturnitate in neglegentiæ culpam, aut vobis ex ignorantia quod absit ad detrimentum propositæ et divinitus oblate retributionis obveniat. Et cetera. Ex synodo habita in Dalmatia a Legatis VII Papae Gregorii scilicet a Gebizone tunc monasterii sanctorum Bonifatii et Alexii Abbate, nec non et a Folenino Forosimpronii Episcopo quæ synodus habetur in archivo sacri Palatii Lateranensis in qua de regno et rege Dalmatiæ ita inter cetera legitur. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis anno Dominicæ Incarnationis M LXXVI. Indictione XIIII mense Octobri. Ego Demetrius qui et Suinimir nuncupor Dei providentia Chroaciæ Dalmatiæque dux a te domne Gebizo ex Apostolicæ Sedis legatione Domini Nostri Papæ Gregorii potestatem optinens in Salonitana basilica sancti Petri sinodali et concordi totius cleri et populi electione, de Chroatorum Dalmatinorumque regni regimine, per vexillum, ensem, sceptrum et coronam investitus atque constitutus rex, tibi devoveo, spondeo et polliceor me incomutabiliter completurum omnia quæ mihi tua reverenda iniungit sanctitas. Videlicet ut in omnibus et per omnia apostolicæ sedi fidem observem, et quidquid hoc in regno tam Apostolica sedes quam sui legati sanxerunt aut sanxerint, inrevin-

cibiliter custodiam, iustitiam excolant, ecclesias defendant, primitiæ, decimæ, omniumque ad ecclesias pertineutium procurator existam, vitæ episcoporum, presbiterorum diaconorum subdiaconorumque ut caste et regulariter vivant provideam, pauperes, viduas, atque pupillos protegam, parentelæ inlicitam copulam destruens, legitimam, dote, anulo, sacerdotisque benedictionem constituam et constituta corrumpi non permittam, hominum venditionem contradicam, atque in omnibus que ad rectitudinem status congruunt, Deo auctore me æquum exibeam. Ducentorum quoque bizantiorum tributum, meorum omnium consulto primatuum sancto Petro per singulos annos in resurrectione Domini, de mihi concesso regno persolvendum statuo, et ut post me regnaturi hoc idem perpetuo servent, censeo, corroboro, atque santio. Dono insuper concedo, atque confirmo apostolicæ Sedi sancti Gregorii monasterium, cui Urana est vocabulum cum omni suo thesauro scilicet cum capsa argentea reliquias sacri corporis eiusdem beati Gregorii contineute, cum duabus crucibus, cum calice et patena, cum duabus coronis aureis gemmis ornatis, cum evangeliorum textu de argento, cumque omnibus suis mobilibus et immobilibus bonis, ut Sancti Petri legatis, semper sit ad ospitium, et omnino in potestate eorum. Hoc tamen interposito tenore, ut nulli alii potestati detur, sed omni tempore sancti Petri sit proprium et a me meisque successoribus defensum atque ab omni homine liberum et securum. Cuiuscumque autem audacia temerario ausu præfatum monasterium ex assignato thesauro privaverit, terribilem illam iudicis vocem quam diabolus cum suis angelis auditurus est audiat. Præterea cum Deo servire regnare sit, vice beati Petri et Domini nostri Papæ Gregorii atque post se sessuros in Apostolica sede me tuis manibus committo et committendo, hanc fidelitatem sacramento stabilio. Ego inquam Demetrius, qui et Suinimir Dei gratia et Apostolicæ Sedis dono rex ab hac hora in antea Sancto Petro et Domino meo Papæ Gregorio suisque successoribus canonice intrantibus ero fidelis, et ut ipse sive post eum futuri pontifices sive legati eorum vitam ac membra perdant, aut capiantur, neque in consilio neque

in facto ero, et consilium quod mihi crediderint ad illorum damnum scienter nulli intimabo. Regnum autem quod mihi per manum tuam Domne Gebizo traditur, fideliter retinebo et illud suumque ius Apostolicæ Sedi aliquo ingenio aliquando non subtraham: Dominum meum Papam Gregorium et suos successores atque legatos, si in meam potestatem venerint, honorifice suscipiam, tractabo et remittam, et undecumque me invitaverint prout potero et in quibus potero, eis iustite simpliciterque serviam. Item in quodam tumulo (*sic*) Lateranensi inter cetera. Speciocneus dux Boemiæ accepit licentiam a Papa Nicolao sibi portandi mitram, et promisit se daturum omni anno C libras argenti de terra sua sub nomine census.

In nomine Domini Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Ludovicus Imperator Augustus, statuo et concedo per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi beato Petro Principi Apostolorum et per te Vicario tuo Domno Paschali summo Pontifici et universali Papæ et successoribus eius in perpetuum, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestram potestatem et ditione tenuistis et disposuistis civitatem Romam cum ducatu suo et suburbanis atque viculis omnibus et territoriis eius, montanis, ac maritimis, litoribus, ac portubus seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac viculis in Tusciæ partibus, idest Portum centumcellarum, Chere, Bledam, Manturanum, Sutrium, Nepe, Castellum, Gallisem, Hortem, Polimartium, Ameriam, Todem, Perusium cum tribus insulis suis, idest maiorem et minorem Pulvensim, Narniam, Utriculum cum omnibus finibus ac territoriis ad suprascriptas civitates pertinentibus. Simili modo in partibus Campaniæ, Segniam, Anagniam, Furentinum, Alatrum, Patricum, Frisilunam cum omnibus finibus Campaniæ, nec non Tyburim cum omnibus finibus ac territorio ad easdem civitates pertinentibus. Nec non et Exarchatum Ravennatem sub integritate, cum urbibus, civitatibus, oppidis, et castellis quæ pie recordationis Domnus Pipinus Rex ac bone memoriæ genitor noster Carolus imperator beato Petro Apostolo et prædecessoribus vestris iam dudum per donationis paginam restituerunt, hoc est civitatem Ravennam et Emiliam,

Bobium, Cesenam, Forum pompilii, Forum Livii, Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comiacum et Adrianis quæ et Gabelum cum omnibus finibus, territoriis atque insulis terra marique ad supradictas civitates pertinentibus. Simul et Pentapolim videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forum sempronii, Monte feretri, Urbini, et territorium Valnense, Callem, Luciolis, Eugubium cum omnibus finibus ac terris ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense, sicut a genitore nostro Karolo imperatore beato Petro Apostolo per donationis scriptum conceptum est sub integritate, quemadmodum ab Hitherio et Magenaribus Abbatibus missis illius inter idem territorium Sabinense atque Reatinum definitum est. In partibus idest Tusciæ Langobardorum castellum felicitatis, Urbivetum, Balneum regis, Ferenti, Castrum viterbum, Orclas, Martam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Rosellas, et insulas Corsicam, Martam, Sardiniam, et Siciliam sub integritate sua, cum omnibus adiacentibus ac territoriis maritimis, litoribus, portubus, ad suprascriptas civitates, et insulas pertinentibus. Item in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, et Capuam, et patrimonia ad potestatem et ditionem vestram pertinentia sicut est patrimonium Beneventanum, et Salernitanum, et patrimonium Calabriæ inferioris et superioris, et patrimonium Neapolitanum, et ubicumque in partibus regni atque imperii a Deo nobis commissi patrimonia vestra esse noscuntur. Has omnes suprascriptas provincias, urbes et civitates, opida, atque castella, viculos ac territoria simulque et patrimonia, iamdictæ æcclesiæ tuæ beate Petre apostole, et per te vicario tuo spirituali patri nostro Domno Pascali summo Pontifioi, et universali Papæ, eiusque successoribus usque in finem sæculi, eo modo confirmamus, in suo detineant iure, principatu atque ditione. Simili modo per hoc nostræ confirmationis decretum firmamus donationes, quas pie recordationis Domnus Pipinus rex avus noster, et post ea Domnus et genitor noster Karolus imperator, beato Apostolo Petro spontanea voluntate, contulerunt, nec non et census et

pensiones seu ceteras dationes quæ annuatim in palatio regis Langobardorum inferri solebant, sive de Tuscia Langobardorum, sive de ducatu Spoletino, sicut in suprascriptis donationibus continetur. Et inter sanctæ memoriæ Adrianum Papam et Domnum ac genitorem nostrum Karolum imperatorem convenit, quando idem Pontifex eidem de suprascriptis ducatibus idest Tuscano, et Spoletinò suæ auctoritatis præceptum confirmavit. Eo silicet modo ut annis singulis prædictus census æcclesiæ beati Petri Apostoli persolvatur, salva super eosdem ducatus nostra in omnibus donatione, et illorum ad nostram partem subiectionem. Cæterum sicut diximus omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostræ confirmationis decretum roboramus, ut in vestro vestrorumque successorum permaneant iure, principatu atque ditione, ut neque a nobis, neque a filiis vel successoribus nostris per quodlibet argumentum, sive machinatione in quacumque parte minuatur vestra potestas, aut vobis de suprascriptis omnibus vel successoribus vestris inde aliquid subtrahatur. De supra scriptis videlicet provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territoriis atque patrimoniis, nec non et pensionibus atque censibus ita ut neque nos ea subtrahamus neque quibuslibet subtrahere volentibus consentiamus, sed potius omnia quæ superius leguntur, idest provincias, civitates, oppida, castella, territoria, et patrimonia, atque insulas, censusque et pensiones ecclesiæ beati Petri Apostoli, et Pontificibus in sacratissima illius Sede in perpetuum residentibus in quantum possumus, nos defendere promittimus, ad hoc ut omnia ea in illius ditione ad utendum et fruendum firmiter valeant optineri. Nullamque in eis nobis partem aut potestatem disponendi, vel vindicandi, subtrahendive, aut minorandi vendicamus, nisi quando ab illo qui eo tempore huius sanctæ ecclesiæ regimen tenuerit, rogati fuerimus. Et si quilibet homo de supradictis civitatibus ad vestram ecclesiam pertinentibus ad nos venerit subtrahere se volens de vestra ditione et potestate, vel alia quamlibet iniquam machinationem metuens, aut culpam commissam fugiens, nullomodo eum aliter recipiemus nisi ad iustam pro eo faciendam intercessio-

nem, ita dumtaxat si culpam quam commisit venialis fuerit inventa. Sin aliter comprehensum vestræ potestati eum remittimus, exceptis his qui violentiam vel oppressionem potentiorum passim, ideo ad nos venerint, ut per nostram intercessionem iustitiam accipere mereantur quorum altera conditio est, et a superioribus valde disiuncta. Et quando divina vocatione huius sacratissimæ sedis Pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex regno nostro, aut Francus, aut Langobardus, aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat contra Romanos aut publice, aut private veniendi, vel electionem faciendi, nullusque in civitatibus vel territoriis ad æcclesiæ beati Petri Apostoli potestatem pertinentibus aliquod malum propter hoc facere præsumat. Sed liceat Romanis cum omni veneratione, et sine qualibet perturbatione honorificam suo Pontifici exibere sepulturam, et eum quem divina inspiratione et beati Petri intercessione omnes Romani uno consilio atque concordia sine aliqua promissione ad pontificatus ordinem elegerint sine qualibet ambiguitate vel contradictione more canonico consecrari. Et dum consecratus fuerit, legati ad nos vel ad successores nostros reges Francorum dirigantur, qui inter nos et illos amicitiam et caritatem ac pacem socient, sicut temporibus pie recordationis Domni Caroli attavi nostri vel etiam Domni Pipini avi nostri, seu etiam Domni Caroli imperatoris genitoris nostri consuetudo erat faciendi. Hoc autem ut ab omnibus fidelibus sanctæ Dei æcclesiæ et nostris firmum esse credatur, firmiusque per futuras generationes ac sæcula ventura custodiatur, propriæ manus signaculo, et venerabilium episcoporum, atque abbatum, vel etiam optimatum nostrorum, sub iureiurando promissionibus et subscriptionibus pactum istud nostræ confirmationis roboravimus, et per legatum sanctæ Romanæ æcclesiæ Theodorum nomenculatorem Domno Paschali Papæ direximus.  Ego Hludouuicus misericordia Dei Imperator subscripsi. Et subscripserunt III filii eius, et Episcopi X et Abbates VIII et Comites XV et Bibliothecarius unus et Mansionarius et Hostiarius unus.

Item in partibus Tusciæ Langobardorum castellum Felicitatis, Urbem veterem, Balneum regis, Ferenti, Viterbum, Orclem, Martam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Rosellas, cum suburbanis atque viculis omnibus, et territoriis ac maritimis oppidis, ac viculis, seu finibus omnibus. Itemque Alunis cum insula Corsica. Deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, deinde in Parma, deinde in Regia, exinde in Mantua, atque in monte Silicis, atque provincia Venetiarum et Hystria, nec non et Ducatum Spoletum, seu Beneventanum, una cum æcclesia sanctæ Cristinæ positam prope Papiam iuxta Padum IIII^{or} miliaria. Et infra. De civitate autem Neapolitana cum castellis et territoriis ac finibus et insulis suis sibi pertinentibus sicuti ad easdem aspicere videtur, nec non patrimonium Siciliæ. Simili modo civitatem Caietam, et Fundum, cum omnibus earum pertinentiis. Insuper offerimus tibi beate Petre Apostole Vicarioque tuo Domno Iohanni XII° Papæ et Successoribus eius, pro nostræ animæ remedio, nostrique filii, et nostrorum parentum, de proprio nostro regno civitates et oppida cum piscariis suis, idest Reate, Amiternum, Forconem, Nursiam, Balvam et Marsim, et alibi civitatem Terranem cum pertinentiis suis, has omnes suprascriptas provincias, urbes et civitates, oppida atque castella, viculos ac territoria simul et patrimonia, pro remedio animæ nostræ seu parentum ac successorum nostrorum, et pro cuncto Francorum populo, iam dicte ecclesiæ tuæ beate Petre Apostole et pro te vicario tuo spirituali patri nostro domno Iohanni summo Pontifici et universali Papæ eiusque successoribus usque in finem sæculi, eo modo confirmamus, ut in suo detineant iure, principatu, atque ditione. Et infra. In lectione vero Romanorum Pontificum, neque liber neque servus ad hoc venire præsumat, ut ille Romanis quos ad hanc electionem per constitutiones sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram constitutionem præsumpserit exilio tradatur. Insuper etiam, ut nullus missorum nostrorum cuiuscumque impeditionis augmentum componere in præphata electione audeat, omnimodis prohibemus.

Nam et hoc omnimodis instituere placuit ut qui semel sub speciali defensione Domni Apostolici sive nostra fuerint suscepti, impetrata iuste utantur defensione. Quod si quis in quemquam illorum qui hoc promeruerint violare præsumpserit, sciat se periculum vitæ suæ incursurum. Et subscripsit Imperator Otto, et Episcopi X abbates II Comites V Optimates VIIII. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXII Indictione V.

CLIIII.

Super hæc confirmamus tibi beate Petre Apostole, et per te vicario tuo Domno Benedicto summo Pontifici et universali Papæ Fuldense monasterium et Abbatis eius consecrationem atque omnia monasteria, curtes et villas quas in ultramontanis partibus sanctus Petrus habere dinoscitur, atque Anthesna, Guinneringa, sive Uninlinbach, quæ a Sancti Petri æcclesia per commutationis paginam Episcopo Babenberguensi collatæ sunt. Pro quibus iam dictæ æcclesiæ sancti Petri concedimus et confirmamus omnem illam terram, quam inter Narniam, Terranem et Spoletum habuimus. Præterea sub tuitione eiusdem Petri et vestra vestrorum successorum pretaxatum episcopatum Babenbergense offerimus, unum suppensione æquum I album faleratum eiusdem loci episcopo vos annualiter suscepturos sancimus. Et infra. In electione vero Romanorum Pontificum neque liber neque servus ad hoc venire præsumat, ut ille Romanis quos ad hanc per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram constitutionem, et cetera omnia ut superiori capite. Et subscripsit Henricus imperator, et Episcopi XIII et Abbates IIII et Duces III Comites VIIII Optimates VIIII.

CLV.

Ab hac hora in antea ego ill. procurator patrimonii beati Petri Apostoli, quod est in ill. et in ill. loco fidelis sanctæ ero Romanæ Ecclesiæ et Domno meo ill. Papæ suisque successoribus

qui meliorum Cardinalium electione intervenerint, et non queram in aliquo minuere bona patrimonii beati Petri neque aliqua inde absque nutu Domni Papæ vel fidelibus ordinatis eius investitionem vel locationem alicui faciam, neque aliquo inveniam studio cum aliquo homine intra vel extra præfatum patrimonium faciendi vel recipiendi sacramentum, aut inveniendi divisiones quæ aliquo modo Romanæ æcclesiæ obsint, neque per me neque per suppositam personam studebo qualicumque modo reddendi malum meritum, aut faciendi damnum cuilibet de fidelibus sanctæ Romanæ æcclesiæ, de his quæ ad fidelitatem eius egerunt vel agent. Si me Deus adiuvent et hæc sancta evangelia. Quod si contra hæc omnia vel contra aliquid horum aliquando fecisse accusatus fuero, et iuxta iudicium Domni Papæ vel eius legati me inde non potero defendere, vel noluero, cum inde fuero interpellatus, in præsenti procurationem absque omnia controversiam dimittam, et periurii reatum omnimodis iudicem incurrisse.

CLVI.

Ego Robertus Dei gratia et Sancti Petri Dux Apuliæ et Calabriæ, et utroque subvenite futurus Siciliæ, ad confirmationem traditionis, et ad recognitionem fidelitatis, de omni terra quam ego propriæ sub dominio meo, et quam adhuc nulli ultramontanorum ita concessit ut teneat, promitto me annualiter pro unoquoque iugo boum, pensionem XII scilicet denarior. papiensis monetæ persolutarum beato Petro et tibi Domino meo Nycolao Papæ et omnibus successoribus tuis, aut tuis aut tuorum successorum nuntiis. Huius autem pensionariæ redditionis erit sempiternus finito quoque anno sanctæ Resurrectionis dies dominicus. Sub hac vero condicione huius persolvende pensionis, obligo me, et omnes meos sive heredes, sive successores tibi Domino meo Nycolao Papæ et successoribus tuis. Si me Deus adiuvet, et hæc sancta Evangelia.

CLVII.

Ego Robertus Dei gratia et sancti Petri dux Apuliæ et Calabriæ, et utroque subveniente futurus Siciliæ, ab hac hora et deinceps ero fidelis sanctæ Romanæ æcclesiæ et Apostolicæ Sedi, et tibi Domino meo Nicolao Papæ. In consilio vel in facto unde vitam aut membrum perdas, vel captus sis mala captione non ero. Consiliumque quod mihi credideris, et contradixeris ne illud manifestem, non manifestabo ad tuum damnum me sciente. Sanctæ Romanæ æcclesiæ tibique adiutor ero, ad tenendum ad acquirendum regalia sancti Petri eiusque possessiones pro meo posse contra omnes homines, et adiuvabo te ut secure et honorifice teneas Papatum Romanum terramque sancti Petri. Et principatus nec invadere nec acquirere quæram, nec etiam deprædare præsumam, absque tua tuorumque successorum qui ad honorem sancti Petri intraverit certa licentia, præter illam quam tu mihi concedes, vel tui concessuri sunt successores. Pensionem de terra sancti Petri quam ego teneo aut tenebo, sicut statutum est recta fide studebo ut illam annualiter sancta Romana habeat Ecclesia. Omnes quoque ecclesias quæ in ea persistunt dominatione, cum earum possessionibus dimittam in tuam potestatem, et defensor ero illarum ad fidelitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et nulli iurabo fidelitatem, nisi salva fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et si tu, vel tui successores ante me ex hac vita migraveritis, secundum quod monitus fuero a melioribus Cardinalibus, clericis Romanis, et laicis, adiuvabo ut Papa eligatur, et hordinetur ad honorem sancti Petri. Hæc omnia suprascripta observabo sanctæ Romanæ æcclesiæ et tibi cum recta fide, et hanc fidelitate observabo tuis successoribus, ad honorem sancti Petri ordinatis, qui mihi firmaverint investituram a te mihi concessam. Si me Deus adiuvet et hæc sancta evangelia.

CLVIII.

Ego Robertus Dei gratia et Sancti Petri Apuliæ, et Calabriæ et Siciliæ dux, ab hac hora et deinceps ero fidelis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Apostolicæ Sedi, et tibi Domino meo Gregorio universali Papæ et cetera ut supra, usque pro meo posse contra omnes homines, excepta parte Firmanæ marchiæ, et Salerno, atque Amalfi, unde adhuc diffinitio facta non est. Et adiuvabo te, ut honorifice et secure teneas papatum Romanum, et cetera ut supra, usque ad hanc fidelitatem servabo tuis successoribus ad honorem sancti Petri ordinatis, qui mihi si mea culpa non remanserit firmaverint investituram ante mihi factam. Sic me Deus adiuvet, ut supra.

Ego Gregorius Papa investio te Roberte dux, de terra quam tibi cesserunt antecessores mei Nicolaus et Alexander. De illa vero terra quam iniuste tenes sicut est Salernus et Malfia, et pars Marchiæ Firmanæ, nec te patienter sustineo, in Dei et tua confidentia, ut tu postea exinde ad honorem Dei et sancti Petri ita te habeas, sicut te agere, et me suscipere decet sine periculo animæ tuæ et meæ.

CLVIIII.

Ego Richardus Dei gratia et sancti Petri Capuanus princeps ab hac hora et deinceps ero fidelis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Apostolicæ Sedi, et tibi Domino Alexandro Papæ universali in consilio aut in facto unde vitam aut membrum perdas, vel captus sis mala captione non ero. Consilium quod mihi credideris et contradixeris ne illud manifestem, non manifestabo me sciente ad tuum dampnum. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tibique adiutor ero ad tenendum et ad quærendum et defendendum regalia sancti Petri eiusque possessiones recta fide pro meo posse contra omnes homines. Et adiuvabo te, ut secure et honorifice teneas Papatum Romanum terras sancti Petri et principatus, nec invadere nec acquirere quæram nec etiam de-

prædari præsumam, absque tua tuorumque successorum, qui ad honorem sancti Petri intraverint, certa licentia, præter illam quam tu mihi concedis, vel tui idonei successores concessuri sunt. Pensione de terra sancti Petri quam teneo vel tenebo, sicut statutum est recta fide studebo, ut illam annuntialiter Sancta Romana habeat Ecclesia. Omnes quoque æcclesias quæ in mea persistunt dominatione, cum earum possessionibus dimittam in tua potestatem, et defensor illarum ero ad fidelitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et nulli iurabo fidelitatem, nisi salva fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et si vel tui successores ante me ex hac vita migraverint, secundum quod monitus fuero a melioribus Cardinalibus, Clericis Romanis, et laicis adiuvabo ut Papa eligatur et hordinetur ad honorem sancti Petri. Hæc omnia suprascripta observabo sanctæ Romanæ Ecclesiæ et tibi cum recta fide et hanc fidelitatem observabo tui successoribus ad honorem sancti Petri ordinatis qui mihi firmaverint investituram a te mihi concessam. Si me Deus adiuvet et hæc sancta Evangelia. Actum in aula Lateranensis Sacri Palatii VI Non. Octobr. fer. III indict. XV.

Ego Iordanis Dei gratia et sancti Petri Capuanus Princeps ab hac hora et deinceps fidelis ero Sanctæ Romanæ Æcclesiæ et Apostolicæ Sedi et tibi Domino meo Septimo Gregorio Papæ. Cetera omnia ut supra. Actum Ciperani Indict. II, IIII Idus Iunii.

INCIPIT LIBER IIII.

DE LIBERTATE ECCLESIÆ ET RERVM EIVS ET CLERI.

IN GESTIS BEATI SILVESTRI QVÆ BEATVS PAPA Gelasius in Concilio LXX Episcoporum a Catholicis legi commemorat, et antiquo usu multas hoc imitari dicit æcclesias in eisdem ita legitur. Constantinus imperator IIII° die sui baptismatis privilegium Ecclesiæ Romanæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut omnes iudices regem. In eo privilegio ita inter cetera legitur. Utile iudicavimus una cum omnibus satrapis nostris, et universo senatu, optimatibus etiam, et cuncto populo Romanæ gloriæ imperio subiacenti, ut sicut beatus Petrus in terris vicarius Filii Dei videtur esse constitutus, etiam et pontifices ipsius Principis Apostolorum vice, principatus potestatem amplius quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur concessam a nobis nostroque imperio optineant. Eligentes nobis ipsum principem Apostolorum, vel eius vicarios firmos apud Deum esse patronos, et sicut nostra est terrena imperialis potentia, ita eius sacrosanctam Romanam æcclesiam decrevimus veneranter honorari, et amplius quam nostrum imperium terrenumque thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriosæ exaltari, tribuentes ei potestatem et gloriæ dignitatem, atque vigorem et honorificentiam imperialem, atque decernentes sancimus, ut principatum teneat tam supra IIII sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierusolimitanam, Constantinopolitanam, quamque etiam supra universo orbe terrarum Dei æcclesias. Et Pontifex qui per tempora ipsi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit censior et princeps

cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et eius iudicio quæque ad cultum Dei, vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procuranda fuerint disponantur. Et infra. Ecclesiis beatorum Petri et Pauli pro concinnatione luminariorum possessionum prædia contulimus, et rebus diversis eas ditavimus, et per nostram imperialem iusionem sacram tam in Oriente, quam in Occidente vel etiam a septentrionali et meridiana plaga, videlicet in Iudea, Grecia, Asia, Thracia, Africa et Italia, vel diversis insulis nostra largitate eis concessimus ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Silvestri summi Pontificis successorumque eius omnia disponantur. Et infra. Beato Silvestro et omnibus successoribus eius die præsenti tradimus Palatium nostrum Lateranense. Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque frigium necnon et superhumerale, videlicet lorum quod imperiale circumdare assolet collum. Verum etiam et clamidem purpuream atque tunicam coccineam, et omnia imperialia indumenta. Seu et dignitatem imperialium præsidentium equitum, Conferentes ei etiam imperialia scripta simulque cuncta signa atque banna, etiam diversa ornamenta imperialia, et omnem processionem imperialis culminis, et gloriam potestatis nostre. Viris etiam reverentissimis clericis diversi ordinis eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ servientibus, illud culmen singularis potentiæ et præcellentiæ habere sancimus, cuius amplissimus noster Senatus videtur gloria adhornari, idest patritios et consules effici, nec non et cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialis extat decorata militia, ita clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia diversis officiis cubiculariorum nempe et ostiariorum atque omnium excubitorum ornatur, ita et sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus, et ut amplissime pontificale decus præfulgeat, decernimus, et hoc, ut clerici eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mappulis et linteaminibus idest candidissimo colore decoratos equos equitent. Et sicut noster senatus calciamentis utitur cum udonibus, ideo candido linteamine illustrentur et ita cœlestia sicut terrena ad

laudem Dei decorentur. Pre omnibus autem licentiam tribuimus beato Silvestro et successoribus eius ex nostro indictu, quem placatus proprio consilio clericare voluerit, et in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus præsumentem superbe agere. Decrevimus itaque et hoc, ut ipse et successores eius, diademate videlicet corona quam ex capite nostro illi concessimus ex auro purissimo et gemmis pretiosi uti debeant pro honore beati Petri. Ipse vero beatissimus Papa super coronam glericatus quem gerit ad gloriam beati Petri ipsa ex auro non est passus uti corona. Frigium vero candido nitore, splendidam resurrectionem dominicam designans eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus. Et tenentes frenum equi ipsius, pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus. Statuentes eodem frigido omnes eius successores singulariter uti in processionibus ad imitationem imperii nostri. Unde ut non pontificalis apex vilescat, sed magis quam terreni imperii dignitas, gloria et potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum quamque Romanam urbem, et omnes Italiæ seu occidentalium regionum provincias, locas (*sic*), civitates beatissimo Pontifici et universali Papæ Silvestro contradimus, atque relinquimus, et ab eo, et a successoribus eius pragmaticum constitutum decernimus disponenda atque iuri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanenda. Unde congruum perspeximus nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferre regionibus, et in Bizantiæ provinciæ optimo loco nomini nostro civitatem ædificari, et nostrum illic constitui imperium. Quoniam ubi principatus sacerdotum et Christianæ religionis caput ab imperatore cælesti constitutum est, iustum non est ut illic imperator terrenus habeat potestatem. Hæc vero omnia quæ per hanc imperialem sacram et per alia divalia decreta statuimus et confirmamus, usque in finem mundi illibata et inconcussa permanere decernimus. Unde coram Deo vivo qui nos regnare præcepit, et coram terribili eius iudicio obtestamur omnes nostros successores imperatores, et cunctos optimates, satrapas etiam amplissimumque senatum et universum populum in toto orbe terrarum nunc et in poste-

rum, nulli eorum quoquo modo licere hæc aut confringere, vel in quoquam convelli. Si quis autem quod non credimus in hoc temerator aut contemptor extiterit, æternis condempnationibus subiceat innodatus, et sanctos Dei principes Apostolorum Petrum et Paulum, sibi et in præsenti et in futura vita sentiat contra nos atque in inferno inferiori concrematus cum diabolo et omnibus deficiat impiis. Huius vero imperialis nostri decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus beati Petri posuimus. Data Romæ III kal. Aprilis Fl. Constantino Augusto quater consule et Gallicano VV. CC.

II.

In Epistola Concilii Calcedonensi.

Galla Placidia Augusta, Hælie Pulcheriæ piissimæ Augusti filiæ, inter cætera. Igitur tua clementia secundum Catholicam fidem quod semper nobiscum fecit conspirare dignetur, ut quicquid in illo tumultuoso miserrimoque concilio idest Ephesino II constitutum est, omni virtute submoveatur. Et omnibus integris permanentibus, ad Apostolicæ Sedis in qua primus beatus Apostolus Petrus qui etiam claves regnorum cælestium suscipiens, sacerdotii principatum tenuit, episcopum causa mittatur.

III.

Item in alio eiusdem.

Domino meo Theodosio gloriosissimo victori ac triumphatori perpetuo imperatori et patri. Victor Valentinianus gloriosus semper augustus et filius inter cetera. Fidem a nostris maioribus traditam, debemus cum omni competenti devotione defendere, et dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apostolo intemeratam in nostris temporibus conservare, quatinus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de sacerdotibus iudicare.

IIII.

Item in alia epistola eiusdem Concilii.

Domino meo victori Theodosio triumphatori semper Augusto filio, Galla Placidia perpetua Augusta mater inter cetera. Arbitrium unius hominis qui in sinodo Ephesine civitatis odium et contentiones potius exercuisse narratur, militum præsentia et metu appetiit Constantinopolitanæ civitatis episcopum Flavianum eo quod libellum ad Apostolicam sedem miserit, et ad omnes episcopos, harum partium per eos qui directi fuerant in concilio a reverentissimo Episcopo Romano. Quod secundum diffinitiones Niceni Concilii consueti sunt interesse domine sacratissime fili venerabilis imperator. Hac itaquè gratia tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem immaculatam fidei catholicæ religiónis servare præcipiat, ut secnndum formam et diffinitionem Apostolicæ Sedis quàm etiam nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu sacerdotii illeso manente per omnia Flaviano, ad concilii et apostolicæ Sedis iudicium transmittatur, quam primus ille qui cælestes claves dignus fuit accipere, principatus episcopatus ornavit, quando scilicet decet nos huic maximæ civitati quæ domina omnium est tuarum in omnibus reventia (*sic*) conservare.

V.

Item alia eiusdem.

Victores Valentinianus et Marcianus semper Augusti Deo amabili synodo inter cetera. Licet plurimarum rerum publicarum nobis sit remorandi necessitas, tamen præponendas omnibus cura sanctæ et orthodoxæ fidei iudicamus. A reverentissimo namque Leone Archiepiscopo felicissimæ Urbis Romæ venerunt legati et poposcerunt nostram tranquillitatem quatinus omnimodo nos adesse debeamus affirmantes quoniam non paterentur illi absente nostra pietate venire. Et infra. Unde si perspicit nostra religio, in Chalcedonensium civitatem venire dignamini. Illuc enim percurremus, licet hic nos publicæ

causæ retineant quoniam quæ prosint vere et orthodoxæ fidei, et pace et disciplinæ sanctarum et catholicarum æcclesiarum omnibus arbitramur esse præponendas. Nec dubitamus quoniam etiam vestræ sanctitati hoc placeat.

VI.

In VI* actione Chalcedonensis concilii. Marcianus imperator dixit inter cetera. Nos enim ad fidem confirmandam non ad potentiam ostendendam, exemplo gloriosissimi principis Constantini synodo interesse volumus, ut inventa veritate, non ultra multitudo pravis doctrinis attracta discordet. Idem in eadem. Quædam capita sunt, quæd ad honorem vestræ reverentiæ vobis servavimus, decorum esse iudicantes, a vobis hoc regulariter potius firmari per synodum, quam nostra lege sanciri. Et iubente eodem. Beroniciauus venerandus secretarius divini consistorii epistola relegit.

VII.

Imperatores Valentinianus et Theodoxius ad synodum Ephesinam, inter. Agnoscat vestra religiositas Hyreneum magnificentissimum virum amicitiæ causa profectum, cum sanctissimo Episcopo huius magni nominis civitatis Nestorio, ita ut tractatibus vestræ sanctissimæ sinodi nulla ratione communicet.

VIII.

Ex I epistola VII synodi Papa Dono missa ad imperatorem Constantinum.

Omnem vero concursum venientibus legatis vestris iussimus præbere Theodorum gloriosum patricium et exarchum Christo amabilem nostræ Italiæ provinciæ, tam in navi, quamque in expensis et omni utilitate eorum, et si necessitas exegerit, etiam castellatos dromones præbere ad eorum munimen, ut ex omnibus illesi et sine periculo Deo cooperante idem ad nos perducatur. Item ex prima epistola VII synodi missa Adriano Papæ ab Imperatoribus Constantino et Hyrene. Stratigo

Syciliæ iussimus, ut omnis requiei et honoris vestri curam habeat, quo veniat vestra beatitudo ad nos.

VIIII.

Ex II actione VII synodi universalis ecclesiæ L Episcoporum.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei domnis piissimis et serenissimis imperatoribus filiis diligendis in Deo et Domino nostro Ihesu Christo Constantino et Hyrene Augustis. Et infra. Si vero impossibile est hereticorum vesaniæ pro incredulitate ipsorum ipsas sacras ac venerandas imagines sine synodi actione in pristinum erigere ac confirmare statum, et nostros sacerdotes pro huinscemodi pia operatione vestra cupit serenissima imperialis potentia accersire, sicut in vestris fertur imperialibus iussionibus. Imprimis pseudo sillogum illud quod sine apostolica sede irrationabiliter nequiter contra sanctorum venerabilium patrum traditionem de sacris imaginibus actum est anathematizetur præsentibus missis nostris, et tunc sicut antiquus mos extitit, iureiurando vestra piissima ac tranquillissima potestas, una cum domna M... vestra piissima genitrice, seu eiusdem regie urbis Patriarcha, nec non et cuncto senatu, corporale tribuentes sacramentum, verbum commonitorium sicut antiquitus pia sacra nobis dirigere vestra dignetur imperialis potestas, qui ante est apud vos partis cuiuslibet favor aut defensio, sed equalitatem utrisque partibus servabitis, nullatenus necessitatem facientes in quocumque capitulo; eis qui a nobis dirigentur quoquo modo, sed et omni honore cum competenti munificentia et susceptione dignos eos habebitis. Et si quidem convenerint, ecce bene. Si autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad nos dirigere satagetis quia dudum ibidem pro zelo fidei ac sanctarum ymaginum religiosi viri directi, in exilium missi sunt, et bona confessione huius mundi vitam finierunt. Et infra. Et valde mirati sumus quod in vestris imperialibus iussis pro patriarcha regiæ urbis scilicet Tharasio directis, universalem eum ibidem reperimus exaratum. Sed utrum per nequitiam, aut scisma vel heresim iniquorum scriptum est, ignoramus. Sed virum per nequitiam,

aut scisma, vel heresim iniquorum scriptum est, ignoramus. Sed deinceps suademus vestræ clementissimæ imperialique potentiæ, ut minime in suarum exarationum serie universalis describatur, quia contra sanctorum canonum instituta esse videtur. In secundo enim ordine nisi per sanctæ nostræ catholicæ et apostolicæ æcclesiæ auctoritatem sicut omnibus patet, numquam valuit nomen habere. Quia nimirum si universalis super prælatam sibi sanctam Romanam ecclesiam quæ est caput omnium Dei ecclesiarum describatur tamquam sanctarum synodorum rebellem, atque hereticum se manifestare certum est. Quia si uuiversalis est, etiam nostræ sedis primatum habere dinoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus christianis apparet, quia in toto orbe terrarum ab ipso Redemptore mundi beato Petro Apostolo principatus et potestas data est, et per eumdem apostolum cuius immeriti vices gerimus, sancta catholica et apostolica Romana Ecclesia usque in evum tenet principatum ac potestatis auctoritatem. Si autem quod non credimus deinceps quispiam hunc universalem nuncupaverit, vel assensum tribuerit, sciat se orthodoxæ fidei alienum, et nostræ sanctæ catholicæ et apostolicæ æcclesiæ rebellem.

X.

Ex epistola Domni Papæ Adriani recitata in II actione VII synodi.

Domnus Karolus rex Francorum et Langobardorum Patritius Romanorum nostris optemperans monitis atque adimplens in omnibus voluntates, per sua laboriosa certamina eiusdem apostolicæ Ecclesiæ ob nimium amorem pura dona imperpetuum obtulit possidenda, tam provincias quamque civitates, seu castra et territoria, immo et patrimonia quæ a perfida Langobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Dei Apostolo restituit, cuius et iura esse dinoscebantur. Sed et aurum atque argentum cotidie pro luminariorum concinnatione, seu alimoniis pauperum non desinit offerre, quatinus eius memoria non derelinquatur in sæculum. Iccirco nimium diligentes ac venerantes vestrum a Deo concessum imperium, magnopere suggerentes quos, ut præsentium vectores, videlicet Petrum

dilectissimum nostrum Archipresbyterum, seu Petrum Abbatem atque Presbyterum venerabilis monasterii sancti Sabe hylari mente et vultu placidissimo suscipiatis. Et cetera.

XI.

Ex eadem synodo cap. III.

Omnis electio Episcopi, vel Presbyteri, aut Diaconi a principibus facta, irrita maneat, secundum regulam quæ dicitur. Si quis episcopus secularibus potestatibus ecclesiam per ipsas optineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.

XII.

Ex eadem cap. VI.

Diffinierunt Patres sanctæ VI synodi, semel saltem in anno fieri synodum et depravata corrigi. Hunc ergo canonem et nos confirmamus. Et si quisquam princeps inventus fuerit hoc prohibere, communione privetur. Si quis vero Metropolitanorum hoc neglexerit agere absque necessitate, canonicis penis subiaceat.

XIII.

Ex eadem.

Per omnia sanctissimo et beatissimo fratri et comministro Domno Adriano Papæ senioris Romæ Tharasius indignus Episcopus Constantinopoleos in Domino salutem. Et infra. Eos qui per pecunias manus imposuerunt vel imponunt, Petrus Divinus Apostolus cuius cathedram sortita est sanctitas vestra, tamquam Symonem magum deponit. Tolerabilior enim est Macedonii et eorum qui circa ipsum sunt sancti Spiritus impugnatorum impia heresis. Illi enim creaturam et servum Dei Patris et Filii Spiritum sanctum delirando fatentur, isti suum eumdem Spiritum sanctum efficiunt servum. Omnis enim dominus qui habet si vult vendit, sive servum sive aliud quid eorum quæ possidet. Similiter et qui emit, dominus volens esse eius quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita

et qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, æqualiter peccantes, his qui blasphemaverunt dicentes, in Beelzebub eicere demonia Christum. Atque ut verius dicamus, Iude comparantur proditori, qui Iudeis Dei occisoribus Christum vendidit. Cum ergo Spiritus sanctus consubstantialis sit Christo, eiusdem ipsi portionis erunt, et procul dubio non est in eis gratia Spiritus sancti, idest Sacerdotii sanctitas. Nam quod non acceperunt non habent. Ait enim Petrus Simoni. Non est tibi pars neque sors in sermone isto quia existimasti donum Dei pecunia possideri. Nam et XX VIIII canon sanctorum Apostolorum, et actus eorumdem, et III et IIII liber regnorum, alienum omnino a sacerdotio pronuntiant eum, qui aliquando dederit vel acceperit pecuniam in aliquo tempore, sive ante manus impositionem, sive in manus impositione, sive post impositionem. Accipere enim est quandocumque accipere.

XIIII.

Ex ultima epistola VII sinodi.

Omnis ergo Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus convictus quod per pecuniam manus impositionem dederit vel acceperit, a sacerdotio et a gradu decidit, fortassis autem dicunt aliquid, quia pænitentiam agimus pro peccato, et Deus ignoscit illud. Ita est, quia omnes agentes pænitentiam Deus suscipit, et indulget per penitentiam peccata que iam patrata sunt. Et infra. Sed quia secundum Apostolum sacerdos irreprehensibilis debet esse, qui per pecunias quemquam consecravit, vel consecratus est, alienus est a sacerdotio, sicut omnis ecclesiæ scimus alumni ex canonicis disciplinis eruditi.

XV.

Ex VIII sinodo universali CCXL Episcoporum in actione VIIII.

Qui contra Ignatium sanctissimum patriarcham mendaciter iuraverunt olim sub Michahel imperatore et Barba domestico eius compulsi, in ecclesia Apostolorum in conspectu nefandi Concilii diffinimus et promulgamus eos qui non peni-

tuerunt, neque adnuntiaverunt, neque epythimium acceperunt, sed permanserunt in durtia (*sic*) cordis sui, et non cognoverunt peccatum quod egerunt, non solum contra Ignatium sanctissimum, sed et contra sanctissimam Dei æcclesiam, per VII annos, epithimium acceperunt propter manifestatum peccatum tale, esse illos in duobus annis extra æcclesiam, et in aliis duobus annis intra æcclesiam audire divinas scripturas usque ad catecuminos, non tamen ullo modo communicare, sed et abstinere arcarnibus et vino IIII annis præter dominicos dies, et dominicas festivitates. Et in aliis tribus annis stare cum fidelibus et mereri divinam communionem in solis dominicis festivitatibus cum helemosinis, et horationibus atque ieiuniis. Ita utribus diebus ebdomadis II videlicet et IIII et VI feria abstineant a carnibus et vino. Peccatum enim ipsorum non fuit modicum, sed ut iam dictum est. Et quicumque sunt qui non venerunt hodie in hanc sanctam et universalem sinodum, aut se occultant, nolentes annuntiare peccatum quod egerunt, et effugere volunt sententiam Epithimii, sint omnino ab æcclesia segregati et anathematis ligamento constricto donec universi per penitentiam salvi fiant. Qui vero accipiunt epythimia prius et custodiunt, post completum epythimium, digni fiant sanctis et divinis mysteriis.

XVI.

In eadem in XII actionem.

Promotiones et consecrationes Episcoporum, concordans prioribus conciliis clericorum electione ac decreto et episcoporum collegio fieri, hæc sancta et universalis synodus diffinivit et statuit atque iure promulgavit, neminem laicorum principum, vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ vel metropolitæ, aut cuiuslibet episcopi ne videlicet inordinata hinc et incongrua fiat confusio vel contentio. Præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat. Sed potius silere et attendere sibi, usque quo regulariter a collegio æcclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si

vero quis laicorum ad concertandum et cooperandum invitatur ab æcclesia, licet huiusmodi cum reverentia si forte voluerit optemperare se asciscentibus. Taliter enim dignum pastorem sibi regulariter ad suam æcclesiam salutem promovet. Quisquis autem sæcularium principum et potentium vel alterius dignitatis laicus adversus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere temptaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat quod æcclesia de electione et ordinatione proprii præsulis se velle monstraverit.

XVII.

Apostolorum cap. XXXI.

Si qvis episcopus sæcularibus potestatibus usus æcclesiam per ipsas optineat, deponatur et segregetur, omnesque illi commonicant.

XVIII.

Ex concilio Laodiceno cap. XIII.

Non est permittendum turbe electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi.

XVIIII.

Ex concilii Antiocheni cap. XII.

Si qvis a proprio Episcopo Presbyter aut Diaconus, aut a sinodo fuerit episcopus forte dampnatus, et Imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad manus episcoporum converti concilium, et quæ putaverint habere iusta plurimis episcopis suggerant, eorumque discussiones ac iudicia præstolentur. Si vero hoc parvi pendentes, molesti fuerint imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus optineri.

XX.

Ex eodem cap. XII.

Si qvis presbyter vel diaconus per sæcularem dignitatem ecclesiam Domini obtinuerit, deiciatur et ipse et ordinator eius a communione modis omnibus segregentur sub anathemate sint, sicut Simon magus a Petro.

XXI.

Ex concilio Sardicensi cap. XXI.

Christianum pro catholica fide vel pro ecclesiasticis rebus et christiana religione tribulationes patientem, omni honore a sacerdotibus honorandum, etiam per diaconum victus ei ministrentur.

XXII.

Cartaginensis cap. XLII.

Ab Imperatoribus universis visum est postulandum propter afflictiones pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur, ut defensores eis adversus potentias divitum cum episcoporum provisione delegentur.

XXIII.

Arelatensis cap. VII.

Qvi fideles ad præsidiatum prosiliunt, ita placuit, ut cum promoti fuerint, litteras accipiant æcclesiasticas communicatorias, ita tamen ut in quibuscumque locis gesserunt, ab episcopo eiusdem loci cura de illis agatur, ut cum ceperint contra disciplinam publicam agere, tunc demum a communione excludantur.

XXIIII.

Ex concilio Aurelianensi Episcopum LXXI.

Qvi res æcclesie petunt a regibus et horrende cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quæ optinent, et a communione æcclesiæ cuius facultatem auferre cupiunt excludantur.

XXV.

Item in eodem cap. XV.

Si quis quolibet tempore, cuiuslibet potestatis aut ordinis persona, aliquid de consuetudine vel facultate xenodochiorum vel ecclesiarum abstulerit, quod Deus avertat, ut necator pauperum irrevocabiliter anathemate feriatur.

XXVI.

Ex concilio Toletano cap. XI.

Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum expoliaverit, et mandaverit eum ad se venire Episcopus ut audiatur, et contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ Episcopos, et quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur donec audiatur, et reddat aliena.

XXVII.

In Affricano cap. XXX.

Placuit ut clerici qui ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierint, honore priventur. Si vero episcopale iudicium ab eodem petierint, nihil eis obsit. Item in eodem ex cap. XV. Cresconius villa Recensis Episcopus plebe sua derelicta, Tubuniensem invasit ecclesiam. Et usque hodie commonitus, eandem relinquere contempsit. Et infra. Necessitate cogente, liberum nobis sit rectorem provinciæ secundum statuta principum adversus illum adire, ut qui miti admonitione noluit emendare illicitum, auctoritate iudiciaria protinus excludatur. Ab universis Episcopis dictum est. Iustum est. Placet. Item in eodem ex cap. XX. Sunt enim plerique conspirantes cum plebibus propriis, quas decipiunt, blandi ad seducendum vitiosæ vitæ homines, vel certe inflati, et a nostro consortio separati, qui putant propriæ plebi incubandum. Et nonnunquam conventi, ad concilium venire detractant, sua forte ne prodantur flagitia metuentes. Dico si placet circa hos non tantum dio-

ceses non esse servandas, verum et de propria ecclesia que illi male faverunt omnimodo annitendum, ut etiam auctoritatem publica reiciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris removeantur. Universi Episcopi dixerunt. Placet. Placet. Item in eodem ex cap. LX. Quia impletum est erga Donatistas episcopale ac pacificum officium et illi qui veritati respondere nequiverunt ad immanes violentias sunt conversi, ita ut multos Episcopos et Clericos, ut de laicis taceamus, insidiis oppresserint, ecclesias etiam aliquas invaserint, Imperatorum clementiæ est iam consulere, ut Ecclesia Catholica quæ eos genuit et fidei firmitate nutrivit, eorum etiam prospectione muniatur, ne temerarii homines religiosis temporibus infirmos populos terrendo prævaleant, quoniam scandalo depravare non possunt. Nota est enim et sepe legibus conclamata circumcellionum qua furiunt detestabilis manus, quæ etiam ipsorum religiosornm supra principum frequentibus sanctionibus condempnata est. Adversus quos furorem possumus non insolita, nec a scripturis sacris aliena impetrare præsidia, quando apostolus Paulus sicut in actibus Apostolorum fidelibus notum est, factiosorum conspirationem militari etiam submovit auxilio. Sed nos illud possimus ut catholicis æcclesiis per civitates singulas et vicinarum quarumcumque possessionum per diversa loca sine ulla dissimulatione tuitio præbeatur. Et infra. Ad hæc autem omnia, præsidio opus est potestatum suarum quarumque provinciarum.

XXVIII.

Ex prima epistola Pauli.

Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quia sic est voluntas Dei. Et paulo post. Quæ enim gloria est si peccantes punimini et suffertis? Si bene facientes patimini, et patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Et infra. Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut christianus, non

erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine, quia tempus est ut incipiat iudicium de domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei evangelio? Et si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Itaque hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

XXVIIII.

Ex epistola Pauli ad Romanos.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed et propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite omnibus debita. Cui tributum, tributum. Cui vectigal, vectigal. Cui timorem, timorem. Cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum suum, legem implevit.

XXX.

In prima epistola.

Alexander Episcopus omnibus orthodoxis. Ad hanc sanctam perlatum est Sedem quod pudet dicere, et non solum sacerdotali, sed etiam omni christiano nomine inimicum. Idest quod nonnullos episcopos vel sacerdotes, aut metu extorquent, aut vi compellunt, aut fraude decipiunt, aliquas confessionis suæ in aliquam partem quam non debent, aut pro suarum non requisitione rerum, aut quod deterius est in alieni erroris

sectas scriptam facere, et propriis manibus roborare et coram populis recitare atque confiteri. Aliquos dicunt carceribus ergastulis recludi, ut saltem bis territi insidiis, devient domini Sacerdotes, ut suis faveant voluntatibus. Relatum est insuper quod quidam æmuli Christi, eiusque sanctæ Ecclesiæ insidiatores, Sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare præsumant, cum magis Apostolis Christianorum causas ad æcclesias deferri, et ibidem terminari præcipias. Et infra. Sub huiusmodi personis quædam scripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possent quocumque habeis scriptæ, vel roborate fuerint ingenio, ad nullius eis præiudicium aut scriptæ nocumentum provenire censemus, neque ullam eos infamiam vel calumniam aut assequestrationem bonis unquam auctore Deo et sanctis Apostolis eorumque successoribus sustinere permittimus. Confessio enim in talibus non compulsa sed spontanea fieri debet, ipso attestante qui ait. Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria. Et cetera. Nec tantum attendenda sunt quæ fiunt quantum quo animo fiunt. Unde est illud. Respexit Dominus ad munera Abel, ad Cain vero munera non respexit, quia magis intendit ad offerentis animum, quam ad ea quæ offeruntur. Omnis enim confessio quæ fit ex necessitate, fides non est. Et Apostolus ait. Corde creditur ad iustitiam. Et cætera. Confessio enim non extorqueri debet in talibus sed potius sponte profiteri. Pessimum est autem de suspicione aut extorta confessione quemquam iudicare, cum magis inspector cordis sit Dominus quam operis, et potius requirit cogitationes puras et voluntates bonas, quam labia mendacia. Idem. Nemo sit simul accusator, testis, ac iudex. Quoniam in omni loco iudicii IIII^or^ personas necesse est semper adesse. Iudices electos, accusatores, defensores, testes.

XXXI.

Ex epistola II Evaristi Papæ.

Deus omnipotens ut nos a præcipitantis prolatione sententiæ compesceret, cum omnia nuda et aperta sunt oculis eius

mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, priusquam manifesta agnosceret, quæ dicebantur. Unde ait. Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non ut sciam. Cuius exemplo monemur, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus, aut temere indiligenterque discussa quoquo modo iudicemus.

XXXII.

Vvsebius. De occultis cordis alieni temere iudicare, iniquum est, et eum cuius non videntur opera nisi bona peccatum est, ex suspicione reprehendere.

XXXIII.

Et Calisti et Simachi PP. et Adriani decretum est istud.

Dilectissimis fratribus universis Episcopis per orientales provincias constitutis. Marcellinus episcopus. Non licet imperatori vel cuiquam impietatem custodienti aliquid contra divinitatis mandata præsumere, nec quicquam quod evangelicis propheticisque ac apostolicis regulis obviat agere. Iniustum enim iudicium, et definitio iniusta cuiuscumque Episcopi, vel regis metu, vel iussu a iudicibus ordinata, non valeat. Nec quicquam quod contra evangelicæ aut propheticæ aut apostolicæ doctrine constitutionem sive sanctorum patrum actum fuerit, stabit. Et quod ab infidelibus aut hereticis factum fuerit, omnino cassabitur.

XXXIIII.

Marcellus episcopus sanctæ catholicæ æcclesiæ urbis Romæ. Maxentio. Boni principis ac religiosi est æcclesias constitutas atque conscissas restaurare, novasque hedificare, et Dei sacerdotes honorare atque tueri. Unde Sanctos Apostolos eorumque successores sub divina contestatione præcepisse legimus, non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec invidere laborantibus in dominico agro, nec expelli æterni regis dispensatores.

XXXV.

Silvester Papa in concilio CCLXXVII Episcoporum. Nemo iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede iustitia desiderant temperari. Nemo ab Augusto, neque ab omni clero neque a populo iudex iudicabitur. Et subscripserunt omnes Episcopi et XLV Presbyteri et Diaconi VII et Augustus Constantinus et mater Elena.

XXXVI.

Ex decreto Innocentii cap. XXIII.

Quæsitum est etiam super his qui post baptismum administraverunt, et aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitale protulere sententiam. De his nichil legimus a maioribus diffinitum. Meminerant enim a Deo potestas has fuisse concessas, et propter vindictam noxiorum, gladium fuisse permissum, et Dei ministrum esse datum in huiusmodi vindictam. Quomodo igitur reprehenderent factum auctore Deo viderent esse concessum? De his ergo ita ut actenus servatum est, sic habemus, ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabuntur. Idem cap. XXV. Illud etiam sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur utique post baptismum a principibus poscere mortem alicuius, vel sanguine de reatu. Quam rem principes numquam sine cognitione concedunt, sed ad iudices crimina semper remittunt, ut causa cognita iudicentur quæ cum quæsitori fuerint delegata, vel absolutio, vel dampnatio, pro negotii qualitate profertur, et dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

XXXVII.

Ex decreto Papæ Celestini.

Docendus est populus, non sequendus, nosque si nesciunt eos quod liceat, quodve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus.

XXXVIII.

Ex decreto Papæ Liberii.

Qui contra pacem æcclesiæ sunt, si dignitatem, aut cinculum militiæ habent, nudentur de eis. Si autem privati, siquidem nobiles sunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur, si autem ignobiles, non solum corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur.

XXXVIIII.

Ex IIII cap. Hylarii.

Nec tantum puteis petitiones valere populorum ut cum his parere cupitis voluntatem Dei nostri que nos peccare prohibet deferatis. Cuius indignatio ex hoc gravis commovetur, quia benignitas eius dum fiunt, illicita per eos qui sunt interpretes placationis offenditur. Non enim minus in sanctarum traditionum derelinquitur sanctiones quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.

XL.

Gelasius Fausto magistro fungenti legationis officio Constantinopolim. Inter cetera. Ego quoque mente percepi, Grecos in sua obstinatione mansuros. Nobis ausi sunt canonum mentionem facere, contra quos ambitionibus semper illicitis tenendi esse monstrantur. Qua ipsi synodo, vel secundum cuius synodi formam, Alexandrinum Iohannem de ecclesia cui ordinatus fuerat expulerunt. Et paulo post. Quod si dicunt imperator hoc fecit, hoc ipsum quibus canonibus, quibus regulis est præceptum? Cur huic tam pravo facinori consensit Acathius? cum auctoritas divina dicat, non solum qui faciunt prava reos esse, sed et qui sentiunt facientibus? Quibus canonibus, quibus regulis Kalendion Antiochenus exclusus est, vel primi urbium diversarum sacerdotes catholici? Qua traditione maiorum apostolicam sedem iudicium vocant. An secundæ sedis antistes et tertiæ ceterique bene conscii sacerdotes

depelli debuerunt, et Acathius qui extitit religionis inimicus depelli non debuit? Viderint ergo si alios habent canones quibus suas ineptias consequantur. Ceterum isti qui sacri qui æcclesiastici qui legitimi celebrantur, Sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt. Et infra. Non mirum si isti sedem beati Petri blasphemare præsumunt, et nos insuper superbos esse pronuntiant, cum eis prima sedes quicquid est pietatis non desistat offerre, illi etiam hanc protervo spiritu subiugare se posse confidant. Sed captos mente facere ista non mirum est, sicut frenetici solent mendicantes quosque vel hostes putare, vel credere. Quæro tamen ab his iudicium quod prætendunt ubinam possit agitari? An apud ipsos, ut idem sint inimici, testes, vel iudices? Sed alieno iudicio nec humana debent committi negotia, nedum divinæ legis integritas. Sed quantum ad religionem pertinet, nonnisi Apostoli Sedi iuxta canones debetur totius summa iudicii. Si quantum ad sæculi potestatem, illa a Pontificibus et præcipue beati Petri Vicario debet cognoscere quæ divina sunt, non ipsa eadem iudicare. Nec sibi hoc quisquam potentissimus sæculi, qui tamen Christianus est vendicare præsumit, nisi religionem forsitan persequentes. Quod tamen dicerent si non cartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant, potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam, que confessioni beati Petri Apostoli inferni portas nunquam prævalituras asseruit. Quapropter non veremur ne Apostolica sententia resolvatur, quam et vox Christi, et maiorum traditio, et canonum fulcit auctoritas, ut totam potius æcclesiam semper ipsa diudicet. Sed cogitent mali si quis in eis religionis est census, ne pravitatem suam nullatenus deponentes, apud Deum, hominesque Sedis Apostolicæ perpetua constitutione dampnentur. Idem in eadem. Ad senatum pertinet Romanum, ut memor fidei, quam a parentibus suscepisse meminit, contagia vitet communionis externæ, ne a communione Sedis Apostolicæ quod absit reddatur extraneus. Veniam sibi dari debere proponunt. Legatur ex quo est religio christiana, vel certe detur in exemplum in æcclesia Dei a quibuslibet Pontificibus,

ab ipsis Episcopis, ab ipso denique Salvatore veniam nisi corrigentibus fuisse concessam. Auditum autem sub isto cælo nec legitur omnino nec dicitur quod eorum voce depromitur. Date nobis veniam, ut tam nos in errore duremus. Et paulo post. Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui hoc certe faciendi solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat Apostolo. Quæcumque ligaveris super terram, et reliqua. Super terram inquid. Nam in hac legatione functum nusquam mandat absolveri. Quod ergo nunquam factum est, concipere vel mente formidamus, scientes in divino iudicio non posse penitus excusari. Et infra. In illud autem ridere me libuit quod ait, si necesse fuerit veniam postulare. Existimans nimirum tunc se peccati veniam necessario postulare, si ei concedamus ne peccare desistat, immo etiam quod absit, cum eodem consentiamus nos quoque peccare. Nescio inter quæ mundi prodigia hoc vos possit admitti. Remitti culpa de præterito potest, correctione sine dubio consequente. Nam si deinceps sinitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis annuntiatio.

XLI.

Gelasius Anastasio imperatori, Famuli vestræ pietatis. Et cætera. Duo sunt Imperator Auguste quibus principaliter mundus hic regitur, Auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus, hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim fili clementissime, quoniam licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis. Neque summi Dei celestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdite debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Itaque inter hæc illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna Dei dispositione collatum,

legibus tuis ipsi quoque religionis apparent antistites ne vel in rebus mundanis excluse videantur obviare sententiæ, quo oro te decet affectu eis convenit obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis. Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus siluisse pro divinitatis cultu quod congruit, ita his quod absit non mediocre periculum est, qui cum debeant parere despiciunt. Et si cunctis generalibus sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti quanto potius sedis illius præsuli consensus adhibendus est, quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit præminere, et subsequens æcclesiæ generalis iugiter pietas celebravit. Ubi pietas tua evidenter avertat, nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni quem Christi vox protulit universis, quem æcclesia veneranda semper confessa est, et habet devota primatum. Impeti possunt humanis præsumptionibus, quæ divino sunt constituta divino iudicio? vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam si contra nitentibus perniciosa non sunt audacia, quemadmodum quod ab ipso sacræ religionis auctore præfixum est, non potest ulla virtute convelli. Firmamentum enim Dei stat. Numquidnam cum aliquibus infesta religio est, quanta unquam potuit novitate superari, et non magis hoc invicta permansit, quo estimata est pro se succumbere. Desinant ergo quæso te temporibus tuis quidam per hanc casionem (*sic*) perturbationes æcclesiasticæ præcipitantur ambire quæ non licent, ne et illa quæ male appetunt nullatenus apprehendant, et modum suum apud Deum hominesque non teneant. Quapropter sub conspectu Dei pure, sincere pietatem tuam deprecor, obtestor, exortor, ut petitionem meam non indignanter accipias. Rogo inquam, ut me in hac vita potius audias deprecantem, quam quod absit in divino iudicio sentias accusantem.

XLII.

Dilectissimis fratribus universis Episcopis per Dardaniam constitutis. Gelasius inter cetera. Cum quibus ergo erat sino-

dus ineunda? Catholici pontifices fuerant undique iam depulsi, solique remanserant socii perfidorum, cum quibus iam nec licebat habere conventum. Dicente psalmo. Non sedi in concilio vanitatis, et cætera. Nec æcclesiastici moris est cum his qui pollutam habent communionem, permixtamque cum perfidis miscere concilium. Risimus autem quod prærogativam volunt Acathio comparare, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Syrmium, apud Treverim multis temporibus non constitit imperator. Numquid aurum urbium sacerdotes, ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus usurpare. Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ sedis et tertiæ maior est dignitas sacerdotum, quam eius civitatis quæ non solum inter sedes minime numerantur sed nec inter metropolitanorum iura censetur. Nam quod dicitis regie civitatis, alia potestas est regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim quamvis parva civitas prærogativam præsentis regni non minuit sicut imperialis præsentia mensura dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara urbs illa potestate præsentis imperii. Religio sub eodem tunc firma, tunc libertate provecta consistit, si potius hoc præsente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram.

XLIII.

Dilectissimis fratribus universis Episcopis Orientalibus Gelasius inter cætera. Cur non adistis imperatorem? Cur non æcclesiæ causam et sacerdotii mirabilem decolorationem continuatis vocibus non deflevistis, allegantes nunquam de pontificibus nisi æcclesiam iudicasse? Non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam, absque æcclesiæ principalibus constitutis pontificibus. Obsequi solere principes christianos decretis æcclesiæ, non suam præponere potestatem. Episcopis caput subdere principem solitum, non deorum capitibus iudicare.

XLIIII.

Ex epistola Papæ Anastasii ad Imperatorem Anastasium.

In Accathium prolato a Papa Felice iudicio, quæ in consecrationibus, vel in baptismate ministeria tradita susceperunt, ne irrita divina beneficia videantur, meminerint in hac quoque parte tractatum prævalere superiorem, quia non sine usurpatione sacerdotii adiudicatus hoc egit, in quo virtutem obtinentibus misteriis, in hoc quoque aliis sibi rea persone non novit.

XLV.

Idem ad eumdem.

Illud vero peculiarius pro amore imperii vestri et beatitudine quæ consequi poterit regnum, pro apostolico officio prædicamus, ut sicut decet et Spiritus sanctus dictat mouitis nostris obedientia præbeatur, ut bona omnia, vestram P. R. consequantur, sicut in Exodo promittitur. Si audieris vocem Dei Domini tui, et quæ placent fieri coram ipso, et obaudieris præceptis eius, et custodire omnem iustitiam eius, omnem infirmitatem quam importavi Egiptiis non inportabo tibi. Ego enim sum Dominus qui salvum facio te. Et illic iterum tuba potentissima canitur. Et nunc Israel quod Dominus Deus tuus postulat a te aliud, quam ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules omnes vias eius, et diligas eum, et servias ei ex toto corde tuo, et ex tota anima tua custodire præcepta Domini Dei tui, et iustitias eius quas ego mando tibi? Hoc me suggerentem frequentius non spernat pietas tua, ante oculos habens Domini in evangelio verba. Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Nam et Apostolus continens Salvatori nostro ita loquitur. Quapropter qui hoc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis. Pectus clementiæ vestræ sacrarium est publicæ felicitatis, ut per instantiam vestram quam velut vicarium præsulem iussit in terris evangelicis apostolicisque præceptis non dura superbia resistatur sed per obedientiam quæ sunt salutifera compleantur.

XLVI.

Ex sinodo Papæ Simachi Episcoporum CCXVIII.

Non placuit laicum statuendum in æcclesia habere aliquam potestatem, cui subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. Eulalius Episcopus Siracusanæ æcclesiæ dixit. Laicis quamvis religiosis, nulla ecclesiasticis facultatibus, ut ait primus Papa Stephanus aliquid disponendum legitur usquam attributa facultas.

XLVII.

Cum ex diversis provinciis ad Urbem Romam convenire sacerdotes Regis Theorici præcepisse auctoritas, ut de his quæ venerabili Papæ Symmacho Apostolicæ sedis præsulis ab adversariis ipsius dicebantur impingi, secundum concilium iudicaret, Liguriæ et Emiliæ episcopi, seu Venetiarum suggesserunt principi, ipsum qui dicebatur impetus debuisse synodum convocare, scientes quia eius sedi primum Petri Apostoli meritum, vel principatum, deinde secuta iussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas singnlarem in ecclesiis tradidit potestatem. Nec antedicte sedis antistitem minorum subiacuisse iudicio. Et infra. Ad hoc serenissimus Rex, Deo aspirante respondit, in synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere. Nec aliquid ad se, præter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere. Committens etiam potestati pontificnm, sive propositum vellent audire negotium, sive nollent, quod magis putarent ut ille deliberarent, dummodo venerandi provisione concilii pax in civitate Romana daretur. Et post pauca. Invitavimus Senatum amplissimum quali oportuit legatione destina (*sic*) monentes et instruentes, Symmachi Papæ causas Dei ipsius esse iudicio committendas, qui valet corpus occidere et animam mittere in gehennam, qui dicit mihi vindictam ego retribuo, apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta. Cogitare prudentes viros oportet, non esse ovium lupi insidias prævidere sed pastoris. Apostolicæ sedi quod possessor eius quondam beatus Petrus meruit in nobili-

tate possessionis accessit, et claritatem veterem dat de Christi dotem rectoribus. Et infra. Symachus Papa Sedis Apostolicæ præsul ab huiusmodi oppositionibus impetitus, quantum ad homines respicit sit immunis et liber. Cuius potestati quicquid ecclesiastici iuris intra sacram Urbem Romam vel foris est reformamus totam causam Dei iudicio reservantes. De clericis vero memorati populi qui ab Episcopo suo ante tempus contra regulas discesserunt, et scisma fecerunt, hoc fieri decrevimus, ut eos satisfacientes episcopo suo misericordiam consequantur, et officiis ecclesiasticis se gaudeant restitui. Quicumque vero in Romana Ecclesia deinceps Missas celebrare præsumpserit præter conscientiam Symmachi Papæ dum vivit, statutis canonicis velud scismaticus percellatur. Et ista nos sufficiat cum Dei noticia sincere protulisse. Laurentius Episcopus æcclesiæ Mediolanensis, huic statuto nostro in quo totam causam Dei iudicio commisimus, suscripsi. Petrus Episcopus æcclesiæ Ravennatis sub eisdem verbis suscripsit, et post eum LXXV Episcopi.

XLVIII.

Innocentius Papa. Error cui non resistitur, approbatur, et veritas cum minime defensatur, opprimitur. Eleuther. Neglegere quippe cum possis deturbare perversos, nichil est aliud quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Pius Papa. Quid enim prodest illi suo errore non polluit, qui consensum præstat erranti? Sine dubio contra mandata Dominica et qui peccat, et qui consensum præstat erranti. Gregorius. Consentire videtur erranti, qui ad resecanda ut corrigi debeant non occurrit. Salomon. Qui derelinquunt legem, laudant impium, qui vero custodiunt, succeduntur contra eum. Augustinus. Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei supra se provocat quia magis timet hominem quam Deum. Et iterum. Utique reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit, quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat. Idem. Multa cum invitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt,

quorum potius utilitati consulendum est quam voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet aspere, nunquam tamen amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolet ut doleat, qui etiam invitus videtur dolere sanandus. Pelagius in regesto. Non persequitur, nisi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum iam punit, vel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit. Nam si ut quidam putant, nemo nec reprimendus a malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas hac divinas leges necesse est evacuari, quæ et malis pænam et bonis præmia iustitia suadente constituunt. Malum vero scysma est etiam per extraneas potestates opprimendum. Fabianus. Qui omnipotentem Deum metuit, nec contra Evangelium, nec contra Apostolos, nec contra Prophetas vel sanctorum Patrum institnta agere aliquid ullomodo consentit. Clemens. Certissimum namque est quod neque amicitia, neque propinquitas generis, neque regni sublimitas homini pretiosior debet esse veritate, quia nichil pretiosius est anima. Leo. Qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat. Idem Anatholio Episcopo. Illud sane plurimum niehil displicere significo, quod inter dilectionis tuæ clericos quidam esse dicuntur, qui adversariorum conveniant pravitati, et vesaniæ vasis misericordiæ misceantur. Quibus investigandis et severitate congrua coercendis, debet diligentia tua vigilanter insistere, ita ut his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscisio. Oportet enim nos evangelici meminisse mandati, quod ab ipsa veritate præcipitur, ut si nos oculus, aut pes, aut dextra scandalizaverit manus a compage auferatur, quia melius sit his in ecclesia carere membrorum, quam cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluo extra ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt in eis quos decipiunt vulneramur. Abicienda prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit, sicut Heli quondam sacerdotes filiorum suorum delicta tolerando cum ipsis divine iustitie sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulavit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas invitat officii, religiosum principem dilectio tua studeat

frequentare, nequicquam in Christi ecclesiis hereticis licere patiatur, ne in eorum potestate sin divina mysteria, quibus in domo Dei pro suorum scelerum magnitudine nec habitandi ius remanet nec orandi. Gregorius in XXI libro moralium. Plerumque enim quieti atque inconcussi relinquitur, si obviare pravis pro iustitia non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si iam verum lumen intrinsecus respicit, si in se flammam sancti fervoris accendit, in quantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obicere, et perversis ad iniusta prorumpentibus etiam cum ab eis non quærimus obviare. Nam cum iustitia qua nos amamus in aliis feriunt, nos nichilominus sua percussione confodiunt, etiam si venerari videantur. Quia ergo vir sanctus pravis ac male agentibus se etiam cum non quæritur opponit, recte de eo qui Dei dicitur, in hoccursum pergit armatus. Augustinus super Iohannem. Quis est mercenarius qui videt lupum et fugit? Qui sua quærit non quæ Ihesu Christi. Peccantem non libere arguere audet. Ecce nescio quis peccavit increpandus est, excommunicandus est. Sed excommunicatus inimicus erit, insidiabitur, nocebit cum potitur. Iam ille qui quæ sua quærit, non quæ Ihesu Christi, ne perdat quod sectatur humanæ amicitiæ commodum, et inimicitiarum humanarum incurrat molestiam, tacet non corripit. Ecce lupus ovis guttur apprehendit, diabolus fidei adulterium persuasit, tu taces non increpas? O mercenari, lupum venientem vidisti et fugisti. Respondet forte et dicit. Ecce hic sum, non fugi. Fugisti, quia tacuisti. Fuga animi, timor est. Corpore stetisti, spiritu fugisti. Item Gregorius in omelia XL. Tranquillitatis tempore plerumque ad gregis custodiam sicut verus pastor sic etiam mercenarius stat. Sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus enim super oves venit, cum quilibet iniustus et raptor, fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur et non erat, relinquid oves et fugit, quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem non quia mutando locum, sed subtrahendo solacium. Fu-

git quia iniustitiam vidit et tacuit. Fugit qui se sub silentio abscondit. Quibus bene per prophetam dicitur. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Ex adverso quippe ascedere est quibuslibet potestatibus prave agentibus rationis libera voce contraire. Et in die Domini pro domo Israel in prælio stamus, ac murum opponimus, si fideles innocentes contra perversorum iniustitiam ex iustitiæ auctoritate vindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cum venientem lupum viderit et fugit. Hieronymus. Attendendum est quod Dominus dicit. Si peccaverit in te frater tuus. Aliud est peccare in nobis, aliud est peccare in Deum. Si in nobis aliquis peccaverit, abemus potestatem dimittere eum. Si vero in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii. Scriptum est enim. Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus. Si autem in Deum quis peccaverit, quis orabit pro eo? Nos e contrario in Dei iniuria benigni et misericordes sumus, et Dei offensam quasi in nostra potestate sit eius velle et eius nolle, impune et absque congruenti penitentiæ vindicta donamus. Cum tamen quid in nobis commissum est, nec saltem verbum contumeliosum leviter prolatum, sine vindicta pertransire patiamur. Dimittamus ergo propter Deum, quod in nobis perpetratum est, et quod in Deo commissum est quia dimittere non possumus iuxta constitutionem sanctorum patrum vindicemus.

XLVIIII.

Ex epistola Papæ Urbani.

Karissimi monemus ut intelligatis potestatem Episcoporum vestrorum, in eisque Deum veneremini, et eos ut animas vestras diligatis, et quibus non communicant, non communicetis, et quos eiecerunt non recipiatis. Valde enim timenda est sententia Episcopi, licet iniuste aliquem liget, quod tamen summopere præcavendum est. Fabianus. Si enim in rebus sæcularibus suum cuiusque ius et propitius ordo servandus est, quanto magis in ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci con-

fusio? Quod hac observatione servabitur, si nil potestati, sed totum tribuatur æquitati. Hieronymus super Matthæum. Episcopus et Presbyter non eos qui insontes sunt, vel innoxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierint varietates, sciunt qui ligandus sit, qui solvendus. Augustinus ad Auxilium Episcopum inter cætera. Illud plane non temere dixerim quod si quisquam fidelium fuerit anathematizatus iniuste, ei potius oberit qui facit, quam ei qui hanc patitur iniuriam. Spiritus enim sanctus habitans in sanctis per quem quisque legatur aut solvitur, inmeritam nulli ingerit pœnam. Per eum quippe diffunditur caritas in cordibus vestris, quæ non agit perperam. Idem in libro de summo bono. Secundum Catholicam fidem et sanam doctrinam, nec naturæ Dei nocere potest quisquam, nec natura Dei iniuste nocere cuiquam, nec nocere impune patitur quemquam. Qui nocet enim ait Apostolus recipiet quod nocuit. Item idem in libro de baptismo. Pax æcclesiæ dimittit peccata, et ab æcclesiæ pace alienatio tenet peccata. Non secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei. Petra tenet, Petrus dimittit. Columba tenet, columba dimittit, foris quippe nec ligari quod potest, nec solvi, quando in ecclesia non est qui ligare possit aut solvere. Idem ad Auxilium Episcopum, qui excommunicaverat Cassianum cum familia sua. Audisti forte aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua, quemquam anathematizasse peccantium? sed si interrogati essent repperirentur, inde forsitan idoneam reddere rationem. Ego autem si quis a me quærit utrum recte fiat, quid ei respondeam non invenio. Idem. Cepisti habere fratrem tuum tamquam publicanum, ligas illum in terra, sed ut iuste facias vide. Nam iniusta vincula dirumpit iustitia. Idem in sermone Domini in monte. Temerarium iudicium plerumque nichil nocet ei de quo temerarie iudicatur. Ei autem qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. Idem in libro de pænitentia. Tu inquid Apostolus quis es qui iudicas alienum servum? Noluit enim hominem ab homine iudicari ex suspicione, vel extraordinario iudicio, sed ex lege Dei, secundum ordinem æcclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum, Idem in espositio-

ne psalmi CII. Si quis iustus est qui iniuste maledicitur, et si iniuste maledicitur, præmium illi redditur. Hysidorus in libro de summo bono. Qui nocet ait Apostolus recipiet id quod nocuit. Non solum enim credendum est ei qui iniuste maledicitur, nichil omnino ei illam maledictionem obesse, verum insuper credendus est maledictus iniuste, per id præmii incrementa suscipere. Salomon. Sicut avis in contrarium volans, et passer quolibet vadens, sic maledictum frustra prolatum, super eum qui misit illum eveniet. Gregorius in XL omelia. Plerumque contigit ut hic iudicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat. Ac sepe agitur ut vel damnet inmeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Sepe in solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit, ut sepe ac ligandi et solvendi potestate se privet, qui hac pro suis voluntatibus, et non pro subiectorum moribus exercet. Sepe fit ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur pastor. Iudicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratia secuntur. Unde recte per prophetam dicitur. Mortificabunt animas quæ non moriuntur, et vivificabunt animas quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum dampnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio solvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi ac solvendi potestas exercenda. Videndum quæ culpa, et quæ sit pænitentia secuta post culpam. Ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis cui interni arbitrium sequitur iudicis. Prius enim Dominus mortuum vocavit et vivificavit dicens. Lazare veni foras, et postmodum his a discipulis est solutus. Et post pauca. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Et infra. Veniat itaque foras mortuus, idest culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores æcclesiæ ei pænam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de so-

lutionis breviter ordine diximus, ut sub magno moderamine pastores æcclesiæ solvere studeant vel ligare. Sed utrum iuste an iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is quis subest, et cum iniuste forsitan ligatur ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne et si iniuste ligatus est, ex ipsa tumide reprehensionis superbia culpa quæ non erat fiat. Idem in regesto. Ianuario Archiepiscopo. Nil te ostendit de celestibus cogitare, sed terrenam te conversationem significas, dum pro vindicta propriæ iniuriæ quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cætero esto circumspectus ac sollicitus, ne si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum. Idem in moralibus. Summopere præcavere debent rectores æcclesiæ, et qui publica iudicia exercent, ut in dictandis sententiis, nullatenus levitate aut forore ducti sint præcipites, sed causis prius diligenter ventilatis, cum res quæ ignorabatur pleniter ad notitiam venerit, tunc divina et humana lex resolvatur, et secundum quod ibi constitutum est, remota personarum acceptione diffinitiva proferatur sententia. Hinc est quod Moyses quærelas populi semper ad Dominum tabernaculum ingressus referebat, et iuxta quod Dominus imperabat iudicia proponebat, nimirum nos instituens, ut non ex corde nostro, sed præcepto divino condempnationis vel iustificationis sententiam proferamus. Ambrosius in II libro officiorum. Nichil sic opinionem immo fidem gravat quam si in iudicando, potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, divitem excuses, reum culpæ. Pronum quidem genus hominum favere onoratioribus, ne lesos sese putent, ne victi doleant. Sed primum si offensam vereris non recipias iudicium. Si sacerdos es, aut si quisqnam alius, non lacessas. Licet tibi silere in negotio dumtaxat iudiciario, quamquam sit constantiæ adesse æquitati. In causa autem Dei, ubi communionis periculum est, etiam dissimulare peccatum est non leve. Quid autem tibi prodest favere diviti?

an quia citius amantem, his enim favemus frequenter, a quibus referendæ vices speramus gratiæ. Sed et eo magis infirmo et inopi nos studere convenit, quia pro eo qui non habet remunerationem speramus a Domino Ihesu, qui sub specie convivii generalem virtutum edidit formam. Item ex lege Iustiniana. Nullus episcopus vel Presbyter excommunicare audeat aliquem antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent. Si quis autem contra hoc excommunicaverit aliquem, ille quidem qui excommuuicatus est, maiori sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat. Is vero qui non legitime excommunicavit tautum abstineat a sacra communione, quantum maiori sacerdoti visum fuerit, ut id quod iniuste fecit, iuste patiatur.

L.

Ex decreto Papæ Adriani ad Gilramnum Episcopum XLVIII.

Item generali decreto constituimus, ut execrandum anathema fiat, ut velud prævaricator catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicumque regum, vel potentum, deinceps canonum censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam.

LI.

Iohannes VIII Papa cap. XVIII ex Concilio Ravennati.

Administratores plane sæcularium dignitatum, qui ad æcclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapacium que refrenationem constituti proculdubio debent, quotiens ab episcopis et ecclesiasticis viris couventi fuerint, eorum quærimonias attentius audiant, et secundum quod necessitas expetierit, absque neglegentia examinent, et diligenti studio corrigant. Quod si Dei timorem præ oculis non habentes neglere (*sic*) post secundam admonitionem inventi fuerint, omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos.

LII.

Iohannis VIII Papæ inter cetera habita in eadem synodo.

Et quia pridem apostolicæ memoriæ prædecessoris nostri Nycolai ad ipsum iam inspiratione celesti revelatum fuisse comperimus, eligimus Carolum hunc Magni Caroli nepotem, et approbavimus, una cum annisu et voto omnium fratrum, et Coepiscoporum nostrorum, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ ministrorum, apostolicique Senatus, totiusque Romani populi gentisqne togatæ. Et secundum priscam consuetudinem sollempniter ad imperii sceptra proveximus, et augustali nomine decoravimus, ungentes eum oleo extrinsecus, ut interioris quoque Spiritus Sancti unctionem monstraremus. Constituentes ad imitationem scilicet veri regis Christi Domini Dei nostri, ita ut quod ipse possidet per naturam, iste consequatur et gratiam. Denique non hic perpetuus Augustus ad tanta fastigia se velud improbus intulit, non tamquam importunus fraude aliqua, vel machinatione prava, haut hianti ambitione ad imperialem apicem aspiravit. Absit. Neque enim sibi honore præsumptiose assumpsit, ut imperator fieret, sed tamquam desideratus, optatus, postulatus a nobis, et advocatus et honorificatus ad defendendam regionem, et Christi ubique servos tuendos, humiliter ac obidienter accessit. Operaturus et roboraturus in imperio summam pacem et tranquillitatem et in æcclesia Dei iustitiam et exaltationem. Nisi enim nos talem eius cognovissemus intentionem, nunquam animus noster fieret tam promptus ad ipsius provectionem. Et cetera. Circa finem. Et conversus ad sanctam synodum dixit. Placet vobis. Responderunt omnes. Placet. Et iterum dixit. Consentitis ita. Responderunt omnes. Consentimus.

LIII.

Ex epistola Papæ Paschalis II missa Mediolani.

Fraternæ mortis crimen incurrat, quisquis cum potest fratrem a morte minime defendit. Domino per prophetam intentante, quod pro defecto sanguinem fundat, qui impiorum ini-

quitatem tacendo dissimulat. Audivimus enim quod valde miramur, quod sacri apud vos ordines pecuniis distrahuntur. Dum quicumque tale aliquod attemptaverint, omnino hæretici comprobentur. Sancto Spiritu per Gregorium intonante. Quia quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc ut fiat hæreticus promovetur. Item idem. Quisquis contra simoniacam et neophitorum heresim pro officii sui loco vehementer non arserit, cum eo se non dubitet abere portionem, qui prius commisit hoc piaculare flagitium. Quibus in verbis cum hæreticus et simoniaca et neophitorum heresis exprimatur, quod æterna morte dignissimum crimen sit, apertissime declaratur protestante per Augustinum Divino oraculo ac dicente firmissime tene, et nullatenus dubitet, omnem hereticum vel scismaticum quamvis multas hlemosinas faciat, vel etiam pro Christo sanguinem fundat, cum diabolo et angelis eius æterni ignis incendio mancipandum, nisi ante finem huius vitæ catholicæ incorporetur et redintegretur ecclesiæ. Et post pauca. Si quis autem obiecerit, non consecrationem sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt vendi, videtur quidem aliquid dicere, nichil autem penitus sapere. Nam cum corporalis æcclesiæ episcopus vel abbas, aut aliquis sine rebus corporalibus exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit, quisquis eorum alterum vendere, sine quo alterum habere non provenit, neutrum non venditum derelinquid. Quam tamen obiectionem sacer Chalcedouensis canon penitus exterminat, cum procurationem, vel defensorem æcclesiæ, vel quemquam regulæ subiectum, adeo per pecunias ordinari prohibet, ut interventores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat. Quid plura? Si anathematizati et communicati, et ut vere heretici simoniaci et neophiti ab æcclesia sunt separati, quis non videat, quod huiusmodi sacerdotum misse et orationes, Deum ad iracundiam super populum provocent, quem placari talibus credebamus? Scriptum est enim. Veri sacrificii locus extra catholicam æcclesiam non est. Et item. Hereticum hominem post primam et secundam correptionem devita. Quando ergo tales Episcopos vel Abbates, vel reliquos clericos non devitamus, si eo-

rum Missas audimus, vel cum eis oramus, cum illis excommunicationem subimus. Quos quidem sacerdotes esse, saltem credere, omnino errare est, cum Petro Symoni dicat. Pecunia tua tecum sit in perdictione, quia existimasti donum Dei pecunia possideri. Non est tibi pars neque sors in sermone isto. Ubi cum existimasti, dicitur non pro eo quod fecerit, sed quia se posse facere credidit condempnatur, cum minus sit existimasti quam credere. In hoc vero quod subiungitur, non est tibi pars neque sors in sermone isto, patenter ostenditur, quia nichil sacre ordinationis in hac promotione percipitur. Hæc itaque detestanda heresis, ut beatus Gregorius ait, ante omnes in sanctam æcclesiam diabolica fraude surrepit, quasi prima et maxima, æcclesiæ castitatem fedam nimium pollutione contaminatura. Qua propter obtestamur fraternitatem vestram, ut hæc tam seva pestis ab æcclesia vestra penitus auferatur, ne ulterius quod absit in Spiritum Sanctum peccantes, neque hic, neque in futuro sæculo vobis remittatur. Item in registro II Alexandri Papæ inter cetera. Si quis beneficium æcclesiæ, quod quidam canonicas, vel præbendas, vel ordines vocant, iniqua cupiditate ductus, vel emere, vel vendere præsumpserit, iuxta concilium Chalcedonense gradus sui periculo subiaceat, nec ministret æcclesiæ quam pecunia comparavit.

LIIII.

Ex Concilio Gregorii VII Papæ L Episcoporum cap. I.

Si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu laicæ persone susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habetur, nec ulla ei ut Episcopo seu Abbati audientia concedatur. Insuper ei gratia Petri et introitum ecclesiæ interdicimus, quousque locum quem sub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ, quod est scelus idolatriæ, cæpit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Item si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet sæcularium potestatum aut personarum investituram episcopatuum vel alicuius æcclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, eiusdem sententiæ se obstrictum esse sciat.

LV.

Gelasius Herelevvæ Reginæ. Qui pro victu pauperum Domno filio meo excellentissimo regi cum meis litteris supplicaret, Petrum æcclesiæ defensorem dirigere properavi. Quo veniente sublimitatem quoque tuam salutare non destiti, plurimum deprecans, ut pro vestræ salutis et prosperitatis augmentis egentium causas iuvare dignemini. Data V kal. Martias.

LVI.

Gelasius Quinigesio et Constantino Episcopis inter cætera. Felix et Petrus ecclesiæ Nolanæ clerici contumaciter et contra constitutum rebelles ad comitatum fili mei regis putaverunt esse properandum, dicentes sibi vim fuisse generatam, tacito clericatus officio. Et auctoritate promerita, contra civilitatem redemptis sibi barbaris, suprascriptum episcopum suum gravibus iniuriis et dispendiis affecerunt. Proinde necessarium fuit, ut ad eumdem domnum filium meum supradictus frater noster Serenus episcopus convolaret. Ostensaque fraude secundum beatitudinem temporum suorum vir præcellentissimus filius meus Theodoricus rex, ad nostrum contumaces clericos remisit examen. Et cætera.

LVII.

Pelagius Iohanni comiti Patrimonii Anagnostico inter cetera. Clementissimus princeps generalibus legibus constituit, illa sacra uniuscuiusque supplicantis desiderio concessa prævalere, et effectui mancipari, quæ cum iuris et legum ratione concordant. Ea vero quæ subrepticie vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferre remedium.

LVIII.

Gregorius Mauricio Imperatori. In divinis eloquiis sacerdotes aliquando dii, aliquando angeli vocantur. Nam et per Moysen de eo qui ad iuramentum deducendus est dicitur. Applica illum ad deos videlicet ad sacerdotes. Et rursum scri-

ptum est. Diis non detrahes scilicet sacerdotibus. Et propheta ait, labia sacerdotis custodiunt scientiam, et reliqua. Quid ergo mirum si illos imperialis pietas honoret, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos aut deos ipse etiam appellet Deus? Æcclesiastica quoque testatur ystoria, qui cum piæ memoriæ Constantino principi, scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accepit, et eosdem qui accusati sunt episcopos convocans, in eorum conspectu libellos quos idem acceperat incendit dicens. Vos dii estis a vero Deo constituti. Ite et inter vos causas vestras disponite, quia dignum non est ut nos iudicemus deos. In qua sententia sibi magis ex humilitate, quam ille aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in re publica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos et lapideos colebant, et tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum si Christianus imperator, veri Dei sacerdotes honoret, dum pagani ut prædiximus principes honorem impendere eorum sacerdotibus noverint qui lignis et lapidibus serviebant? hoc ergo non tantum specialiter quantum generaliter pro omnibus asserimus sacerdotibus quoniam adhuc nescimus quis in terribili Dei iudicio qualis futurus sit. Etenim Paulus egregius dicit. Nolite iudicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, et reliqua. Nam sunt multa quæ de iudicio illius homines ignorant, quia fortasse quæ vos reprehenditis, ille laudabit.

LVIIII.

Gregorius Senatori Presbytero et Abbati xenodochii Francorum, inter cetera. Hæc igitur omnia quæ huius præcepti et decreti nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, vel quorum interesse potuerit, imperpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum iudicium atque sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire temptaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate

cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt malo ablata restituerit, vel digna penitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Ihesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subiaceat.

LX.

Gregorius Constantinæ Augustæ post multa alia. Et si Episcoporum causæ mihi commissorum apud piissimos dominos aliorum patrocinio disponuntur, infelix ego in ecclesia ista quid facio? Sed ut episcopi mei me despiciant, et contra me refugium ad seculares iudices abeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo, hoc tamen breviter suggero quia aliquantulum expecto, et si ad me venire distulerit, exercere in eo districtionem canonicam nullomodo cessabo.

LXI.

Gregorius Brunihilde Reginæ Francorum, inter cætera. Si quos igitur violentos, si quos adulteros, si quos fures, vel aliis pravis actibus studere cognoscitis, Deum deorum correptione placare festinate, ut per vos flagellum perfidarum gentium quod quantum videmus ad vindictam multarum nationum excitatum est non inducat. Ne si quod non credimus divinæ ultionis iracundia sceleratorum fuerit actione commota, belli pestis interimat, quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei præcepta non revocant. Idem in regesto. Petro Subdiacono Campaniæ. Violentos laicos coercere, non contra leges eos agere, sed legi ferre subsidium.

LXII.

Gregorius Phocæ Augusto, inter cetera. Felicissimis temporibus vestris redeat cunctis in rebus perpetuis secura possessio, ut sine timore habere se gaudeant quæ non sunt ab eis fraudibus acquisita. Reformetur iam singulis sub iugo pii imperii libertas sua, hoc namque inter reges gentium et Romani Populi imperatores distat, quod reges gentium domini

servorum sunt, imperatores vero Romani populi domini liberorum. Idem in eodem regesto. Omnibus notum est, piissimos dominos disciplinam diligere, ordines servare, canones venerari, et in causis se sacerdotalibus non miscere.

LXIII.

Gregorius Sabiniano Diacono nostro apud Constantinopolim, inter cetera. Maximus prævaricator scripta mea publice relacta, publice scindi fecit, atque in contemptum sedis apostolicæ apertius exilium quod ego qualiter patiar scis, quia ante paratior sum mori, quam beati Petri æcclesiam meis diebus degenerari. Mores autem meos bene habens cognitos, quandiu potero. Sed si semel deliberationem non portare, contra omnia pericula, lætus vado. Unde necesse est cum Dei auxilio periculo succurrere, nec cogatur excedendo peccare. Idem Narsæ. Omni virtute et omni pondere causam presbyterorum cum Iohanne reverentissimo patriarcha Constantinopolitano auxiliante Deo exerere paratus sum. In qua si videro Sedis Apostolicæ canones non servari, dabit omnipotens Deus quid contra contemptores eius faciam.

LXIIII.

Gregorius Augustino Anglorum episcopo. Si quis aliquid de ecclesia furtim abstulerit, ex persona furis pensari potest qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam qui habentes subsidia furtum perpetrant. Et sunt alii qui hac in re ex inopia delinquunt. Unde necesse est, ut quidam damnis, quidam vero verberibus, et quidam districtius, quidam vero lenius corrigantur. Et cum paulo districtius agitur, ex caritate agendum est, et non ex furore, quia ipsi hoc præstatur quod corrigitur, gehenne ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent, quos et pro culpis verberibus feriunt, et tamen ipsos quos doloribus affligunt habere heredes quæruut et quæ possident ipsi servant, quos irati insequi videntur. Hæc ergo caritas in mente tenenda est et ipsa modum correptionis dicat, ita ut in eis extra

rationis regulam omnino nichil faciat. Absit vero ut æcclesia cum augmento recipiat quod de terrenis rebus videtur admittere et lucra de vanis querere. Et infra. Cum cognata quoque misceri prohibitum est. Pro qua re etiam Iohannes Baptista capite truncatus est, et sancto martyrio consummatus. Cui non est dictum ut Christum negaret, et tamen pro Christi confessione occisus. Sed quia idem Dominus noster Ihesu Christus dixerat, ego sum veritas, quia pro veritate Iohannes occisus est, pro Christo sanguinem fudit, et infra. In hoc tempore sancta æcclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, ut sepe malum quod adversatur, portando et dissimulando compescat.

LXV.

Gregorius Theoctiste patriciæ inter cetera. Si qui vero sunt qui dicant quia compulsus quispiam necessitate si anathematizaverit, aut contra ea quæ sub anathemate prohibita sunt præsumpserit, anathematis vinculo non tenetur, ipsis sibi testes sunt quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ æcclesiæ vanis se estimant conatibus solvere, hac per hoc nec absolutionem sanctæ æcclesiæ, quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturas eius valere non estimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi ac anathematizandi sunt. Et unde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Si quis igitur qui sub nomine christiano hoc aut prædicare audeant, aut taciti apud seipsos tenere proculdubio hos anathematizamus, et ego, et omnes catholici episcopi ac universa æcclesia quia veritate contraria sentiunt et veritate contraria locuntur.

LXVI.

Gregorius Theoctistæ Patriciæ inter cetera. Sunt quædam scandala quæ omnino despicienda sunt. Quædam vero cum vitari sine culpa non possint despicienda non sunt, nec culpa serventur. Quod in sacro Evangelio predicante cognovimus,

quia cum veritas diceret, non quod intrat in os coinquinat hominem, et discipuli responderent dicentes, scis quia pharisei audito hoc verbo scandalizati sunt, protinus respondit. Omnis plantatio quam non plantavit pater meus celestis eradicabitur, sinite illos, cæci sunt duces cæcorum. Et tamen cum tributum peteretur prius rationem reddidit per quam tributum solvere non deberet, atque ilico subiuncxit. Ut autem non scandalizemus eos, vade inquid ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle et aperto ore eius inveniens staterem, illum sume et dabis eis pro me et te. Quid est de scandalizatis aliis dicitur, sinite illos cæci sunt, duces cæcorum, et alii ne scandalizentur a Domino tributum solvitur quod non debetur. Quid est quod aliud scandalum esse permisit, aliud vero venire prohibuit, nisi ut nos doceret et illa scandala quæ nos implicant in peccata contempnere et ea quæ placere sine peccato possumus modis omnibus mitigare.

LXVII.

Gregorius Godiscaldo Duci, Mauricio Imperatori. Illa præpositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, et furor sibi nichil vendicat. Restringenda sub ratione potestas est, nec quid agendum priusquam concitata ad tranquillitatem meus redeat. Nam commotionis tempore iustum putat omne quod fecerit.

LXVIII.

Gregorius Agnello Episcopo Terracinensi, inter cetera. Quia vero comperimus multos se a murorum vigiliis exusare (*sic*), sit fraternitas vestra sollicita, et nullum neque per nostræ vel ecclesiæ suæ nomen, aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur, quatinus cunctis vigilantibus, melius auxiliante Domino civitatis valeat custodia provocari. Idem Ianuario episcopo Calaritano. Fraternitas vestra dum licet civitatem tuam vel alia loca fortius muniri prævaleat, atque immineat ut abundanter in eis credita procurentur, ut si Agilulfus illuc, sibi Deo iratus acces-

serit, non inveniat quod ledat, sed confusus abscedat. Sed et nos pro vobis quantum possumus solliciti sumus. Idem Iohanni episcopo Ravennati. De Neapolitana vero urbe exarcho instanter imminere, quia Arechis cum Ariulpho se fecit, et valde insidiatur eidem civitati, in quam si celeriter dux non mittitur, omnino iam inter perditas habetur. Idem Constantinæ Augustæ. Viginti iam et VII annos ducimus quod in hac urbe inter Langobardorum gladios vivimus. Et paulo post. Sicut in Ravennæ partibus dominorum pietas apud primum exercitus Italiæ sacellarium habet, qui causis supervenientibus cotidianas impensas faciat, ita et in hac urbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum. Idem Sebastiano episcopo Rimiensi. Et uno tempore curam episcoporum atque clericorum, monasteriorum quoque et populi genere contra hostium insidias sollicitus vigilare, contra ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere, cuius laboris et doloris sit fraternitas vestra tanto verius pensat, quanto me qui hoc patior verius amat. Idem Maurentio et Vitaliano magistris militum inter cetera. Undecimo die mensis Iunii Hariulfus hanc epistolam quam vobis direximus, transmisit. Et ideo relegentes eam, videte si in fide sua Suanenses quam Romano Pontifici promiserunt perstiterint. Obsides dignos de quibus possitis confidere ab eis percipite et insuper denuo sacramentis astringite, reddentes eis quod loco pignoris sustulistis, et sermonibus vestris eos sanate. Si autem manifestissime cognoveritis eos cum Ariulfo de sua subditione locutos fuisse, vel certe obsides ei dedisse, sicut nos Ariulfi epistola quam nobis direxit dubios reddit, salubri consilio pertractantes ne in aliquo anima vestra et nostra de sacramentis gravetur, quicquid utile Romano Pontifici iudicaveritis peragite. Sed ita faciat gloria vestra, ut neque sit aliquid unde possumus ab adversariis reprehendi neque in quo utilitas Romani Pontificis exigit quod avertat Dominus neglegatur. Preterea gloriosi filii estote solliciti, quia quantum corpori, hostem collectam habet et in armis dicitur residere, ut si huc cursor Domino sibi irato mittere voluerit, vos loca ipsius quantum Dominus adiuverit de-

prædate, aut certe sculcas quod mittaris sollicite requirite, ne dolens factum ad vos discurrat. Idem Veloci magistro militum. Nunc vero utile visum est ut aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua ammonere et hortari studeat ut parati sint ad laborem. Et paulo post. Et si huc vel ad Ravennates partes nec dicendum Hariulfum cognoveritis excurrere, vos a dorso eius ita sicut viros condecet laborate, quatinus opinio vestra ex laboribus vestris qualitate amplius in Romano Pontifice Deo auxiliante proficiat. Idem Iohanni Ravennati Episcopo inter cetera. Peccatis meis hoc reputo quia iste qui nunc intus est, idest Romanus exercitus, et pugnare contra inimicos nostros dissimulat, et nos pacem facere vetat. Idem Alexandro Prætori Siciliæ inter cetera. Si ego in morte Langobardorum me miscere voluissem hodie Langobardorum gens nec regem, nec ducem, nec, comites haberet, atque in summa esset confusione divisa. Sed quia Deum timeo, in morte cuiuslibet hominis me miscere formido.

LXVIIII.

Gregorius in VI libro moralium. Iste namque veritatem iam habere defende appetit, sed tamen in ipso suo appetitu trepidus indignationem potestatis humanæ pertimescit. Cumque in terra hominem contra veritatem pavet, eiusdem veritatis iram cælitus sustinet. Item in XXI. Debitum quippe rectoris est supernæ patriæ gloriam per vocem prædicationis ostendere, quanta in huius vitæ testamenta antiqui hostis lateant aperire, et subditorum mala quæ tolerari leniter non debent, cum magna zeli asperitate corrigere, ne si minus contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipse teneatur. Item in XXXIIII ubi exponitur. Sub ipso erunt radiis solis VII et nunc cum quisque sapientium atque doctorum pro commodo et gloria vitæ temporalis, per adulationis lapsum terrevisse potestatibus prave agentibus subicit, quasi sub vestigiis venientis anichristi solis se radius sternit, et velut cæli lucem sibi vel remotus humiliat, dum per pestiferum assensum sapientium mentes calcat.

LXX.

Gregorius in VII libro moralium. Iusti iuris nullus contra potestati huius veritatem parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premuut. Hinc est enim quod a deserto Moises veniens Egipti regem ex auctoritate aggreditur dicens. Hæc dicit Dominus Deus Hebreorum. Usquequo non vis subici michi? Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Cui dum plagis pressus Pharao diceret, ite sacrificate Deo vestro in terra hac, aucta protinus auctoritate respondit. Non potest ita fieri. Abominationes enim Egyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Hinc est quod peccantem regem Nathan aggreditur dicens. Cui prius similitudinem perpetratè prævaricationis obiciens, eumque reum proprii iudicii voce tenens, protinus adiunxit dicens. Tu es ille vir qui fecisti hanc rem. Hinc est quod Acab superbus ydolorum servitio subactus, cum increpare Heliam præsumere dicens, tu ne es ille qui conturbas Israel? Helias protinus superbi regis stultitiam obiurgationis libera auctoritate percussit dicens. Non ego turbavi, sed tu et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini et secuti estis Bahalim. Hinc est quod Eliseus veram magistri celsitutidem sequens, eumdem Hahab ad se cum Iosophat regem venientem aspiceret, ex reatu perfidiæ confundit dicens. Quid mihi et tibi est? Vade ad prophetas patris tui et matris tuæ. Vivit Dominus Deus exercituum in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat regis Iudæ erubescerem, nec attendissem te quidem, nec respexissem. Hinc est quod idem vir Neeman ad se cum equis et curribus venientem ante hostium domus fixit et talentorum copia ac vestium fulto non occurrit, non ianuam domus aperuit, sed ut lavare septies in Iordane debuisset per nuntium mandavit. Unde et idem Neeman iratus recedebat dicens. Putabam quod egrederetur ad me. Hinc est quod Petrus cum eum sacerdotes et principes etiam per flagella sevientes, in Ihesu nomine loqui prohiberent, cum magna protinus auctoritate respondit dicens. Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iu-

dicate. Non enim possumus quo vidimus et audivimus, non loqui. Sed quia sancti viri ad verba tante altitudinis zelo veritatis, non autem vitio elationis exiliunt, ipsi patenter iudicant, qui factis dictisque aliis et quanta humilitate polleant, et erga eos quos redarguunt quanta caritate ferveant, manifestant. Superbia quippe odium generat, hoc amorem. Verba itaque quæ amor expirat, profecto ex fonte humilitatis manant. Quomodo enim Petrus per elationem principibus restitit, quorum errori compatiens, reatum velut excusat dicens. Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. Deus qui prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit sic. Quod ad vitam misericorditer revocat dicens. Penitemini igitur et convertimini et cetera. Quomodo Heliseus videre Nemam ex elatione voluit, qui non solum se conspici, sed teneri etiam a muliere permisit. Sicut scriptum est. Apprehendit pedes eius, et cetera. Quomodo Helias superbo regi increpationem per timorem intulit, qui ante eius currum humiliter cucurrit. Sicut scriptum est. Accintusque lumbis currebat ante Ahab? Quomodo Nathan contradicere regem per verba increpationis timuit, qui cum increpanda culpa deesset, in terram se eius conspectui pronus stravit? Sicut scriptum est nuntiaverunt regi dicentes, adest Nathan propheta. Cumque introisset adoravit eum pronus in terra. Quomodo Moyses regi Egiptio libere resistens eum despicere potuit, qui Deo familiariter colloquens, sequentem se Iethro cognatum humiliter adoravit? Ex aliis ergo sanctorum factis discimus quid de aliis pensare debeamus. Sancti etenim viri nec ex elatione sibi liberi, nec ex timore submissi. Sed cum rectitudo eius ad libertatem vocis erigit, consideratio propriæ infirmitatis in humilitate custodi. Culpas quidem delinquentium et si ex alto increpantes ferunt, semetipsos tamen apud se subtilius iudicantes, quasi in abiectis ponunt. Et quo prava in aliis insecuntur eo ad reprimendos se atrociores redeunt.

LXXI.

Gregorius. In XIII moralium. Magna arte prædicationis agendum est ut qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam temperamento corroptionis ad salutem redeant. Sicut inonesta membra in corpore, ita ut quidam sunt in ecclesia potentes et protervi, qui dum aporta proinvectione feriri nequeunt, quasi honorem tegminis velantur. Sed hoc de occultis potentum delictis loquimur. Nam quo et aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt, ne si prædicator taceat culpam approbasse videatur, atque hic crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secat.

LXXII.

Gregorius in XVIII moralium libro. Sciendum est peccatorum remissio, ubi, vel quando vel qualibus detur. Ubi qnippe, nisi in catholicæ matris sinu ? Quo nisi ante veteri exitus diem ? Quia ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis. Idem in eodem. Qualibet datur peccatorum remissio nisi conversis? qui ad parvulorum imitationem magistra humilitate formantur, quibus dicitur, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli ? et cetera. Et sinite parvulos venire ad me ? et cetera. Idem in XXII. Nam quia scriptum est. Iustus in principio accusator est sui, non magis peccatorum, si iustus videri appetit, cum peccatorem se quisque nullo arguente confitetur, Sed confessionis veritatem probat, cum alter malum quod fecimus increpat. Qnod si superbe defendimus, liquet quia peccatores, nos ex nobis ficte dicebamus. Unde snmmopere cavendum est, ut mala quæ fecimus et sponte fateamur et hoc aliis arguentibus non negemus. Superbiæ quippe vitium est, ut quod de se quisque fateri quasi sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur. Et infra. Per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis commissa peccata prodere quam non admissa vitare. Et unumquodque malum quamvis robustius vitetur, tunc humilius proditur. Item in XXIIII. Si

confitendo peccatum esse humilius veraciter appeteret, de perpetratione peccati arguentes se non impugnaret.

LXXIII.

Gregorius in XVIII libro moralium. Quisquis extra ecclesiæ unitatem patitur, pænas pati potest, martyr fieri non potest. Quia ut dicitis beatus Iob ait. Auro locus est in quo conflatur. Quid itaque ad hoc hereticis dicitur conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium voluerit, sed locum quo debeatis conflari nescitis. Una est ecclesia, in qua quisquis conflari voluerit, ab omni etiam poterit sorde purgari. Ignis vero conflationis qui extra catholicam toleratur ecclesiam, quia nullius virtus sit, apostolus insinuat dicens. Si tradidero corpus meum ut ardeat, caritatem autem non habuero, nichil mihi prodest. Alii quippe prava de Deo sentiunt, alii recta de auctoritate tenent. Sed unitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, isti vero scysmaticis perpetratione divisi sunt. Unde et in prima parte decalogi, utrumque partium culpe reprimuntur cum dicitur. Diliges Dominum Deum tuum, et cetera. Et mox additur. Et proximum tuum sicut teipsum. Qui enim de Deo perversa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit. Qui vero de Deo non recta sentiens ab Ecclesiæ unitate divisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac unitate matris ecclesiæ sive per heresim de Deo perversa sentiendo, seu errore scysmaticis proximum non diligendo dividitur caritatis huius gratia privatur, de qua ut præmisimus Paulus dicit. Si tradidero corpus meum ut ardeam, et cetera. In eodem. Sepe hæretici dum sua student perversa astruere, ea proferunt quæ in sacrorum librorum paginis non tenentur, unde et discipulum Paulus admonet dicens. O Timothee depositum custodi, devitans prophanans vocum novitates quia dum laudari heretici tamquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi nova quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur.

LXXIIII.

Gregorius in XVIIII libro moralium. Sunt nonnulli ita districti ut omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant. Et sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti iura regiminis. Unde cunctis rectoribus utraque summopere sunt tenenda, ut nec in disciplinæ vigorem benignitatis mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant discipline. Quatinus nec a compassione pietatis obdurescant cum contumacem corrigunt, nec disciplinæ vigore molliant cum infirmorum animas consolantur. Regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

LXXV.

Gregorius in XX. Sine furore exurgens in turba clamavi. Sepe namque seditiosorum tumultus homnium præpositorum suorum mentem lacessunt, suique ordinis limites inordinatis motibus excedit. Et plerumque qui prius nisi in ore cordis sancti Spiritus freno teneantur, in iratæ retributionis atrocitate prosiliunt, quantumque prævalent agere, tantum sibi in subditis estimant licere. Sed sancti viri plus se interius patientiæ iugo subiciunt quam foris hominibus præsunt, et eo veriorem principatum foris exibent, quo humiliorem Deo intrinsecus famulatum tenent. Atque iccirco sepe plus quosdam tolerant, quo se de his ulcisci amplius possunt, ac ne unquam ad illicita transeant, plerumque nolunt pro se exequi etiam quod licet, subiectorum strepitus sufferunt, per amorem increpant, quos per mansuetudinem portant.

LXXVI.

Gregorius in XXI. Negantur electis in ac vita bona terrena, quia et egris quibus spes vivendi est, nequaquam a medico cuncta quæ appetuntur conceduntur. Dantur vero reprobis bona qui in hac vita appetunt, quia et desperatis egris

omne quod desiderant non negatur. Idem in moralibus. Iusti propter alia flagella ad eterna ficiunt gaudia. Unde et iustus in penis gaudere debet, et inpius in prosperitatibus debet timere. Et neque a iusto, neque a reprobo Deus misericordiam et iustitiam retrahit. Nam et per bonos hic per afflictionem iudicat, et illuc remuneratur per miserationem. Et malos e contrario remunerat per temporalem clementiam, et in futuro punit per æternam iustitiam. Unde in hac vita parcit Deus inpiis et non parcit electis. Et in alia parcit electis et non parcet iniquis. Et post mortem iniquus ducitur ad cruciatus, iustus vero post laborem dormit securus. Nam si peccaverit iustus, cito hab eo corrigitur flagello, et quem diligit Dominus corripit, et flagellat omnem filium quem recipit, ut dum carnis dolore aut tribulatione atteritur, a mundi amore separetur, et durius circa electos in hac vita Deus agit, et fortioribus flagellis et stimulis feruntur, ut nullo oblectamento præsentis vitæ delectentur, sed cælestem patriam ubi certa requies expectatur indesinenter desiderent. Et plerumque Deus iustum flagellat ne de sua iustitia superbiens cadat. Nam quod diligit Deus, sub disciplina castigat ut pater et impios sub districta damnatione ut hostes adversarios punit. Unde unusquisque festinet a malo corrigere se, ne simul rapiatur vita cum culpa. Et delet flagellum temporalem culpam quantum mutaverit in melius vitam suam. Nam cuius mores non mutantur in melius, non expiat actiones. Omnis divina percussio, aut vitæ præsentis purgatio est, aut initium penæ sequentis. Et quibusdam flagella ab hac vita inchoant et in æterna percussione perdurant. Unde per Moysen dicitur. Ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum. Unde et David, operiantur sicut diploide confusione sua. Diplois enim dupplex est vestimentum. Quo figuraliter induitur qui et temporali pena et æterna damnatur. Et Hieremias. Dupplici contritione conteret eos Deus. Contritio super contritionem est gemina damnatio, hic et in futuro sæculo. Nam secreto quodam Dei iudicio quibusdam hic male est et illuc bene, ut dum hic corriguntur, ab æterna dampnatione liberentur. Quibus-

dam vero hic bene est et illuc male quod diviti illi accidit, qui hic potentiæ claritate conspicuus fuit, post mortem vero gehennæ incendiis traditus est cruciandus. Porro quibusdam et hic male et illuc male est, quia corrigi nolentes et flagellari in hac vita incipiunt et murmurant, deinde æterna percussione damnantur. Unde homo et flagellum Dei murmurare non debet, quia maxime per hoc corripitur emendatur. Nam qui in flagellis murmurat Deum plus irritat, furorem Dei amplius in se provocat, et qui patienter sustinet Deum citius placat. Nam plus temptat electos Dei diabolus quam Dei voluntas permittit. Et licet diabolus temptationem inferre cupiat, tamen si a Deo potestatem non accepit, nullatenus adipisci potest quod accipit. Unde et omnis voluntas diaboli iniuxta est, sed tamen permittente Deo omnis potestas iuxta ut legitur in libro Regum. Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Si malus cur Domini? Si duobus verbis comprehendenda est et Dei potestas iusta, et diaboli voluntas iniusta. Electis terror eius vilis est, ab incredulis ut leo timetur. Et quia diabolus hominem quem in vitam decipere non potest, in novissimo autem supplantare disponit, proinde necesse est ut unusquisque iustus non se faciat securum dum in hac conversatur vita, sed semper humilis caveat et ne in finem corruat sollicitus pertimescat, nunquam vacat diabolus adversus hominem iustum. Aut enim tribulationes cordi illius exaggerat aut dolores suscitat.

LXXVII.

Gregorius in XXVI moralium libro. Non ergo te superet ira, ut aliquem iniuste opprimas. Omnis per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri, ne dum aliorum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. Plerumque enim mentem sub optentu iustitiæ iræ immanitas vastat, et dum quasi sevit zolo (*sic*) rectitudinis, rabiem explet furoris, iusteque se facere estimat quicquid ira nequiter dictat. Unde et modum sepe ulciscendi transgreditur, quia mensura iustitiæ non frenatur. Dignum quippe est, ut cum aliena corrigimus, prius nostra metiamur ut prius

mensa sua accensione deferveat, prius intra semetipsum zeli sui impetum tranquilla æquitatem componat, ne si ad animi advertenda vitia abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus, et qui culpam diiudicando insequimur, immoderate feriendo faciamus quod iam non est correptio delinquentis, sed magis oppressio. In correctione quippe vitiorum subesse menti debet iracundia non præesse.

LXXVIII.

Gregorius in XXI libro moralium. Numquid alligabis rinoceronta ad arandum loro tuo? lora sunt ecclesiæ præcepta disciplinæ. Arare vero est per prædicationis studium humani pectoris terram vomere linguæ proscindere, hic itaque rinocerus idest terrenus princeps non solum ligatus est, sed etiam ad arandum ligatus quia videlicet disciplinæ loris astrictus non solum se a pravis operibus retinet, sed etiam cum sanctam fidem prolatis legibus prædicare non cessat, quid aliud facit nisi quod aratri laboribus sudat? Timeri iste rinocerus poterit nisi ligatus esset. Cornu quippe habet, sed ligatus est, habent ergo in loris eius quod humiles diligant, habent in cornu quod elati pertimescant. Strictus enim loris servat pietatem mansuetudinis, sed fultus terrenæ gloriæ exercet dominium potestatis. Et infra. Sequitur. Aut confringet glebas vallium post te. Solent exulte terræ superiacentes glebæ iactata semina premere et nascentia suffocare. Quibus glebis hoc loco illi signantur, qui per duritiam suam atque pestiferum vitam nec ipsi semina verbi recipiunt, nec receptorum seminum fructus alios ferre permittunt. Et infra. Multi namque in medio humilium fratrum positi, fidem verbo tenus tenent, sed dum elationis typum non deserunt dum quos posse illatis violentiis premunt, dum fructificantibus aliis ipsi nequaquam semina verbi recipiunt, sed ab exortantis voce aurem cordis avertunt, isti quid aliud quam obduratæ glebæ in exaratis vallibus iacent? Quid eo nequiores sunt, quo nec ipsi humilitatis fructum proferunt et quod est deterius proferentes humiles premunt. Ad horum duritiam dissolvendam nonnumquam sancta ecclesia quia pro-

pria virtute non sufficit, rinocerotis huius idest terreni principis opitulationem querit, ut ipse superiacentes glebas conterat quas æcclesiæ humilitas quasi planities vallium portat. Has itaque glebas rinoceros pedem premit et comminuit, quia pravorum potentiumque duritiam cui ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate dissolvit. Sequitur. Numquid habebis fiduciam in magna fortitudine eius? et derelinquens ei labores tuos? In rinocerontis formidine fiduciam Dominus habere se asserit, quia vires quas temporaliter terreno principi contulit, ad cultum suæ venationis inclinavit. Quod enim in mundo plus potest eo pro mundi auctoritate plus prævalet. Et infra. Bene autem subditur. Et derelinquens ei labores tuos. Labores enim suos hinc renocerontis Dominus dereliquid, quia converso terreno principi eam quam sua morte mercatus est æcclesiam credidit. Qui videlicet in eius manu quanta sollicitudine pax fidei sit tuenda commisit. Sequitur. Numquid credit ei quod reddat sementem tibi, et aream tuam congreget. Semen enim verbum Dei. Area, ecclosia, et infra. Ecce enim modo terrenus princeps pro æcclesia leges promulgat qui dudum in initio nascentis æcclesiæ, contra eam per varia tormenta seviebat. Ecce quaslibet gentes capere poterit, ad fidei illas gratiam suadendo perducere, eisque eternam vitam indicat quibus captis præsentem servat. Cur hoc? Quia videlicet nunc aream congregat, quam ut prædictum est aliquando superbo cornu dispergendo ventilabat.

LXXVIIII.

Gregorius in XXXI libro moralium. Necesse est ut artificiosa virtute discamus adversariorum pugnam et constanter aliquando appetere et prudenter aliquem declinare. Necesse quippe est ut per omnes quod agimus in mentis trutina positum hinc pondus illinc fructum nostri laboris estimemus, et cum pondus fructum superat, labores quisque innoxie declinat, dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum vero subsequenti quantitate fructuum mensura laboris aut equatur aut vincitur labor non sine gravi

culpa declinatur. Unde Prædicator sanctus cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum voluit adversitati confligere quia semetipsum quem profuturum multis noverat vidit posse deficere. Et aut nulli se illic aut pauci prodesse. Secessum ergo a certamine petiit, et pugnaturus felicius ad alia se bella servavit. Non enim loco virtus, sed loco virtuti defuit. Et iccirco fortissimus miles ab obsidionis angusta certaminis campum quæsivit. Ubi autem subiuganda regi proprio nulla adversariorum colla conspexit, subire bellum vel cum morte non timuit. Sicut ipse cum Gerosolimam pergeret, eum qui discipulis passionem illius per prophetiam præscitam prohiberent, sibimetipsi attestatur dicens. Ego enim non solum alligari, sed et mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Ihesu. Neque facio animam meam pretiosiorem quam me. Quod igitur hic hostiles cuneos etiam præscita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione fuisse edocuit non de timore quod fugit. Qua in re pensandum est quod ille labores quosdam per dispensationis iudicium laudabiliter declinat, qui pro Deo maiores alios fortiter tollerat. Nam sepe ab omnibus timor debilis cauta dispensatio vocatur, et quasi prudenter impetu declinasse se asserunt, cum fugientes turpiter in terga feriuntur, unde necesse est ut in causa Dei cum res dispensationis agitur, motus cordis subtilissima libratione pensetur, ne per infirmitatem timor surrepat, et sese per dispensationis imaginem rationem fingat, ne culpa sese prudentiam nominet iamque nes *(sic)* ad penitentiam animus redeat, quando hoc quod inique perpetravit virtutem vocat. Restat igitur ut in dubiis quisque deprahensus cum quælibet sibi adversitas imminet prius intra semetipsum contra formidinem et præcipitationem pugnet, quatinus ne formidolose se subtrahat, nec præcipitanter opponat. Valde enim præceps est, qui semper se adversis obicit, et valde pavidus qui semper abscondit. Sed hoc melius in bellis spiritualibus discimus, si formam exercitii a corporalibus bellis trahamus. Neque enim ille dux sapiens est qui contra hostiles cuneos exercitum præceps admovet, neque ille dux fortis, qui semper hoc

ab hostis facie cavendo subducit. Scire namque dux debet modo ab hostili impetu exercitum caute subtrahere, modo hostem circumfusis cornibus coartare. Quod nimirum sollicite perfecti prædicatores exhibent cum modo persecutionis rabiem declinantes noverunt sapienter sed non enerviter cedere, modo autem persecutionis impetum contempnentes noverunt ei fortiter sed non præcipitanter obviare.

LXXX.

Gregorius in ultimo libro Moralium. Obedientia est sola virtus, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. De qua Samuhel ait. Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus ydolatriæ nolle acquiescere. Obedientia quippe victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto ergo quisque Deum citius placat, quanto ante eius oculos repressa arbitrii sui superbia gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso ergo melius ostenditur qui de eius laude sentiatur. Si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus ydolatriæ nolle acquiescere, sola est que fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis convincitur, etiam si fidelibus esse videatur. Hinc per Salomonem in obedientiæ ostensione dicitur. Vir obediens loquitur victorias, vir quippe obediens victorias loquitur, quia dicit alieni voci humiliter subdimur nosmetipsos in corde superamus. Hinc Dominus ait. Non possum ego a meipso quicqnam facere, sed sicut audio iudico. Nobis quippe obedientia usque ad amorem servanda præcipitur. Ipse autem si sicut audit iudicat, tunc quoque obedit cum iudex venit. Ne igitur nobis usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, redemptor noster iudicat, qui hanc etiam cum iudex venerit servat. Quid ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ brevitate se subicit, quoniam hanc mediator Dei et hominum et cum

obedientes remunerat non relinquit? Sciendum vero est qnia nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur intermitti, et cetera.

LXXXI.

Gregorius in II omelia super Ezechielem. Iustitiam temperantia sequi debet quia plerumque iustitia si modum non habet in credulitatem cadit. Ipsa ergo iustitia vere iustitia est, quæ se temperantiæ freno moderatur. Ut in zelo quo quisque fervet, sit etiam temperans, ne si plus fervet, perdat iustitiam cuius servare moderamina ignorat. Idem in ómelia VI. Quicquid agitur in radice intentionis pensandum est, quo merito apud iudicium creatoris habeatur. Unde et idem creator dicit. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Oculus videt intentionem, corpus vero actionem nominans. Qui si nostra intentio apud Deum simplex fuerit, in eius iudicio nostra actione tenebrosa non erit. Item ibidem. Imperfectum bonum est quod sic agitur, unde quid ei ex alio latere malis surrepat non attendatur, nisi forte hoc quod sine cuiuspiam scandalo fieri non potest, culpa sit non fecisse. Item post pauca. Quia in nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nichilo est tenendum. Item ipse post paūca. In quantum sine peccato possumus, vitare scandalum proximorum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.

LXXXII.

Gregorius in omelia IIII super Ezechielem. Ubi erat spiritus impetus illuc gradiebantur. Amare terrena, temporalia æternis præponere, exteriora bona non ad usum necessarium habere, sed ad voluptatem concupiscere, ultionem de inimico querere, de emuli causa gaudere, impetus carnis est. At contra amare celestia, contempnere transitoria, non ad fructum voluptatis transitoria sed ad usum necessitatis querere, de inimici morte tribulari, impetus spiritus est. Plerumque vero im-

petus carnis se sub velamine spiritualis impetus palliat, et quod carnaliter facit mentitur sibi ipsa cogitatio quod hoc spiritualiter facit. Nam sepe quis iracundiæ stimulo victus contra delinquentes zelo ulciscendæ iustitiæ plusquam necesse est inflammatur, et iustitiæ limitem in ultionem transiens agere crudeliter quam se agere iuste suscipiatur. Impetus igitur carnis hinc suspecie spiritus velatus est operi et hoc iuste agi creditur sub discretionis moderamine non tenetur. Et sepe alius nimiæ mansuetudini studens subiectorum vitia aspicit, atque hi per fervorem zeli corrigere non studet, qui in eis crudeliter non corrigendo multiplicat. Fitque ut eius lenitas et sibi sit et subiectis inimica, qui torporem mentis suæ quem patientiam putat per carnis spiritum ab impetu spiritus se longat. Prima ergo nos cogitatio qui sit omne nostri cordis debet excutere ne ad quædam quæ agimus, per apertum carnis impetum ducamur, ne prius delectationibus animus seductus, mala esse cognoscat et tamen faciat. Secunda vero nos cura debet vigilantes reddere, ne se impetus carnis quasi sub impetus spiritus subiciat, et culpas quas agimus nobis virtutes fingat. Sciendum vero est quia graviores culpæ sunt superducta specie virtutes imitantur. Quia ille in aperto cognitæ animum confusione deiciunt atque ad penitentiam trahunt. Iste vero non solum in penitentia non humiliant, sed etiam mentes operantis elevant, dum virtutes deputantur.

LXXXIII.

Gregorius in VIIII omel. Stultum valde est si illi placere querimus, quos non placere Domino scimus. Et post pauca. Nam perversorum derogatio, vitæ nostræ approbatio est. Quia iam ostenditur nos aliquid iustitiæ habere, si illi displicemus, quæ non placent Deo. Nemo enim potest in una eademque re omnipotenti Domino atque eius ostibus gradus existere. Nam Deo se amicum deuegat, qui eius placet inimicis. Et inimicis veritatis adsabitur (*sic*), qui eidem veritati in mente subiugatur, unde sancti viri in voce libere increpationis succensi, eos ad sua odia excitare non metuunt, quosdam non digligere cogno-

scunt. Quod propheta ardenter exibens Creatori omnium quasi in munere obtulis dicens. Nonne qui te hoderunt Deus oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio et cetera. Ac si aperte dicat. Pensa quantum te diligo qui tuorum hostium excitare contra me inimicitias non pertimesco.

LXXXIIII.

Gregorius in pastorali libro IIII. Admonendi sunt peccati nedum plusquam necesse est pacem quam possident amant ad perpetuam pervenire non appetant. Plerumque enim gravius intentionem mentium rerum tranquillitas temptat, ut quo non sunt molesta quæ tenent, eo minus amabilia quæ vocant, et quo delectant præsentia, eo non inquirantur æterna, unde et per semetipsam Veritas loquens, cum supernam pacem a terrena distingueret atque ad venturam discipulos ex presenti provocaret ait. Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Relinquo scilicet transitoriam, do mansuram. Si ergo in eam cor quæ relicta est sequitur, nunquam ad eam quæ danda est pervenitur. Pax igitur præsens ita tenenda est, ut ex quo diligi debeat et contemni. Ne si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa patiatur, unde et admonendi sunt pacati, ne dum nimis humanam pacem desiderant, pravos hominum mores nequaquam redarguant. Et consentiendo perversis auctoris sui se pace disiungant. Ne dum humana foris iurgia metuunt interni fœderis dissentione feriantur. Quid est enim pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ? Quid ergo esse dementius potest, quam vestigia in pulvere impressa diligere, se ipsum in quo inpressa sunt non amare, hinc David cum totum se ad fœdera pacis interne constringeret, testatur quod cum mala concordia non teneret dicens. Nonne qui te oderant Deus oderam illos et super inimicos tuos tabescebam. Perfecto odio oderam illos et inimici facti sunt mihi. Inimicos etenim Dei perfecto odio odisse est, et quod facti sunt diligere, et quod faciunt increpare, mores pravorum premere, vite prodesse. Pensandum est igitur quoniam ab increpatione quiescitur, quanta culpa cum pessimis pax tenetur, si propheta

tantus hoc velnd in hostiam Deo obtulit, qui contra se pravorum inimicitias excitavit. Hinc est quod Levi tribus assumptis gladiis per castrorum media transiens, quia feriendo noluit peccatoribus parcere, Deo manus dicta est consecrasse. Hinc Finees peccantium civium gratiam spernens, coeuntes cum Madianitis perculit et iram Domini iratus placavit. Hinc per semetipsam Veritas dicit. Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Malorum namque cum incaute amicitiis iungimur, culpis ligamur, unde Iosaphat qui tot de ante ac vita præconiis attollitur, de ab hac regis amicitiis pene periturus increpatur, cum a Domino per prophetam dicitur. Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Deum amicitia iungeris, et icciroo iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos in terra Iuda. Ab illo enim qui summe rectus est eo ipse iam discrepat, quo perversorum amicitiis vita nostra concordat. Admonendi sunt pacati, ne si ad correptionis verba prosiliant, temporalem pacem sibi perturbari formident. Rursumque admonendi sunt, ut eandem pacem dilectione integra intrinsecus teneant quam per invectionem vocis sibi extrinsecus tribuant. Quod utrumque David pro mense peribet servare cum dicit. Cum his qui hoderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis. Ecce et loquens impugnabatur, et tamen impugnatus erat pacificus, quia nec insanientes cessabant reprehendere, nec reprehensos neglegebat amare. Hinc etiam Paulus ait. Si fieri potest quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes, hortaturus enim discipulos ut pacem cum omnibus haberent, præmisit dicens. Si fieri potest. Atque subiungit. Quod ex vobis est. Difficile quippe erat ut si male acta corriperent, habere pacem cum omnibus possent. Sed cum temporalis pax in pravorum cordibus ex nostra increpatione confunditur, inviolata necesse est ut in nostro corde servetur. Recte itaque ait, quod ex vobis est. Ac si nimirum dicat. Quia pax et duarum partium consensu subsistit, si ab eis qui corripiuntur expellitur, integre tamen in vestra qui corripitis mente tenea-

tur. Unde et idem rursus discipulos ammonet dicens. Si quis non ebedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ot ne commisceamini cum eo, ut confuudatur atque illico adiunxit. Et nolite ut inimicum existimare illum, sed corripito ut fratrem. Ac si diceret. Pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem circa illum medullitus custodite, ut pacata mente sic vestra discordia feriat, quatinus pax a vestris cordibus nec abnegata discedat.

LXXXV.

Gregorius in pastorali. Qui abscondit frumenta maledicetur in propriis, frumenta quippo abscondere est, prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisquo maledicitur, quia in solius culpa silentii pro multorum quos corrigere potuit pena damnatur. Si medicinalis artis minime iguari secundum vulnus cerneret, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torporo committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui dum cognoscant vulnera mentium, curare ea neglegunt sectione verborum. Unde et bene per prophetam dicitur. Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. Gladium quippe a sanguine prohibere est, prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. Et infra. Si ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur, profecto esse se Dei denegant qui in quantum sufficit increpare vitam carnalium recusat.

LXXXVI.

Gregorius in . . . . . Vendentes et ementes do templo eiecti sunt, quia qui dona Spiritus sancti vendunt vel emunt, non sunt infra catholicam ecclesiam sed extra cum paganis et hereticis. Idem in regesto ad Vigilium episcopum. Eum quem quos pretio ordinat, agit ut hereticus fiat. Idem in eodem. Qui sacros ordines vendunt, vel emunt, sacerdotes esse non possunt, sed sunt pseudochristi et pseudoprophetæ. Gregorius Nazianzenus. Qui donum Dei pretio mercatur, in sacro ordine

nulla ratione manere potest. Hieronymus super Matthaeum. Latro enim est, et templum Dei in latronum convertit specu, qui lucra de religione sectatur. Cultusque eius non tam cultus Dei, quam negotiationis est occasio. Cotidie Ihesus ingreditur templum Patris et eiecit tam Episcopos quam Presbyteros et Diaconos et laicos et universa turba de æcclesia sua, et unius criminis habent vendentes pariter et ementes. Idem super Osee. Omnes heretici nichil differunt ab errore gentilium. Idem. Non oportet hereticorum benedictiones accipere, quia maledictiones sunt. Nicholaus II. Erga simoniachos nulla misericordia in dignitate servetur. Ambrosius. Non est vas vendere mysterium sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium sacerdotis. Non tamen sat est si lucrum ipse non quæras, familiæ quoque tuæ cohibendæ sunt manus. Nec hoc exposcitur, ut te solum immaculatum castumque custodiat. Non enim dicit Apostolus te solum, sed te ipsum castum custodi. Inexpiabilis est enim venditi culpa misterii. Denique Moabitæ et ceteri non introibant in ecclesiam Domini usque in III et IIII generationem, donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cum illi qui in Deum idolatriæ errore deliquerant, ut tot generationes essent multati, profecto durior videtur esse sententia, quæ Giezi semen usque in æternum pro cupiditate habendi prophetica auctoritate damnatur. Augustinus. Nullum peccatum sine cupiditate committitur, et omnis illicite appetit, istius aviditatis est morbus. Nullumque iustitiæ in nullo corde vestigium in quo sibi avaritia fecit habitaculum.

LXXXVII.

Nicholaus servus servorum Dei. Reverentissimis et sanctissimis qui ad Concilium convenistis. Inter cetera. Lege Imperatorum non in omnibus æcclesiasticis controversiis utendus esse, præsertim cum conveniat evangelicæ ac canonicæ sanctioni aliquotiens obviare. Ad quod ostendendum duorum heorum Innocentii scilicet et Gregorii satis sufficiunt testimonia. Sanctus quidem Innocentius in decretali epistola sua ad Ale-

xandrum Antiochenum Episcopum ait. Nam quod sciscitari inquiens utrum divisis imperiali iudicio provinciis ut duo metropoleos fiant, si duo metropolitani debeant nominari. Non ergo visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei æcclesia commutari, honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendis, duxit Imperator. Beatus Augustus Gregorius (*sic*) scribens ad Theoctistam patriciam inter cetera. Si enim inquid religionis causa coniugia debere dissolvi dicantur, sciendum est, quia et si hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit. Ecce quemadmodum imperiali iudicio non possunt æcclesiastica iura dissolvi. Ecce qualiter quod lex humana concessit, lex divina prohibeat. Non quod Imperator legibus quibus sepe ecclesia contra hereticos utitur, sepe contra tyrannos atque contra pravos quosque defenditur dicamus penitus renuendas, sed eas quod evangelicis apostolicis atque canonicis decretis quibus postponende sunt, nullum posse inferre præiudicium asseramus. Et infra. Quoniam divina favente gratia tantum cupimus huiusmodi scelus secundum creditum nobis celitus ministerium ab ecclesiæ facie radicitus amputare, ut si hac vice idem Lotharius monitis salubribus ac deffinitionibus nostris per legatos et epistolas nostras regulariter sibi missis noluerit obedire, et ad penitentiam competenti satisfactione præmissa quantocius repedare, a nobis atque a totius ecclesiæ corpore canonica atque apostolica sententia efficienter una cum omnibus fautoribus et communicatoribus suis penitus alienus.

LXXXVIII.

Nicholaus Episcopus servus servorum Dei piissimo et dilectissimo filio superatori gentium atque tranquillissimo imperatori Michaheli a Deo protecto semper Augusto. Et infra. Non ergo quales sint sacerdotes Domini, sed quid de Domino loquantur est vobis magnopere prævidendum. Non in Vicariis beati Petri Apostoli vobis est attendendum qui sint, sed quid pro correptione æcclesiarum, quid pro salute vestra satagant. Neque enim illos inferioris dicetis scribi et pharisei dicenti-

bus super cathedram Moysi, de quibus Dominus præcepit dicens. Quecunque dixerint vobis facite, et observate, secundum opera vero eorum nolite facere. Ergo Imperator considera si illos dixit audiendos qui super cathedram Moysi sedebant, quanto potius qui super cathedram Petri resident esse existimatis obaudiendum? Et si illorum non opera sed dicta facere et observare iubet quanto potius horum, quicumque sunt ipsornm dicta et monita custodienda sunt et amplectenda? Quod autem nos mali volumus, quia frustra indignamini et contra evangelium quod dicit qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis nos levitas nomine lacescendos opinamini, vobis nichil nisi quod est salubre, nichil nisi quod acceptum sit Deo offerre studentes.

LXXXVIIII.

Idem in eadem.

Preterea scripsistis iussisse vos quosdam qui sub nobis existunt mittit ad vos, quod longe est a piorum imperatorum affectu. Quorum sicut locum tenetis, utinam ita et pietatem sectemini. Quod longe est inquam a principibus Sedis Apostolicæ reverentiam observantibus. Non quippe hoc dicit Honorius, qui reverendo Præsuli Bonifatio scribi dicens. Petimus ut cotidianis orationibus Apostolatus tuus studium ac votum suum circa salutem atque imperium nostrum dignetur impendere. Non inquam hoc dixit Valentiniani et Marciani pia divalitas ad beatum Papam Leonem scribens. Et tuam inquietis sanctitatem principatum in episcopatu divinæ fidei possidentem sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam invitantes atque rogantes pro firmitate atque statu nostri imperii, æternam divinitatem tua sanctitas deprecetur. Non hoc dixit Iustinianus, qui dicit sancto Papæ Iohanni, etiam promulgatis legibus id interserens. Petimus vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædictas recte confitentur, suscipit vestra sanctitas, et eorum qui iudaice ausi sunt rectam denegare fidem condempnet.

Et rursum. Petimus inquid vestram beatitudinem orare pro nobis et acquirere Dei providentiam.

Ex VI Synodo.

Non hoc dicit Constantinus qui Dono Papæ scribens, etiam iurando benignitatem et honorem circa sedem exibet apostolicam in his verbis. Per Deum inquiens omnipotentem, non est apud nos partis cuiuslibet favor, sed equalitatem utrisque partibus observabimus, nullatenus necessitatem facientes in quacumque capitulo capit eis qui a vobis diriguntur quoquo modo, sed ex omni honore competenti munificentia et susceptione dignos eos habebimus. Et si quid utique convenerint, ecce bene. Sin autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus. Et post pauca. Invitare enim et rogare possumus ad omnem emendationem et unitatem omnium christianorum, necessitate vero inferre nullatenus volumus.

Ex VII Synodo.

Non hoc alius Constantinus et Hyrene Augusti dicunt qui ad Adrianum Papam scribentes aiunt. Rogamus vestram paternam beatitudinem, magis qui dicit Dominus Deus rogat, qui vult omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire ut det seipsam, et nullam tarditatem faciat, et ascendat huc. Et paulo post. Si non potuerit inquiunt ascendere huc, eligat viros pretiosissimos et dirigat una cum syllabis. O Imperator saltem nunc non agnoscitis quia a piorum imperatorum pietate in ac re differatis, et quia vox vestra ab eorum discrepet divinitus inspirata modestia? Illi quippe petimus, invitamus, ac rogamus, ecce sparsim ad sedis apostolicæ præsules, sed pari pietate clamant. Vos autem quasi non mansuetudinis et reverentiæ, sed solius imperii eorum hæredes effecti, et in causa pietatis illos imitari nolentes, præcepisse, iussisse, ac imperasse vos, ut quosdam subiectorum nostrorum ad vos mitteremus asseritis. Et hoc ipsum vos quidem egisse, nescimus cuius instigationibus fascinati et oblivioni traditi dicitis. Porro factum a vobis nullam recordatione recolimus. Nusquam enim no-

bis tale quid iussisse vos, ni fallimur hactenus reminiscimur, nusquam vos ad tantam circa sedem beati Petri Apostolorum Principis irreverentia devenisse cognovimus. Revolventes enim epistolam quam tunc venerabiles episcopos, et Arsavir gloriosum Spatharium miseratis, nil iussisse vos nobis, sed potius obsecrasse atque rogasse nos omnino reperimus. In quo datur intellegi, cum nunc aliter prohibeatis, aut vos oblitos eorum fuisse qui antea miseratis aut certe penituisse pro his quæ humiliter petiveratis.

XC.

Item in eadem.

Quod autem hi qui anima fato fratre et comministro nostro Ignatio depositi, et excommunicati, et anathematizati fuerant, nullam adversus eum intorquere damnationem potuerunt, ex prælato secundæ universalis synodi capite declaratur cum dicitur. Si vero ecclesiasticum fuerit crimen quod Episcopo illatum fuerit tunc probari oportet accusantium personas. Ut primo quidem hereticis non liceat accusationes contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis negotiis facere. Sed ne hos hereticos esse denegetis, audite sequentia. Hereticos autem inquit Dominus, tam eos qui olim ab ecclesia proiecti sunt, quam qui posthac a nobis anathematizati sunt. Porro si adhuc nec si creditis audite quod subditur. Preter hos autem aiunt, et eos qui fidem quidem sanam simulant confiteri, scismaticos etiam et eos qui seorsum a communicantibus nobis Episcopis collectas faciunt. Deinde vero et si quidam ab ecclesia super causis quibusdam reprehensi fuerint et proiecti, aut excommunicati, sive ex clero, sive ex laici ordine, nec his licere accusare episcopum antequam proprio crimine primitus exuantur. Similiter autem eos qui sub accusationes priori existunt, non ante esse acceptabiles in accusationem episcopi, aut aliorum clericorum, quia in noxio semetipsos illatorum sibi ostenderint criminum. Quid autem periculi regulæ huius immineat contemptoribus, non ignoratis.

XCI.

Item in eadem.

Cæterum ut calamum ad Constantinopolitanos præsules specialiter extendamus, aut nunquam omnino, aut certe vix eorum aliquis sine consensu Romani Pontificis reperitur eiectus, qui tamen actenus inter depositos annumeretur, et non ab hereticis vel tyrannis pulsus aut interemptus commemoretur. Denique ut ex his paucos commoneremus, nonne Maximus postquam multum a Damaso Papa sicut eius ad diversos epistolæ missæ indicant laboratum est, Constantinopoli pulsus est? nonne Nestorius, nonne Acathius? nonne Athemius, Sergius, Pyrhrus, Paulus, Petri Sedis Apostolicæ discurrentibus consultationibus ac decretis eiecti sunt? Cum ergo ita sit, cur in solo Ignatio beati Petri memoriam despicere ac oblivioni tradere studuistis? nisi quia pro voto cuncta facere voluistis constituentes synodum Ephesinæ secundæ crudelitati consimilem. Et post pauca. Et ad votum sæcularium ut cum pace vestra dicamus, de solio imperiali descendentes, cathedram præsularem ut ita fateamur ascendistis, et pro desiderio ostium eius Augustalium obliti sceptrorum quemdam regem Israel imitantes adversus illum sacerdotalis ministerii arripuistis officium. Præsertim cum imperium vestrum suis publicæ rei cotidianis administrationibus debeat esse contentum nec usurpare que solum sacerdotibus Domini conveniunt. Dicite quæso ubinam legistis imperatores antecessores vestros in synodalibus conventibus interfuisse nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, et ad omnes omnino pertinet christianos. Vos autem non solum in synodo in causa sacerdotis collecta interfuistis, verum etiam numerosa sæcularium milia videndi eius opprobrium aggregastis, cum magis debueratis in hoc imitari Constantinum pium Augustum, de quo scriptum est quod dixerit quia si vidissem aliquem eorum qui religioso circumamicti sunt abitu turpitudinem aliquam operantem, clamydem meam explicassem et cooperuissem

eum ne videretur a quoquam. Sed hoc in viro omnia hæc oblivioni traduntur, fit plausus de Domini sacerdote scurris et hystrionibus, heu quomodo obscuratum est aurum, libet cum Hieremia clamare. Et cetera.

XCII.

In eadem.

Sed rogamus omnipotentem Deum, ut vobis tribuat nosse ad plenum suæ dispositionis qua sancta æcclesia moderatur archanum. Et quæ sint, vel quanta, et qualia Romanæ Ecclesiæ privilegia, ex quo ceperint exordio, et quis eius summe auctor existat auctoritatis vobis clementer aperiat. Quod si a nobis quæritis scire, utpote a ministris Christi, et dispensatoribus ministeriorum eius, vobis evidentius ostendemus. Si vero nosse parvipenditis, et solum contra privilegia ecclesiæ Romanæ nisus vestros erigitis, cavete ne superbos convertantur. Durum quippe est vobis contra impetum fluminis reluctari, durumque est contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos necessario quales Dominus noster Iesus Christus hos haberi præcipit, qui æcclesiam Dei audire contemnit. Præsertim cum æcclesiæ Romanæ privilegia Christi ore in beato Petro firmata, in ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, et a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta ecclesia iugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari. Quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit. Illeque potissimum peccat qui Dei ordinationi resistere temptat. Privilegia inquam istius sedis vel ecclesiæ perpetua sunt divinitus radicata atque plantata sunt. Inpingi possunt, transferri non possunt. Trahi possunt, evelli non possunt. Quæ ante imperium vestrum fuerunt et permanet Deo gratias actenus illibata, manebitque post vos, et quousque christianum nomen prædicatum fuerit illa subsistere non cessabit immutilata. Ista igitur privilegia huic sanctæ ecclesiæ a Christo sunt donata, a synodis non sunt donata, sed tantummodo celebrata et venerata, per quæ non tam honor quam onus nobis indibit.

XCIII.

In eadem.

Pro me animadvertendum est, quia non Nicena, non denique ulla synodus quodquam Romanæ æcclesiæ contulit privilegium, quæ in Petro noverat tam totius iura potestatis pleniter meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse. Sicut beatus præsul Bonifatius attestatur universis episcopis per Thessaliam constitutis scribens. Institutio universalis nascentis ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen est et summa consistit. Ex eius enim æcclesiastica disciplina per omnes ecclesias religionis iam crescente cultura, fons emanavit. Nycene synodi non aliud præcepta testantur, a Deo non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nichil supra meritum suum posse conferri. Omnia deniqne noverat, huic Domini sermone concessa. Si omnia, ergo nichil defuit, quod non illi concesserit. Denique si instituta Nycene synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanæ ecclesiæ nullum eadem synodus contulit incrementum, sed potius ex eius forma, quod Alexandrine æcclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum. Hoc igitur et his similia nos et pro Constantinopolitana et pro cunctis ecclesiis sollicitos reddunt.

XCIIII.

Item in eadem.

Per principalem beatorum Apostolorum Petri et Pauli de qua supra exposuimus potestatem, ius habemus non solum monachos, verúm etiam quoslibet clericos de quacumque diocesi cum necesse fuerit ad nos evocare, atque ecclesiasticis exigentibus oportunitatibus invitare. Et ut cum beato Gelasio nostre sedis antistite consulte dicamus, necessaria rerum dispositione constringimur, et apostolicæ Sedis moderamine convenimur sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum, restaurandis ecclesiis relaxanda

deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri temperemus. Et quoniam de persona Ignatii atque Photii nichil discretius atque mitius, necnon et salutarius arbitramur, quam uterque Romam ad renovandum examen veniat, hoc magnopere volumus et ut vos annuatis salubriter admonemus.

XCV.

In eadem.

Patet profecto Sedis Apostolicæ cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine forte retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Iuxta quod Bonifatius Papa Rufo et ceteris Episcopis per Thessaliam constitutis scribens. Nemo ait unquam Apostolico culmini de cuius iudicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit iudicari. Et beatus Papa Gelasius. Nec de eius hoc est Romanæ Ecclesiæ canones unquam præceperunt iudicari iudicio, sententiamque illius constituerunt non oportere disolvi, cuius potius sequenda decreta mandarunt. Ergo de iudicio Romani præsulis non retractando, quia nec mos, exigit quod diximus comprobato, non negamus eiusdem sedis sententiam posse in melius commutari cum aut sibi surreptum aliquid fuerit, aut ipsa consideratione ætatum vel temporum, seu gravium necessitatum dispensatorie quiddam ornare decreverit. Quoniam et egregium apostolum Paulum quædam fecisse dispensatorie legimus quæ postea represse dinoscitur. Quoniam tamen illa Romana videlicet ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit, nunquam ipsa quæ bene sunt diffinita retractare rennuerit.

XCVI.

Item in eadem.

Ne ergo dicatis nos præter æcclesiæ legem præphatos Romam venire sanxisse, beatus Papa Iulius et accusatum et accusatores Romam venire præcepit, et venerabilem Atha-

nasium ad iudicium regulariter evocavit. Sed ille qui bonam conscientiam habuit, nichil reluctans venit, illi vero qui malam contempserunt, scientes profecto facile suum posse capi mendacium. Quod nos quoque in Ignatio ac Photio modo probavimus, qui a conscientia se remordente qui pavet, nobis obedire contemnet. Item in eadem. Iam vero si monitis nostris obedieritis, et quæ intimavimus adimplere studueritis, favente Domino, auctoritateque sanctorum principum Apostolorum potiti, licentia christianissimæ ac mansuetissimæ sublimitati vestræ concedemus cum sancta catholica et apostolica ecclesia, specialiter autem nobiscum et cum sacerdote nostro Ignatio et cum patre ipsius communionis gratia participandi, excepta communione Gregorii Siracusani et patris eius, atque consentaneorum ipsius communione. Item in eadem. Nolite indignari, nolite adversus nos frustra causari, nolite perversorum hominum verba libenter audire, sed potius nos audite. Nolite nobis minas prætendere, quoniam nec illas Domino protegente metuimus, nec per has præcepta vestra nisi divinimus fuerint ornata iussionibus faciemus. Parati autem sumus propter veritatem sanguinem nostrum effundere. Et quidem plebem divinitus nobis commissam nec vobis nec ulli vestrum propitio Christi trademus. Vestrum autem est considerare, utrum quod meditamini valeatis necne perficere. Cogitate itaque dies antiquos et annos æternos in mente habetote, et quod imperatores qui persecuti fuerunt æcclesiam Dei, et maxime æcclesiam Romanam, idest Nero, Diocletianus, Constantius, Anastasius, et ceteri moris eorum pertulerint, et ubi modo sunt attendite diligenter, et quantum sit in ecclesia Dei execrabilis fama eorum et nomen detestabile sapienter a virtute. Quam autem Dei cultorum Augustorum qui æcclesiam Dei exaltaverunt, et præcipue Romanam Constantiui videlicet et Constantis Theodosii quoque maioris et Valentiniani et cæterorum laus in universali ecclesia polleceat et eorum præconia ubique personent et nomen eorum impraetermisse inter sacra ministeria commemoretur, attentius et sedule recordamini, sicque nos audire illos imitantes satagite. Et paulo post. Quapropter attendat clemen-

tia vestra, quantus fuerit erga Sedis Apostolicæ reverentiam antecessorum vestrorum piorum dumtaxat imperatorum et præcipue quos longe superius memoravimus amor et studium, qualiter Romanam æcclesiam diversis privilegiis extulerint, donis dictaverint, beneficiis ampliaverint, qualiter illam litteris suis honoraverint, eius votis annuerint, instituta perficienda mandaverint, orationes petiverint, fidem sectandam decreverint, qualiter etiam legibus suis pro adiuvandis eis ecclesiis promulgaverint, pro colligendis conciliis ac proferendi sententiis non imperaverint, sed precati et hortati solummodo extiterint. Et quod ipsius Pontifices decreverunt ipsi consensere, et quæ illi damnavere ipsi respuerint. Sic ergo fili karissime sic et tua sublimitas non ex parte ingratorum et inobedientium filiorum existens quod absit, sed hos inter ceteros Dei cultores Augustos immitando, que decrevimus de Constantinopolitana æcclesia obedienter attendat, præ oculis habitis Dei verbis dicentis. Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit, et qui me spernit, spernit eum qui me misit. Et paulo post. Dispensatione nobis celestis seminis inuncta, ve si non sparserimus, ve si tacuerimus. Quod cum electionis vas formidet et clamet quanto magis cuilibet exiguo metuendum est? Proinde non sicut leve discrimen incumbit Pontificibus siluisse quod congruit, ita his quod absit non mediocre periculum est, qui cum debeant parere despiciunt.

XCVII.

Item in eadem.

Vos autem quos nolite præiudicium Dei ecclesiæ irrogare. Illa quippe nullum imperio vestro præiudicium inferet, cum magis pro stabilitate ipsius æternam divinitatem exoret. Nolite quæ sua sunt usurpare, nolite quæ ipsi soli commissa sunt velle surripere, scientes quia tanto nimirum a sacris debet omnis mundanarum rerum administrator esse remotus quanto quemlibet ex catalogo Apostolorum et militantium Deo nullus convenit negotiis sæcularibus implicari. Denique hi quibus tantum humanis rebus et non divinis præesse permissum est,

quomodo de his per quos divina ministrantur iudicare præsumant penitus ignoramus. Fuerunt hæc ante adventum Christi ut quidam tipice reges simul et sacerdotes existerent. Quod secundum Melchisedech fuisse sacerdos prodit hystoria. Quodque in membris suis diabolus imitatus est, utpote qui semper quæ divino cultui conveniunt sibimet et tirannicos spiritus vindicare contendit, ut pagani imperatores idem et maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eundem regem atque pontifices, ultra sibi nec imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Ihesus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia sursus in inferna demergi, ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus uterentur. Quatinus spiritualis actio carnalibus distare incursibus, et ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur qui esset negotiis sæcularibus implicatus.

XCVIII.

Et post pauca.

Quibus omnibus rite collectis satis evidenter ostenditur a sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem quem constat a pio principe Constantino quod longe superius memoravimus, Deum appellatum, cum nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum sit. Sed et Theodosius minor sanctæ synodo scribens Ephesine primæ dicit. Deputatus est igitur Candidianus magnificentissimus comes strenuorum domesticorum transire usque ad sanctissimam synodum vestram, et in nullo quidem quæ faciende sunt de piis dogmatibus quæstione seu potius expositionis communicare. Illicitum namque est eum qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum æcclesiasticis intermiscere tractatibus. Et post pauca,

his itaque manifeste repertis apparet et comministrum nostrum Ignatium per imperialem sententiam nullomodo potuisse prorsus expelli. In cuiusdam natione quia præsulum subsecutus quoque est assensus, apparet id causa patratum fuisse adulationis, non lègitime sanctionis.

XCVIIII.

Nicolai ad Imperatorem Karolum.

Reprehensibile denique valdè esse constat quod subintulisti, dicendo maiorem partem hominum episcoporum diu noctuque cum aliis fidelibus tuis contra pyratas maritimos invigilare ob idque episcopi impediantur venire, cum militibus, Christi sit Christo servire militibus vero sæculi sæculo. Sicut scriptum est, nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Quod si sæculi milites militiæ student, qui ad episcopos et milites Christi, nisi ut vacent orationibus.

C.

Item ad eundem.

Accusatores autem habere Rotharium nonnisi qui accusator fratrum in apocalipsi Iohannis appellatur, et opera eius quæ in ipsa eiusdem antiqui hostis instinctu patrantur profecto comperimus. Quæ vero Rotharius Rex vester nepos operatur accusatore non indiget. Manifesta quippe apostolo teste sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, et cætera.

CI.

Eiusdem ad Lotharium regem.

Præcipuæ Qualdradæ pelicis tuæ et dudum a te repudiate communionem declina. Excommunicata est enim, et usque ad præsentiam nostram ab omni christianorum contubernio sequestrata. Quamobrem cavendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro unius mulierculæ passione vinctus

et obligatus ad perhenne traharis exitium. Deterius quippe in populis prælati delinquunt ac per hoc ipsi crudelius quam ceteri puniuntur, ut ait beatus Gregorius. Scire etenim prælati debent quia si prava unquam perpetrant tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt non soli moriuntur. Et infra. Cæterum præcave ne quando nos secundum Domini præceptum II aut III testes adhibeamus, immo vero ne hoc ecclesiæ suæ dicamus, et quod non optamus de cetero fias cunctis sicut ethnicus et publicanus. Idem in regesto. Petrus in Domini passione nichil in Malco nisi auriculam abscidit, ut nobis eius vicem gerentibus daret intelligi, nullos nos magis debere consequi quam quorumlibet inobedientium surdos auditus.

CII.

Iohannes Episcopus Ludovico imperatori, inter cetera. Michahel quondam Græcorum Imperator, Apostolicæ sedis missos Constantinopolim destinatos non recepiendo, etiam paganorum excessit tyrannidem. Sed licet ipse tante sedis suscipere parvipenderit viros, tamen sanctæ memoriæ Nycolaus tunc prædecessor noster, aditerato mittere distulit. Nec divina vindicta tante Sedis contemptu diutius inultum dimittere pertulit quem silicet amara gladii morte ab emulis trucidari permisit.

CIII.

Iohannes Episcopus Hludovico imperatori inter cetera. Siquidem Ciceronis est illa multis experimentis iam probata sententia, quia sicut posteriores principes rem familiarem sive domesticam melius rexisse probatur et lautius, sic nimirum antiquiores Romani Pontifices melioribus gubernaverunt et institutis et legibus. Hinc quod est antiqua consuetudo legibus adiuvata, semper optinuit, ut magistratus honor ultra annale spatium nulli penitus largiretur. Quo completo, legali successor admittitur, et prior Iudex L diebus intra provinciam rememorari iubetur, donec si qua distraxerat possessoribus referan-

tur. Si qua vero prædia suo nomini comparaverat, vel si qua sedi tempore suæ administrationis extorserat, iuri Romani Pontificis vendicetur. Hinc est quod usque ad vestræ serenitatis magistratus annui tam illi in partibus permanserunt quam istis in partibus apud nos actenus permanere probantur. Ut videlicet alternantibus per alterna ducibus temporalia, augeretur Romani Pontificis potius quam perhenni magistratibus in ius proprium redigatur. Et infra. Nam cum rerum possessio sive in decennium, sive in vicennium, sive in tricennium ut legis latores asserunt excludatur, vel confirmetur, cerne piissime Christoque devotissime Imperator quantum unicuique discriminis inferre valeat tot aunorum præscriptio, dum tyrannicis ducibus magistratus continuus quod a sæculis nunquam auditum sive lectum reminiscitur suffragatur præsertim cum in Romanis legibus cautum sit ut id tantum de sacra responsione substantiam mutuetur, quod legum auxilia persecuntur. Et iterum. Generale præceptum, beneficio speciali anteferendum est. Et illud. Contra ius rescripta non valent quocumque modo fuerint impetrata. Quod enim publica iura præscribunt magis sequi iudices debent, Et infra. Personalia rescripta quæ cum iure concordant valeant more veterum, et negotii de quo loquitur nostra rescriptio. Finis latæ sentiæ (*sic*) terminis censeatur. Speciales autem si quid de legibus ac iuri importat iniuriam, abolitos extirpes. Gregorius Ianuario Episcopo Calaritano. Imperiali constitutione aperte sancitum est ut ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. Et beatus Gelasius ait. Quis enim aut leges Principum, aut Patrum regulas, aut admonitiones modernas ducat debere contemni nisi qui impunitum sibi tantum estimet transire commissum? Et iterum. Semper constitutio generat temerata vindictam. Vides ergo fili karissime, quia quod contra leges accipitur per leges dissolvi meretur. Item longe inferius. Et iuxta quod Felix sanctissimus prædecessor noster asseverat in die iudicii talem a nobis ambobus æcclesiam certum est, qualem a patribus accepimus exigenda. Etiam in ac vita se ad eam pertinere cognoscat, qui non solum plenituru (*sic*) eius

noxia conatur inferre, verum etiam qui eidem congruentia dissimulat providere. Serenissime imperator non solum qui noxia inferre conatur, verum etiam qui congruentia providere dissimulat ad ecclesiam non pertinere cognoscitur, quanto labore nobis studendum est, ut non solum noxia non inferamus, verum etiam æcclesiæ Dei providere certemus congruentia. Idem Engeberge imperatrici inter cetera. Scio enim et certus sum quia venturus iudex sanctam suam æcclesiam ab utrisque nobis non solum qualem commisit, immo etiam cultiorem, liberiorem, quietiorem, ampliorem que requiret, quam esset cum nos ad regimen eius eo disponente accessimus. Et ideo solliciti sumus non solum pro nobis verum etiam pro vobis, ne nostris temporibus sinistris opinionibus maculetur, ne quod absit nostris manibus nobis clausisse sempiternæ vitæ ianuam iudicemur.

CIIII.

Ioannes Episcopus Karolo gloriosi regi inter cetera. Igitur quia sicut Domino placuit Hludovicus gloriosus Imperator defunctus est, cum nos quos in loco eius propitia divinitate succedere debuisset cum fratribus nostris, et inclinato Romano Senatu concorditer tractaremus, devotione et fide tua ad medium deducta, hanc multi dignis præconiis efferre ceperunt. Cuius et nos non solum nostris diebus, sed etiam beati Papæ Nicolai tempore reminiscentes, exellentiam tuam ad honorem et exaltationem Sanctæ Romanæ Æcclesiæ et ad securitatem populi Christiani eligendam esse speravimus.

CV.

Ex regesto VI Stephani Papæ.

Stephanus Episcopus Servus servorum Dei Karolo gloriosi imperatori inter cetera. De cætero vestram convenerit celsitudo, litteras vestro nomine insignitas ad nos III kal. Aprilis pervenisse. In quibus continebatur vos XIIII° post sanctum Paschæ diem placitum tenere in Alamannia, ad quod Sanctæ

Romanæ cui Deo auctore præsidemus æcclesiæ vos velle venire significabant. Quæ in ambiguitatem apud nos ob hoc devenerunt. Primo quidem quia earum delator idoneus vestræ honorificentiæ non habebatur persona videlicet vilissima. Secundo quia neque aliquod missi dirigi muniti deberentur, nec in epistola continebatur, nec ipse verbo tenus dicere sapiebat. Tertio quia tam celeri tempore nec missi occurrere poterant, nec parari ad proficiscendum. Quarto quia qui eos susciperet ad deducendum more solito, secundum beati Petri vestramque decentiam deerat. Novimus itaque vestram gloriam ad huius ecclesiæ decentiam et exaltationem summopere anhelare, prout talis filius tantæ matris honorificentia, a qua totius imperii diadema suscepit, Itaque cum prælibata IIII capita neutre decentiæ congrua haberentur, ambiguitas an vestræ essent litteræ inolevit. Attamen si vestræ expedit decentiæ atque utilitati, mittite qui causam indicent, et eosdem legatos deducant, et nos congruo tempore proprios se ad vestrum obsequium gratanter mittemus. Quia et consuetudo eiusdem habetur et decessorum vestrorum talis extitit, et vestræ decentiæ si congruum videtur et creditur ipsi perpendite cuius sit indecentiæ si secundum dedecus matris vestræ eius legati destinantur. Et si vobis necessitas quælibet incumbit, qua auctoritate prodesse possint, ut a contrariis honorentur et audiantur si vulgi more gradiuntur.

CVI.

Ex regesto VII Gregorii lib. VIII.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo fratri Herimanno Metensi episcopo inter cetera. Quod autem postulasti te quasi scriptis nostris iuvari, ac præmuniri contra illorum insaniam qui nefando ore garriuntur, nos auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ non potuisse regem Heinricum hominem Christianæ religionis contemptorem, æcclesiarum videlicet et imperii destructorem, atque hereticorum consentaneum excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis eius absolvere. Et post pauca. Ut de multis pauca dicamus

quis ignorat vocem Domini ac Salvatoris nostri Ihesu Christi dicentis in evangelio. Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo æcclesiam meam, et cetera, usque erit solutum et in cælis. Numquid sunt heretici reges excepti? aut non sunt de ovibus quas filius Dei beato Petro commisit? Quis rogo in hac universali concessione ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi forte infelix ille qui iugum Domini portare nolens, diaboli se subicit honeri, et in numero ovium Christi esse recusat? Et post quasdam optimas interpositiones. Quod si beatus Gregorius doctor utique mitissimus, reges qui statuta sua super unum xenodochium violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari atque in æterno examine damnari decrevit, qui nos Heinricum non solum apostolorum iudiciorum contemptorem verum etiam ipsius matris ecclesiæ quantum in ipso est conculcatorem, totiusque regni ecclesiarum improbissimum prædonem, et atrocissimum destructorem excommunicasse reprehendat, nisi fortasse similem eius? Sicut beato Petro docente cognovimus in epistola de ordinatione Clementis, in qua sic ait. Si quis amicus fuerit hiis quibus ipse de eodem Clemente dicens non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare ecclesiam Dei volunt, et cum corpore esse nobiscum videatur, mente et animo contra nos est. Et est multo nequior hostis hic, quam illi qui foris sunt et evidenter inimici. Hic enim per amicitiarum speciem, quæ unica sunt gerit, et ecclesiam dispergit ac vastat. Sed et Anacletus ab eodem Clemeute secundus hæc eadem in IIII' sua epistola sub eisdem verbis iterat adiciens. Quod si quis hæc præcepta non observaverit, hostis animæ suæ, et non tantum infamis, sed excommunicatus atque alienus ab æcclesia efficitur, quoniam necesse est ea vitia ferro abscindere, quæ aliis medicamentis non curantur. Nota ergo carissime si eum qui amicitia vel colloquio his quibus propriis pro actibus suis aversus est sociatur, tam graviter beatus Petrus iudicat, quanta illum ipsum cui pro actibus suis ausus est animadversione dampnat. Item post quasdam optimas interpositiones. Talibus ergo institutis talibusque fulti auctoritatibus plerique Pontificum, alii reges, alii imperatores ex-

communicaverunt. Nam si speciales aliquid de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius Papa Archadium imperatorem quia consensit ut sanctus Iohannes Chrisostomus a sede sua pelleretur excommunicavit, sicut ait primus Nicholaus Papa in suo regesto I in epistola ad imperatorem Hludoichum. Alius item Romanus Pontifex, Stephanus scilicet, regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati non erat utilis a regno deposuit, et Pipinum Karolimanni imperatoris patrem in eius loco substituit, omnesque Francigenas iuramento fidelitatis quam sibi fecerat absolvit. Quod etiam ex frequenti auctoritate sepe agit sancta æcclesia cum milites absolutum a vinculo iuramenti quod factum est his episcopis qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur. Et beatus Ambrosius licet sanctus, non tamen universalis æcclesiæ episcopus, pro culpa quæ aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodoxium magnum imperatorem excommunicans ab æcclesia exclusit. Qui etiam in suis scriptis ostendit quod aurum non tam pretiosius sit plumbo quam regia potestate sit altior dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principium sui pastoralis scribens. Honor fratres et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adequari. Si regum fulgori compares et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et exosculata eorum dextera, orationibus eorum credant se communiri, hæc cuncta fratres ideo nos præmisisse debetis cognoscere, ut ostenderemus nichil in hoc sæculo esse excellentius sacerdotibus, nichil sublimius episcopis reperiri. Item ex synodo eiusdem episcoporum XCV sumptum ex V libro regesti eiusdem. Prædecessorum nostrorum statuta sequentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento adstricti sunt apostolica auctoritate sacramento absolvimus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant et ne eis antea fidelitatem observent, modis omnibus prohibemus.

CVII.

Item ex II libro regesti eiusdem cap. XLIII.

Gregorius Episcopus, Rodulfo Duci Sveinæ et Bertulfo Duci Carentano inter cetera. Cum igitur Episcopos Apostolica immo Spiritus sancti mandata spernentes, et scelera subditorum criminosa faventes patientia, et divina misteria indigne tractari conspicimus, aliquo quolibet modo nos contra hos vigilare convenit, quibus curam Dominici gregis præ cunctis incumbit. Multo enim nobis melius videtur iustitiam Dei novis hedificare consiliis, quam animas hominum legibus deperire neglectis. Quapropter ad vos, et ad omnes de quorum devotione confidimus, convertimur Apostolica auctoritate monentes, ut quicquid Episcopi dehinc taceant, vel loquantur, vos officium simoniacorum et in fornicatione iacentium scienter nullomodo recipiatis, et quantum potestis, tales sanctis mysteriis etiam vi si oportuerit prohibeatis. Si qui vero contra vos quasi istud non sit vestri officii garrire incipient, dicite ut vestram et populi salutem non impedientes, de iniuncta vobis obedientia ad nos vobiscum disputaturi conveniant.

CVIII.

Hysidorus in III libro sententiarum cap. LIIII.

Principes huius sæculi nonnunquam inter æcclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum in æcclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sepe per regnum terrenum cæleste proficitur regnum; ut qui intra æcclesiam positi contra fidem et disciplinam æcclesiæ agit, rigore principum constringantur. Ipsamque disciplinam quam æcclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtute potestatis impertiat. Cognoscantur principes sæculi Deo debere se rationem propter

æcclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax, et disciplina æcclesiæ per fideles principes, sive solvantur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam æcclesiam credit. Ad delictum pertinet principum, qui pravos iudices contra voluntatem Dei propriis fidelibus præferunt. Nam sicut populi delictum est quando principes mali sunt, sic principis est peccatum, quando iniqui indices existunt. Bonus iudex sicut nocere civibus nescit, ita prodesse omnibus novit. Idem in eodem, capite XLVIII et XLVIIII. Principes regesque electi sunt, ut terrore suo populos a malo coercerent, atque ad recte vivendum legibus subderent. Potestas bona est, quando Domino donante est, ut malum terre coerceat, non ut mare malum committat. Nichil autem peius, quam per potestatem peccandi libertatem habere. Nichilque infelicius male agendi felicitate. Qui intra sæculum bene temporaliter imperat, sine fine in perpetuum regnat, et de gloria sæculi huius ad æternam transmigrat gloriam. Qui vero prave regnum exercent, post vestem fulgentem, fulgente et lumina lapillorum nudi et miseri ad inferna torquendi descendunt. Reges a recte agendo dicuntur. Et ideo recte faciendo regis nomen tenetur, peccando amittitur. Reges quando boni sunt, muneris est Dei, quando vero mali sceleris est populi. Membra Christi fideles sunt populi, qui dum eam potestatem quam accipiunt optime regunt, bonam utique vissitudinem Deo largitori restituunt. Et infra. Regi ascribitur quicquid est eius exemplo a subditis perpetratum. Cuius peccatum quisquis sequitur, necesse est ut eius penam sequatur. Neque enim erit impar supplicium cuius errori quisque par est ac vitio, principes vinculo equitatis tenentur astricti, ut fidem Christi suis legibus prædicent, et ipsam fidei prædicationem moribus bonis conservent.

CVIIII.

Hormisda natione Campanus ex constituto synodi misit in Græciam, humanitatem ostendens Sedis Apostolicæ quam Græci obligati erant vinculo anathematis a Romanis Pontificibus propter Petrum Alexandrinum Episcopum Euthicianistam et A-

chacium Constantinopolitanum qui ei communicabant. Ideo II° misit Ennodium et Peregrinum Episcopos portantes epistolas confortarias fidei XVIIII et textum libelli, in quo libello noluit consentire Anastasius Augustus, qui et ipse in Euthicianam heresim communis erat, voluitque eosdem legatos per remunerationem corrumpere. Qui contempto eodem Augusto nullatenus consenserunt accipere pecuniam, nisi satisfactione Apostolicæ Sedis. Et infra. Furore repletus Anastasius Augustus contra Papam Hormisdam, inter alia sacra sua hoc scripsit dicens. Nos iubere volumus, non nobis iuberi. Eodem tempore nutu divinitatis percussus est fulmine imperator Anastasius. His temporibus episcopatus in Africa post annos LXXIIII revocatus est, qui ab hereticis fuerat exterminatus.

CX.

Iohannes primus natione Tuscus, cuius temporibus beatus effulsit Benedictus, perrexit Constantinopolim, cui occurrit a XII° miliario omnis civitas cum cereis et crucibus in honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli. Tunc Iustinus Augustus dans honorem Deo, humiliavit se pronus et adoravit beatissimum Iohannem Papam cum gaudio magno, quia meruit temporibus suis Vicarium beati Petri Apostoli videre in regno suo, de cuius manibus cum gloria coronatus est.

CXI.

Agapitus natione Romanus ingressus Constantinopolim susceptus est cum gloria. Et cepit altercationem habere de fide cum Iustiniane Augusto affirmans duas naturas in Domino nostro Ihesu Christi vero Deo et homine. Cui dixit Augustus. Aut consentis nobis, aut exilio te deportari faciam. Tunc beatissimus Papa cum gaudio dixit ad eum. Ego quidem peccator Iustinianum christianissimum imperatorem invenire desideravi, nunc autem Diocletianum inveni. Tamen minas tuas non pertimesco. Tunc ex præcepto Augusti, accersito Episcopo Constantinopolitano nomine Anthimo et discussione patefacta, nunquam voluit confiteri duas naturas in uno Domino nostro Ihesu

Christo. Quem convicit beatus Papa, et glorificatus est ab omnibus. Tunc Iustinianus Augustus gaudio repletus, humiliavit se Apostolicæ Sedi et adoravit beatissimum Papam. Et segregato Anthimo a communione et pulso in exilio, ex rogatu Augusti consecravit in loco eius Mennam venerabilem virum. In eodem. Iustinianus secundus Imperator, qui quondam synodum a IIII patriarchis et eorum suffraganeis celebratam et subscriptam, ad subscribendam in primo loco priori Sergio Romano Pontifici, ut pote omnium sacerdotum capiti direxerat, per quem eidem propter quod præfatæ synodo ob quædam in ea contraria Romanæ æcclesiæ inserta capitula, nullatenus subscribere voluit, multis modis insidia tetenderat, cum Leonem et Tyberium, qui eo expulso divino nutu eius imperium sibi arripuerant coram populo iugulasset, ilico ut imperium recepit, per duos metropolitas episcopos epistolam suam VII Iohanni Papæ direxit, in qua eundem adhortatus est coniurando, ut apostolicæ æcclesiæ concilium aggregaret et quæque ei visa fuissent, statueret, quæ adversa rennuendo cessaret.

CXII.

Constantinus natione Syrus ingressus est Constantinopolim, cui a VII milliario obviam venit Tyberius imperator filius Iustiniani Augusti, cum patriciis et omni syncletu, et Cyrus Patriarcha cum clero et multitudine populi, omnes lætantes et diem festum agentes. Pontifex vero et eius clerus et primates cum sellaribus imperialibus, et frenis inaurati simul et mappulis ingressi sunt civitatem. Et apostolicus Pontifex cum camelauco ut solitus est Romæ procedere. In die autem qua se invicem viderunt Iustinianus Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostravit pedes obsculans, Pontifex, deinde in amplexu mutuo convenerunt, et facta est lætitia magna in populo.

CXIII.

Stephanus natione Romanus anno Dominicæ incarnationis DCCLII habiit ad excellentissimum regem Francorum Pipi-

num, adversus Aistulphum regem Langobardorum auxilium postulans. Audiens autem idem rex eiusdem beatissimi Pontificis adventum, nimis festinanter in eius advenit occursum, una cum coniuge et filiis et primatibus, et fere ad C miliarium filium suum Karolum ei obviam misit cum aliquibus ex suis optimatibus. Ipse quoque in palatio quod dicitur Ponticone fere ad trium miliariorum spatium descendens de equo suo, cum magna humilitate terræ prostratus, una cum coniuge et filiis et optimatibus eum suscepit Pontificem. Cui et vice stratoris usque in aliquantum locum iuxta eius sellam properavit, et cum magna gloria ad suum palatium perduxit, et omnia quæ hab eo Pontifex petivit impetravit. Ex chronica Francorum anno Dominico Incarnationis DCC.LXXXVII. Adrianus Papa in die sancto Paschæ præsente Karolo imperatore anathematizavit Thassilonem ducem Baiovariorum, nisi in omnibus obediret eidem imperatori, et filiis eius, ac genti Francorum, sicut iuraverat Patri suo Pipino et sibi. Quod si nollet et sanguinis effusio fieret, et aliud aliquid mali, hoc super eumdem Ducem et eius consentaneos esset, et præfatus Rex et sui ab eadem culpa immunes essent. Idem anno DCCCVI tribus filiis suis regnum divisit, testamentum faciens, quod Leoni III° ad subscribendum misit. Quo perlecto, Pontifex et assensit et subscripsit. Idem anno DCCC.VIIII quæstionem de processione Spiritus Sancti a Iohanne monacho hierosolimitano suscepit, quam diffiniendam III° Papæ Leoni direxit.

CXIIII.

Adrianus natione Romanus necessitate compulsus direxit marino itinere suas apostolicas litteras Karolo excellentissimo regi Francorum, deprecans ut sicut suus pater sanctæ memoriæ Pipinus, et ipse succurreret sanctæ Dei æcclesiæ, adversus insolentiam et tirannidem Desiderii regis Langobardorum. Tunc ipse a Deo protectus Karolus rex aggregans universam regni sui exercituum multitudinem, per VI menses obsedit eumdem Desiderium in civitate Papia. Adveniente vero Paschali festivitate, magno desiderio ad Apostolorum limina pro-

peravit. Cui Pontifex venerandas Cruces, idest signa oviam misit et universas scolas militie, et pueros portantes ramos palmarum sive olivarum. Ipse vero excellens Rex qua hora easdem sacratissimas Cruces, et signa conspexit, statim de equo descendens, cum suis ad beatum Petrum pedextris perrexit. Quem venerandus Pontifex anno Dominice incarnationis DCCLXXIIII in sabbato sancto Pasche in gradibus ipsius Apostolicæ aule cum clero et populo Romano præstolatus est. Qui dum advenisset omnibus gradibus beati Petri deosculatis, apud nominatum pervenit Pontificem. Cumque mutuo se amplexati essent, tenuit idem Christianissimus Rex manum ipsius Pontificis. Et ita ad beati Petri confessionem cum omnibus suis properans, terræ prostratus, Deo et sancto eius Apostolo vota persolvit. Tunc idem rex obnixe precatus est Pontificem, ut illi licentiam tribueret Romam ingrediendi, orandi gratia per diversas æcclesias. Et descendentes pariter ad corpus beati Petri cum iudicibus Romanorum et Francorum, seseque mutuo per sacramenta munientes, ingressi sunt continuo Romam. Celebrata vero paschali festivitate, IIII feria, oblatis magnis donis beato Petro ad obsidionem Papie reversus est, et auxiliante Deo et eodem Apostolo, Desiderium Langobardorum regem cum coniugè secum deportavit et sibi omne regnum eius subiugavit. Item cum rex Hludovicus Romam coronandus venisset, secundus Papa Sergius eum in gradibus beati Petri suscepit, sed eidem ecclesiæ ianuam aperiri non permisit, donec idem se nullo malo ingenio advenisse nuntiavit. Cumque præfatus Pontifex audisset eum in hanc famosissimam urbem ospitandi causa velle intrare, clausis et munitis portis id fieri munimine concessit, eumdem tamen in regem Langobardorum coronavit.

CXV.

Cyprianus lib. XIII abusivorum.

Sciat Rex quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis si iustitiam non fecerit primatum abiturus est. Omnis namque quoscumque peccatores, sub se habuit, modo plagali supra se in illa futura pena habebit.

CXVI.

Ex epistola Cypriani ad Constantium.

Quod si ita est frater karissime ut nequissimorum timeatur audacia, et quod mali iure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de episcopatus vigore, et de æcclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate, nec christiani ultra aut durare aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est qui perditorum minas, atque insidias pertimescamus. Et infra. Neque enim solas gentium, vel iudeorum minas cogitare et spectare debemus, cum videamus ipsum Dominum nostrum a fratribus esse detentum, et ab eo quem inter Apostolos ipse delegerat proditum. Et paulo post. In Evangelio etiam legimus esse prædictum magis domesticos futuros et qui prius copulati sacramento unanimitatis fuerint, ipsos invicem traditures. Nichil interest quis tradat aut seviat, cumque tradi permittit coronet. Neque nobis ignominia est pati a fratribus quia passus est Christus, nec illi gloria est facere quod fecerit Iudas. Non timemus fustes et lapides et gladios quos verbis parricidalibus iactant, homicides sunt apud Deum tales necare tamen non possunt, nisi eis Dominus necare permiserit. Sed non iccirco frater karissime relinquenda est ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis censura, quoniam conviciis infestantur, aut terroribus quatimur quin occurrat Dominus dicens. Verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius erit in vermes, hodie extolletur et cras non invenietur, et cogitatio eius peribit. Et iterum. Vidi impium superexaltatum. Et cetera. Et post pauca. Nam cum scriptum sit, neque maledici regnum Dei possidebunt. Et si quis dixerit fratri suo fatue, et qui dixerit racha, reus erit in gehenna ignis, quomodo possunt censuram Domini ultoris evadere qui talia ingerunt non solum fratribus, sed et sacerdotibus, quibus honos tantus de Dei dignatione conceditur, ut quisque sacerdoti eius et ad tempus iudicanti non obtemperabit statim necaretur? In Deuteronomio loquitur Dominus Deus dicens, hoc quicumque fecerit in superbia ut non exaudiat sacerdotem, aut iudicem qui-

cumque fuerit in diebus illis morietur homo ille et omnis populus cum audierit timebit, et non agent impie etiam nunc. Item ad Samuholem cum a Iudeis sperneretur Dominus dicit. Non te spreverunt sed me. Item idem in evangelio. Qui audit inquid vos me audit, et eum qui me misit. Et qui reicit vos, me reicit, et eum qui me misit. Et cum leprosum emundasset, vade inquid et ostende te sacerdoti. Et cum postea tempore passionis alapam accepisset a servo sacerdotis, cumque ei dixisset, sic respondes Pontifici, adversus Pontificem Dominus contumeliose nichil dixit, nec quicquam de sacerdotis honore retraxit, sed innocentiam suam magis exhibens, et ostendens si male inquid locutus sum testimonium perhibe de malo, si autem bene quid me cedis? Item in actibus Apostolorum postmodum beatus Apostolus Paulus cum ei dictum esset, sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo? quamvis Domino iam crucifixo sacrilegi et impii et cruenti illi esse cepissent, nec iam quicquam de sacerdotali honore et auctoritate retinerent, tamen ipsum quamvis inane nomen et umbram quamdam sacerdotis cogitans Paulus, nesciebam fratres inquid quia pontifex est. Scriptum est enim, principes plebis tuæ ne maledices. Cum hæc aut alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis auctoritas et potestas de divina dignatione firmatur, quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, et contra ecclesiam catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicii ultione conterentur? Neque enim aliunde hereses oborte sunt, aut nata sunt scismata nisi quando sacerdoti Dei non optemperatur, nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos et iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina optemperaret fraternitas universa nemo adversum sacerdotum collegium quicquam moveret, nemo potest divinum iudicium post populi suffragium post coepiscoporum consensum iudicem se non iam episcopi sed Dei faceret, nemo discidio unitatis Christi ecclesiam scinderet, nemo sibi placens actu mens seorsum foris heresem concederet, nisi ita est aliquis sacrilege temeritatis, ac perditæ mentis ut putetur sine Dei iudicio fieri sacerdotem, cum Dominus in evangelio dicat.

Nonne duo passeres asse veneunt et neuter eorum cadit in terram sine patris voluntate? Cum ille nec minima fieri sine Dei voluntate dicat, existimat aliquis summa et magna aut nesciente aut non permittente Deo in ecclesia Dei fieri, et sacerdotes idest Dei dispensatores erunt non de eius sententia ordinati? hoc est fidem non habere qua vivimus, hoc est Deo honorem non dare. Sed quia extra ecclesiam sunt, sed quæ contra dispositionem et traditionem evangelii fiunt, sicut ipse Dominus in XII prophetis ponit et dicit. Sibimet ipsi regem constituerunt et non per me. Et iterum. Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur. Et per Esaiam quoque Spiritus Sanctus clamat et dicit. Ve vobis filii desertores, hæc dicit Dominus, habuistis consilium non per me, et fecistis conventionem non per Spiritum meum, adicere peccata super peccata, et infra. Movere non debet, frater karissime, si quidam in extremis temporibus superbi et contumaces, et sacerdotum Dei hostes, aut de ecclesia recedunt aut contra æcclesiam faciunt, quoniam tales nunc futuros et Dominus et Apostoli eius ante prædixerint. Nec præpositum sed cum deserit a quibusdam miretur aliquis, quoniam ipsum Dominum magnalia et admirabilia summa facientem, et virtutes Dei Patris factorum suorum testimonio comprobantem discipuli sui requirunt, et tamen ille non increpuit recedentes, aut graviter cominatus est, sed magis conversus ad Apostolos dixit. Numquid et vos vultis ire? Servans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, et in arbitrio proprio constitutus, si met ipse, vel morte appetit vel salutem, Petrus tamen superedificata ab eodem Domino fuerat æcclesia, unus pro omnibus loquens, et æcclesiæ voce respondens ait, Domine ad quem imus? verba vitæ æternæ habes, et cetera. Significans scilicet et ostendens eos qui a Christo recesserint culpa sua perire, æcclesiam tamen quæ in Christum credat, et quæ semel id quod cognoverit teneat, numquam omnino ab ea discedere, et eos esse æcclesiam, qui in domo Dei permanerent. Plantationem vero plantatam a Deo Patre non esse, quos videmus non frumenti stabilitate solidari, sed tam-

quam paleas dissipantis inimici spiritu ventilari. De quibus Iohannes in epistola sua dicit. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis mansissent nobiscum. Item Paulus monet nos cum mali de æcclesia pereunt non moveri, nec recedentibus perfidis fidem minui. Quod enim inquid si exciderint a fide quidam eorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit. Absit. Quod ad nos attinet, conscientiæ nostræ convenit frater, dare operam ne quis culpa nostra de æcclesia pereat. Si quis autem ultro et crimine suo perierit, et penitentiam agere atque ad æcclesiam redire noluerit, nos in die iudicii inculpatos futuros qui consulimus sanitati. Illos sólos in pœnis remansuros, qui noluerint consilii nostri salubritate sanari. Nec movere nos debet convicia perditorum, quo minus a via recta, et a certa regula non recedamus, quoniam et Apostolus instruit dicens. Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Interest utrum quis homines promereri ad Dominum cupiat. Si hominibus placeatur Dominus offenditur. Si vero id enitimur et elaboramus ut possimus Deo placere, et convicia et maledicta debemus humana contemnere. Et infra. Neque enim qui audit sed qui facit convicium miser est. Nec quia frater vapulat, sed qui fratrem cedit in lege peccator est. Et cum nocentes innocentibus iniuriam faciunt, illi patiuntur iniuriam qui facere se credunt. Denique hinc ille percussa mens et besanimus (*sic*) et sensus alienus est. Ira enim Dei nou intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia. Sicut scriptum est in Apostolo. Delictum veritatis non habu*erunt ut salvi fierent, ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur qui non crediderint veritati, sed sibi placent iniustitia. Primus felicitatis gradus est, non delinquere. Secundus delicta cognoscere. Et paulo post. Viderint laici hoc quo modo curent. Sacerdotibus maior labor incumbit in asserenda et procuranda Dei maiestate, ne quid videamur in ac parte neglegere, quin admoveat Deus et dicat. Et nunc præceptum hoc ad vos est o sacerdotes. Si non audieritis, et si non posueritis in corde vestro ut detis honorem nomini meo dicit Dominus, immittam in vos maledictionem et maledicam maledictionem ve-

stram. Honor ergo Deo non datur, quoniam sicut Dei magestas et censura contemnitur, ut cum se indignari et irasci sacrificantibus dicat, et cum pœnas æternas comminuetur, proponatur sacrilegis atque dicatur, ne ira cogitetur Dei, nec cogitetur iudicium Domini, nec pulsetur ad æcclesiam Christi, sed sublata penitentia, nec ulla exhomologesi criminis facta despectis Episcopis atque calcatis, pax a presbyteris verbis fallacibus prædicetur. Et ne lapsi surgant, aut foris positi ad æcclesiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur. Et infra. Veniant denique si qua illi excusatione et defensio potest esse, videamus quem habent satisfactionis suæ sensum, quem afferant penitentiæ suæ fructum. Nec æcclesiam cuiquam clauditur, nec episcopatus alicui denegatur. Patientia et facilitas et humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes ecclesiam regredi. Opto universos commilitones nostros intra Christi claustra, et Dei patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo, studio et voto colligende fraternitatis, etiam quæ in Deum commissa sunt non pleno iudicio religionis examino, delictis plusquam oportet remittendis pene ipse delinquo, amplector promta et plena dilectione cum penitentia revertentes, et peccatum suum satisfactione humiliet simplici confitentes. Si qui autem sunt qui putant se ad æcclesiam non precibus sed minis regredi posse, aut existimant aditum se sibi non lamentationibus et satisfactionibus sed terroribus facere. Pro certo habeant contra lex causam stare ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta et fortia et Deo tuente munita minis cedere. Sacerdos Dei evangelium tenens, et Christi præcepta custodiens, occidi potest, non potest vinci. Suggerit, et subministrat nobis exempla virtutis ac fidei Zacharias antistes Dei, qui cum terreri minis et lapidatione non posset, in templo Dei occisus est clamans et dicens, quod nos quoque contra hæreticos dicimus. Hæc dicit Dominus. Dereliquistis vias Domini, et Dominus dereliquid vos. Neque enim quia pauci temerarii improbi, celestes et salutares vias Domini derelinquunt, et sancta non agentes a sancto Spiritu deseruntur, ideo et nos divinæ traditionis inmemores esse debemus, ut

maiora esse furentium scelera quam sacerdotum iudicia censeamus, aut plus existimemus ad impugnandum posse humana conamina, quam quod ad protegendum prævalet divina tutela. An ad hoc frater karissime deponenda est catholicæ æcclesiæ dignitas, et plebis interpositæ fideles, atque incorrupta maiestas. Et sacerdotalis quoque auctoritas ac potestas, ut iudicare se velle dicant de æcclesiæ proposito extra æcclesiam constituti hæretici, de sano saucii, de integro vulnerati, de stante lapsi, de iudice rei, de sacerdote sacrilegi? Et post pauca. Si pacem postulant, arma deponant. Si satisfaciunt, quid minantur? Aut si comminantur, sciant quia a sacerdotibus Dei non timentur. Neque enim et antichristus cum venire ceperit introibit ecclesiam quia mina aut armis eius aut violentiæ ceditur, quia resistentes peremiturum se esse profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant sua comminatione terreri. Nec in faciem nos deiciunt sed magis erigunt et accedunt dum ipsi pacem persecutione peiorem fratribus faciunt. Et paulo post. Oramus ac deprecamur Deum quem provocare illi et exacerbare non desinunt, ut furore deposito ad sanitatem mentis redeant, et magis petant fundi pro se preces antistitis quam ipsi fundant sanguinem sacerdotis. Si autem in furore suo permanserint, atque in istis insidiis ac minis suis parricidalibus crudeliter perseveraverint, nullus Dei sacerdos sic infirmus est, si iacens et abiectus, qui non contra hostes et impugnatores Dei divinitus erigantur. Eius enim humilitas et infirmitas vigore et robore Domini protegentis animetur. Nostra nichil interest, aut quo, aut quo modo pereamus, mortis et sanguinis præmium a Domino percepturi. Illorum flenda et lamentanda condicio est, quos sic diabolus excecat, ut æternæ gehennæ supplicia non cogitantes, antichristi iam propinquantis adventum conentur imitari. Florentissimo illic clero tecum præsidenti, et sanctissime atque amplissime plebi, legere te litteras nostras precor. Declinent autem de cetero fortiter et evitent dilectissimi fratris nostri verba et colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit sicut ait Apostolus. Corrumpunt ingenia bona, confabulationes pessimæ. Et iterum. Hæreticum hominem post unam et

secundam correptionem devita, sciens quia perversus est, huiusmodi et peccat, et est a semetipso damnatus. Et infra. Nulla cum malis convivia vel colloquia misceantur, simusque tam ab eis separati, quam illi sunt de ecclesia profugi. Quia scriptum est. Si autem æcclesiam contempserit, sit tibi sicut etnicus et publicanus. Et beatus Apostolus, non monet tantum, sed iubet ut a talibus recedatur. Recipimus inquit vobis in nomine Domini nostri Iesu Christi ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Nulla societas fidei et perfidie potest esse. Quia unitati et paci eius inimicus est, adversarius Christi est. Si cum precibus et satisfactionibus veniunt, audiantur. Si maledicta et minas ingerunt respuantur. Item in alia epistola eiusdem ad eumdem de episcopatu eius. Gravitati nostræ negavimus convenire ut collegi nostri iam delecti et ordinati et laudabili multorum sententia comprobati, ventilari ultra honorem maledica æmulantium voce pateremur. Idem ad Antonianum. Quod vero quædam de eo inhonesta et maligna iactantur, nolo mireris, cum scias semper hoc opus esse dyaboli, ut servos Dei mendacio laceret, et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, utque conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Idem in epistola ad Maximum presbyterum. Nam et sundentur (*sic*) in æcclesia esse zizania, non tamen impediri debent, aut fides, aut caritas nostra, ut quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de æcclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus, ut cum ceperit frumentum dominici horreis credi, fructum pro opere nostro et labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit. In domo autem non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia. Et quædam quidem honorata, quædam autem inhonorata. Nos operam demus et quantum possumus laboremus, ut vas aureum vel argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui et virga ferrea data est. Esse maior non potest Domino servus. Nec quisquam sibi quod Pater Filio tribuit vendicet, ut se putet ut area ventilandam et purgandam, palamiam (*sic*) ferre se posse, aut

a frumento universa zizania humano iudicio secregare. Superba est ista obstinatio, et sacrilega præsumptio, quam sibi furor pravus assumit. Et dum sibi semper amplius quam mitis iustitia deposcit assumunt, de æcclesia pereunt, et dum se insolenter extollunt ipso suo tumore cecati, veritatis lumen amittunt. Propter quod et nos temperamentum tenentes, et libram Domini contemplantes, et Dei Patris pietatem ac misericordiam cogitantes, diu multumque tractatu inter nos habito, iusta moderatione agenda libremus, ut lapis (*sic*) nec censura desit quæ increpet, nec medicina quæ sanet. Item idem ad Antonianum. Nobis autem secundum fidem nostram et divinæ prædicationis datam formam, competit ratio veritatis, unumquemque in peccato suo ipsum teneri, nec alterum pro altero reum fieri, cum Dominus dicat. Iustitia iusti super eum erit, et scelus scelerati super eum erit.

CXVII.

Item Ciprianus in sermone de aleatoribus.

Accepta simul potestate solvendi et ligandi et curatione peccata dimittendi, salutari doctrina admonemur, ne cum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi eum eis pariter torqueamur. Et post pauca. Si ergo inter dispensatores quæritur ut quis fidelis et iustus inveniatur. Quod si omnes delinquant et delinquentibus dispensatores ignoscant, nonne ipsi delinquentium se pondere onerant? Item in sermone de lapsis. Pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum. Nec æcclesiæ iungitur, qui ab evangelio separatur. Quid iniuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui iungitur flere et rogare Dominum suum debent intercepta pænitentiæ lamentatione communicare se simulaut, hoc sunt eiusmodi lapsis, qui grando frugibus, quod turbydum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis seva tempestas. Solacium spei adimunt, radices subvertunt, sermone morbido ad letale contagium serpunt, navem scopulis ne in portum perveniat illidunt. Non concedit pacem felicitas ista, sed tollit. Item post

pauca. An est quisquam maior Deo, aut divinitate bonitate clementior, qui aut infectum velit quod passus est Deus fieri? Aut quasi illi minus potestatis ad protegendam æcclesiam suam fuerit, auxilio nos suo putet posse servari? Et post aliqua. Qui aut pænitentia criminis tollunt, satisfactionis viam cludunt. Ita fit, ut dum temeritate quorumdam vel promittitur salus falsa vel creditur, spes vere salutis adimatur. Item in eodem. Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitam pedum vestrorum conturbant? Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat. Nec premit ille delicta sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem promovet ad salutem. Quos diligo inquit Dominus, redarguo et castigo. Sic oportet Domini sacerdotem, non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui timentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus virus inclusum dum servat exaggerat. Aperiendum valnus est et secandum, et putraminibus amputatis, medela fortiori curandum. Vociferetur et clamet licet, et conquæratur eger impatiens per dolorem, gratias agit postmodum cum senserit sanitatem. Et post aliqua. Cæterum si quis properata festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse aut audet Domini præcepta rescindere, non tantum nichil prodest, sed obest lapsis. Provocasse iram, non servasse sententiam. Nec misericordiam prius Domini deprecaudam putare, sed contempto Domino de sua facilitate præsumere. Et post pauca. Et quemquam posse aliquis existimat, remittendi passum donandique peccatis bonum fieri contra iudicem velle, aut prius quam vindicetur, ipse alios posse defendere? Item in eodem. Deus in quantum patris pietate clemens semper et bonus est tantum iudicis maiestate metuendus est. Quam magna delinquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit. Penitentia crimine minor non sit. Item in eodem. Lamentari eum putamus ex toto corde, ieiuniis, fletibus et planctibus Dominum deprecari qui ex primo criminis die lavacra cotidie celebrat, qui epulis affluenti-

bus pastus, et sagina largiori distentus, crudelitates suas post triduo ructuans, nec cibos nec potus suos cum pauperum necessitate communicat, qni hilaris ac letus incedit, quomodo mortem suam deflet? Et post pauca. Ecce peiora adhuc peccandi vulnera, ecce maiora delicta, peccasse nec satisfacere, deliquisse nec delicta deflere. Et infra. Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimonio vinculo detinentur? Aut quomodo cælum petunt, et ad sublimia et alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur. Possidere se credunt, qui potius possidentur? census sui servi? nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecunia mancipati? hoc tempus, hos homines Apostolus denotat dicens. Qui autem divites volunt fieri, incidunt in tentationem et muscipulam diaboli, et desideria multa et nocentia, que mergunt hominem in perditionem et interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Quam qnidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Idem ad Pupinianum. Quamobrem frater, si magestatem Dei qui sacerdotes ordinat Christi cogitaveris, si ad Christum qui arbitrio et nutu ac præsentia sua, et præpositos ipsos et ecclesiam cum præpositis gubernat aliquando se sipueris, si de innocentia sacerdotum non humauo odio sed divino iudicio credideris, si temeritatis et superbiæ atque insolentiæ tuæ agere vel sero penitentiam ceperis, si Domino et Christo eius quibus servio, et quibus puro ac immaculato ore sacrificia, et in persecutione pariter et in pace indesinenter offero plenissime satisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem, manente tamen apud nos divine censure et respectu et metu, ut prius Dominum meum consulam, an tibi pacem dari, et te ad communicationem æcclesiæ suæ admitti sua ostensione et admonitionem permittat. Idem in epistola ad plebem de lapsis. Nam si in minoribus delictis quæ in Deum committuntur, penitentia agatur iusto tempore, et exhomologisis fiat, inspecta vita eius peragit penitentiam, nec ad communicationem venire qui possit, nisi prius ab Episcopo et Clero manus fuerit imposita, hoc magis in gravissimis et extremis delictis caute omnia et moderate secundum disciplinam Domini observari oportet.

Quod quidem nostri presbyteri et diaconi monere debuerunt, ut commendatas sibi oves ad viam deprecandæ salutis instruerent.

CXVIII.

Idem in epistola ad Stephanum.

Si qui presbyteri vel diaconi, vel in æcclesia catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidiæ rebelles extiterint contra æcclesiam vel apud hæreticos a pseudoepiscopis et antichristi contra Christi dispositionem prophana ordinatione promoti sunt, et contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa et sacrilega offerre conati sunt, eos quoque hac condicione suscipi cum revertuntur, ut communicent laici, et satis habeant quod admittuntur ad pacem qui hostis pacis extiterint. Nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis et honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint. Et paulo post. Quia et si ipsi postmodum ad æcclesiam redeunt, restituere tamen eos secus non posse, qui ab eis seducti, et foris morte præventi, et extra æcclesiam sine communicatione et pace perierunt, quorum animæ in die iudicii de ipsorum manibus expectentur qui perditionis auctores et duces extiterunt. Et iccirco satis est talibus reverentibus viam dari, non tamen debet in domo fidei perfidia promoveri. Nam quod bonis et innocentibus atque ab æcclesia non recedentibus servamus, si eos qui a nobis recesserint, honoramus.

CXVIIII.

Ex libro Ambrosii de regibus gestis in Mediolana ecclesia.

Convenerunt me principes virtutum, comites consistoriani, ut basilicam traderem Arrianis, et procurarem ne quid populus turbarum moveret. Respondi quod erat ordinis. Templum Dei a sacerdote tradi non posse. Acclamatum est. Sequenti die in æcclesia etiam præfectus convenit. Cæpit suadere ut porcinam basilicam cederem. Populus reclamavit. Ita tamen discessum est, ut intimaturum se Imperatori diceret. Et infra.

Itaque sanctis diebus ebdomadis ultimo quibus solent debitorum vincula relaxari, strident catenæ, imponuntur collo innocentum. Exiguntur immensa pondera auri, infra totum triduum. Respondent, aliud se tantum aut duplum si peterentur daturos dummodo servarent fidem. Erant pleni carceres de negotiatoribus. Et paulo post. Honoratis multa minabantur gravissima, nisi basilicam traderent. Convenior ipse a comitibus et tribunis, ut per me fieret matura basilicæ traditio. Dicentibus imperatorem iure suo iussisse, utque in potestate eius essent, omnia tradi debere. Respondi. Si a me peteret quod meum est, me non refragaturum, quamquam omnia quæ mea sunt, pauperum sint. Verum ea quæ divina sunt, imperatoriæ potestati non esse subiecta. Et paulo post. Exigebatur a me ut compescerent populum. Referebam in meo iure esse ut non excitarem, in Dei manu ut mitigaret. Et paulo post. Ante lucem occupatur ecclesia, id quod a militibus imperatoris dicitur mandatum, ut si prodire vellet, haberet copiam, se tamen præsto futuros si viderint eum cum catholicis convenire. Alioquin se ad eum cetum quem Ambrosius cogeret transituros. Prodire de Arrianis nullus audebat, quia nec quisquam de civibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi. Et infra. Quid enim præstantius potuit dici a Christianis viris quam id quod hodie Spiritus sanctus est locutus? Rogamus Auguste, non pugnamus. Non timemus, sed rogamus, hoc Christianos decet, ut et tranquillitas pacis, et fidei, veritatisque constantia nec mortis revocetur periculo. Est enim præsul Dominus qui salvat sperantes in se. Sed veniamus ad propositas lectiones. Et infra. Tentatus est Iob, nuntiis exacerbatus malorum, temptatus malorum, temptatus est etiam per mulierem quæ ait. Dic aliquid verbum in Deum et morere. Videte in quanta subito moventur. Gothi, arma, gentiles. Multa mercatorum pena. Advertitis quid iubeatur, cum mandatur tradere basilicam? hoc est. Dic in Deum aliquod verbum et morere. Non solum dic adversus Deum, sed fac adversus Deum. Mandatur tradere altaria Dei. Urgemur igitur præceptis regalibus, sed confirmamur scripturæ sermonibus, quæ respondit. Tamquam una

ex insipientibus mulieribus locuta es. Et infra. Mandatur denique tradere basilicam. Respondeo. Nec mihi fas est tradere basilicam, nec tibi accipere imperator expedit. Domum privati nullo potes iure temerari, domum Dei existimas auferendam? Allegatur, imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo. Noli gravare te imperator ut putes te in ea, quæ divina sunt imperiale aliquid ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, subditus esto Deus. Scriptum est enim. Quæ Cesaris Cesari, quæ Dei Deo. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse mihi imperatorem. Debeo et ego unam habere basilicam. Respondeo. Non licet Iudam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera enim est, quæ non est legitimo Christi coniugio copulata. Dum hoc tracto, suggestum est mihi cortinas regias esse collectas, refertam autem basilicam mei præsentiam poscere. Et infra. Qui ad invadendam hereditatem venerunt, facti sunt coheredes Dei. Defensores habeo, quos ostes putabam. Socios teneo, quos adversarios estimabam. Et infra. Tradere basilicam non possum, sed pugnare non debeo. Postea vero quia cognoveram cortinas regias esse sublatas, inde, cum populus me eo ire deposceret, direxisse presbyteros, me tamen noluisse ire. Et infra. Quid moraretur ferire si tyrannum putaret? Vetori iuro a sacerdotibus donata imperia, non usurpata, et vulgo dici, quod imperatores sacerdotium magis optaverint, quam sacerdotes imperium. Et infra. Nec mora, nuntiatur imperatorem iussisse ut recederent milites de basilica. Negotiatoribus quoque quod exacti de condempnatione fuerant rederetur. Que tunc plebis letitia fuit? Erat autem dies quo se pro nobis Dominus tradidit, quo in ecclesia penitentia relaxatur. Et infra. Ego tyrannus appellor, et plusquam tyrannus. Nam cum imperatore comites obsecrarent, ut prodiret ad ecclesiam, id quod petitum militum facere se dicerent, respondit. Si nobis ius ferit Ambrosius, vinctum me tradetis. Et paulo post. Denique etiam speciali expressione caliginis præpositus cubiculi mandare mihi ausus est. Me vivo tu contemnis Valentinianum. Caput tibi tollo. Respondi. Deus permittit tibi

ut impleas quod minaris, ego quod patiar, tu facias quod spadones. Et infra. Adversus milites Gothos quoque lacrimæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo nec possum resistere, fugere autem et relinquere ecclesiam non soleo, ne quis gravioris culpæ metu factum interpetret. Scitis et vos ipsi quod imperatoribus soleam deferre, non cedere. Scippliciis (*sic*) me libenter offerre, nec metuere quæ parantur. Utinam essem securus, quod ecclesia hæreticis minime traderetur. Ad palatium imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, ut in palatio magis stare quam in ecclesia. Sed in consistorio non solet reus esse sed iudex. Causam fidei in ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat. Inclinatum iam idem imperatoris iudicium, quod lata lega patefacit. Et infra. De templo Dei nichil possum decernere, nec tradere illud quod custodiendum non tradendum accepi. Deinde consulere me etiam imperatoris saluti. Quia nec mihi expedit tradere, nec illi accipere. Nec mihi a sacerdotibus dicitur. Non multum interest, utrum volens relinquas, an tradas altare Christi. Cum enim reliqueris trades. Accipiat enim vobis est liberi sacerdotis. Si vult sibi esse consultum, recedat a Christi iniuria, hæc plena humilitatis sunt. Et infra. Sanctus enim Naboth vites suas vel proprio cruore defendit. Si ille non tradidit vineam suam, nos trademus ecclesiam Christi. Quid igitur a me responsum est contumaciter? Dixit conventus. Absit a me ut tradam Christi hereditatem. Non tradidit Naboth vineam suam, ego tradam Christi hereditatem? Sed ad hoc addidi. Absit a me ut tradam hereditatem Dionisii, qui in exilio causa fidei defunctus est, hereditatem Eustorgii confessoris, hereditatem Miroclis, atque omnium retro fidelium episcoporum, et cætera.

CXX.

Idem in epistola I. ad Corinthios.

Et vos inquit Apostolus inflati estis, et non magis luctum habuistis. Erant enim et ipsi participes, dum paterentur reum

tam ingentis facinoris incorrectum convenire, ut omnes uno consilio abicerent eum, si negaret emendare se. Si autem quis potestatem non habet quem scit reum abicere, aut probare non valet, immunis est, et iudicis non est sine accusatore damnare, quia et Dominus Iudam cum fur esset, quia non est accusatus minime abiecit. Sequitur. Ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Cognito opere isto, pellendum illum fuisse de cætu fraternitatis. Omnes enim crimen eius sciebant, et non arguebant. Plublico enim novercam suam loco uxoris habebant. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen.

CXXI.

Ex libro vite eiusdem.

Ambrosius mediolanensis Episcopus Maximum a communionis consortio segregavit, admonens ut effusi sanguinis domini sui Imperatoris, et quod est gravius innocentis, ageret penitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed et ille cum penitentiam declinat superbo spiritu, non solum futuram, sed etiam presentiam vitam amisit, et regnum quod male arripuerat, femineo timore deposuit.

CXXII.

Augustinus Honorato Episcopo inter cetera.

Cum persequuntur vos in civitate ista fugite in aliam. Quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio sine quo vivere nequeunt desererentur greges quos suo sanguine comparavit. Numquid hoc fecit ipse, quando portantibus in Egipto parentibus parvulus fugit, quando ecclesias congregaverat, quas ab eo desertas fuisse dicamus? Numquid quando Apostolus Paulus ne ullum comprehenderet inimicus per fenestram in sportam dimissus est et fugit manus eius, deserta est quæ ibi erat æcclesia necessario ministerio, et non ab aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat

impletum est? Fit is quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut seipsum servaret æcclesiæ quem propriæ persecutor ille querebat. Faciant ergo servi Christi, ministri verbi et sacramenti eius, quod præcæpit, sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur non deseratur æcclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverint. Cum autem omnium idest Episcoporum vel Clericorum et laicorum, est commune periculum, qui aliis indigent non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui non habet remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis per quos eorum est æcclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant quod eos paterfamilias volet perpeti. Quod si contigerit, ut sive alii maius, alii minus, sive omnes equaliter patiantur, quæ eorum sint qui pro aliis patiunt apparent. Illi scilicet, qui cum se possint talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt, hinc maxime probatur illa caritas quam Iohannes Apostolus commendat dicens. Si Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus pro fratribus animam ponere. Nam hoc qui fugiunt, vel suis vel alienis devicti necessitatibus, facere non posuit. Si comprehensi patiantur pro se ipsi, non pro fratribus votive patiuntur. Qui vero propterea patiuntur, quia fratres qui eis ad christianam salutem indigebant deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt. Et infra. Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum, et mercenarius non exortet, qui videt lupum venientem et fugit, quia non est ei cura de ovibus? Cur non istas duas veras sententias, unam scilicet ubi fugam sinitur, aut iubetur, alteram ubi arguitur atque culpatur sic intelligere student ut inter se reperiantur non esse contrariæ sicut non sunt? Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur quod iam superius disputavi? Et paulo post. Vel sicut fugit sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cu-

peret imperator, nequaquam a cæteris ministris deserta plebe catholica quæ in Alexandria commonebat. Cum autem plebs manet, et ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid enim nisi mercennariorum illa fuga damnabilis quibus non est cura de ovibus? Veniat autem lupus non homo sed diabolus, qui plerumque fides apostatas esse persuasit, quibus cotidiani ministerio Domini Corporis pabulum defuit, et peribet infirmus in tua non scientia sed ignorantia, frater propter quem Christus mortuus est? Et infra. Magis timeamus ne sensu interiore corrupto pereat castitas fidei, quam ne femiuæ violenter construprentur in carne? Quia violentia non violatur pudicitia, si mente servatur. Quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne nutritur, sed sine consensu tolerat quod alius operatur. Non quia ista non sint vitanda cum possint, sed quia potius ferenda sunt, quando vitari sine impietate non possunt. Et infra. Si autem ministri assint pro viribus quas eis Dominus subministrat omnibus subvenitur. Alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici Corporis communione fraudantur, omnes consolantur, edificantur, exortantur, ut Deum rogent qui potens est omnia quæ timentur avertere. Parati ad utrumque, ut si non potest ab eis calix iste transire, fiat voluntas eius, qui mali aliquid non potest velle. Et infra. Denique sanctus David ne se committeret periculis prœliorum, et fortassis extingueretur sicut ubi dictum est lucerna Israel, a suis hoc petentibus sumpsit non ipse hoc præsumpsit. Alioquin multos imitatores fecisse ignaviæ, qui cum crederent hoc fecisse non consideratione utilitatis aliorum, sed suæ perturbatione formidinis. Et paulo post. Quod si eotenus seviat illa pernicies, ut solos ministros persequatur. Quid dicemus? An relinquenda est a ministris fugientibus æcclesia, ne a morientibus relinquatur? Sed si laici non quæruntur ad mortem, possunt occultare quoquo modo episcopos et clericos suos, sicut ille adiuverit in cuius potestate sunt omnia, qui potest et non fugientes per mirabilem conservare potentiam. Et infra. Quamquam si inter Dei ministros inde sit disceptatio, quia eorum maneant, ne fuga fiat

omnium et qui eorum fugiat, ne morte omnium deseratur æcclesia. Tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant caritate, et utrique placeant caritati. Que disceptatio si aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur qui maneant et qui fugiant sorte eligendi sunt. Qui enim dixerint se potius defugere debere, aut timidi videbuntur, quia imminens malum sustinere noluerunt, aut arrogantes, quia se magis qui servandi essent necessarios æcclesiæ iudicarent. Deinde fortassis ii qui meliores sunt eligent pro fratribus animas ponere, et hii servantur fugiendo, quorum est utilis minus vita, quia minor consulendi et gubernandi peritia. Qui tamen si pie sapient contradicentes illos male fugere quos vident et vivere potius oportere, et magis mori malle quam fugere. Ideo scriptum est, contradictiones sedat sortitio, et interponentes diffinit. Melius enim in huiusmodi ambagibus Deus quam quam homines iudicat. Et post pauca. Nemo accipiat personam suam, ut si aliqua gratia videtur excellere, ideo se dicat vita, et ob hoc fuga esse digniorem. Quisquis enim hoc putat, nimium sibi placet. Quisquis autem etiam hoc dicat omnibus dispicet. Et infra. Quicumque igitur isto modo fugit, ut æcclesiæ necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit quod Dominus præcipit vel permittit. Qui autem sic fugit, ut gregis Christi ea quibus spiritualiter vivit alimenta subtrahantur, mercenarius ille est qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non ei cura de ovibus. Melius tamen quod in his periculis faciamus invenire non possumus, quam orationes ad Dominum Deum nostrum ut misereatur nostri. Quod ipsum scilicet ut æcclesias non deserent, Dei dono nonnulli prudentes et sancti viri et velle et facere meruerunt, et inter dentes obtrectantium a sui positi intentione minime defecerunt.

CXXIIII.

Idem in libro de fide et operibus.

Erant homines non servantes modum, cum in unam partem procliviter ire ceperint non respiciunt divinæ auctoritatis

testimonia, quibus possint ab illa intentione revocari, et in ea quæ ex utrisque temperata est veritate ac moderatione consistere. Quidam enim intuentes exempla veritatis quibus admonemur corripere inquietos, non dare sanctum canibus, ut æthnicum habere æcclesiæ, contemptorem a compage corporis membrum quod scandalizat evellere, corrumpunt æcclesie pacem, ut conentur ante tempus separare zizania, atque hoc errore cæcati, ipsi potius a Christi unitate separantur. Quidam vero e contrario periclitantur cum bonorum malorumque commixtionem in æcclesia demonstratam vel prædictam esse prospexerint, et præcepta patientiæ didicerint, quæ vi firmissimos nos reddunt, ut etiam si viderint in æcclesia esse zizania, non tamen impediatur fides nostra aut caritas, ut quoniam esse zizania in æcclesia cernimus ipsi de æcclesia recedamus, destituendam putant ecclesiasticam disciplinam, quamdam perversissimam securitatem præpositis tribuentes, ut ad eos non pertineat nisi dicere quod cavendum, quodve faciendum sit, quodlibet autem faciant non curare. Nos vero ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex utrisque testimoniis, vitam sententiamque moderari, ut canes in æcclesia propter pacem ecclesiæ toleremus, et canibus sanctum ubi pax æcclesiæ tuta est non demus. Cum ergo sive per neglegentiam præpositorum, sive per aliquam excusabilem necessitatem, sive per occultas obreptiones invenimus in ecclesia malos quos ecclesiastica disciplina corrigere aut coercere non possumus, tunc ne ascendat in cor nostrum inpia et perniciosa præsumptio, qua estimemus nos ab illis esse separandos, ut peccatis eorum non inquinemur, atque post nos trahere conemur, veluti mundos sanctosque discipulos ab unitatis compage quasi a maiorum consortio segregatos. Veniant in mente ille de scripturis similitudines et divina oracula vel certissima exempla, quibus demonstratum est malos in æcclesia permixtos usque in finem seculi tempusque iudicii futuros, et nichil bonis in unitate fidei ac participatione sacramentorum, qui eorum factis non consenserint offuturos. Cum vero eis per quos æcclesia regitur adest pace salva potestas disciplinæ adversus improbos aut nefarios exe-

rende, tunc rursus ne socordia segnitieque dormiamus, aliis aculeis præceptorum, quæ ad severitatem coercitionis pertinent, excitandi sumus, ut gressus nostros in via Domini ex utrisque testimoniis illo duce atque adiutore dirigentes, nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ seviamus.

CXXIIII. *(sic)*

Idem in epistola ad Vincentium.

Certum est peccatis alienis in unitate Christi neminem posse maculari, non malorum factis consentientem, ne ipsis peccatis communicando polluatur, sed propter societatem bonorum malos tamquam paleas usque ad ultimam ventilationem in area dominica tolerantem. Idem in libro de baptismo. Si mali bonos in unitate contaminant, nullam iam æcclesiam cui sociaretur Cyprianus invenit. Si autem mali bonos in unitate non maculant, nullam causam separationis sacrilegus Donatista proponit.

CXXV.

Item idem in sermone sancti Iohannis cuius initium est Hodie dilectissimi.

Iohannes impietatem regis Herodis, qui uxorem fratris viventis invaserat publica auctoritate condempnans, propter iustitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam. Et nos interdum pro gratia hominum vel timoris offensione proferimus adulationem et vendimus veritatem, non timentes illud quod terribiliter scriptum est. Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram. Solent tamen aliquotiens doctores æcclesiæ non pro neglegentia peccantium ab increpatione cessare, sed quia eos timent ipsa castigatione ad maiora mala prorumpere. Quando pro hac re non prædicant sacerdotes, non possunt habere de taciturnitate peccatum, quia sic viri boni interdum ex dura increpatione corriguntur, ita e contra etiam superbi lenissima admonitione ad peiora præcipitia provocantur. Nam in tantum prædicatores æc-

clesiæ aliquotiens non ex voluntate, sed ex necessitate peccatores non arguunt, ut inter spirituale medicamentum et caritatis artificium superbos quosque etiam indignius laudibus prosequantur, ut dum illi erubescunt falsa esse quæ de eis dicunt ad emendationem vitæ, et bona opera provocentur, secundum illud quod scriptum est, quod laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur. Et quia vera est illa sapientis viri sententia, sicut vera laus honorat, ita falsa castigat. Non est tamen impossibile Deo, ut etiam illi qui humanis laudibus invitati bona opera exercere ceperint. Deus illis hoc in amorem et consuetudinem convertat, secundum illud quod de sapientibus dicitur. Bene consuescere, pudebit desuescere. Et iterum. Bona loquamur, transiet sermo in affectum. Beatus tamen Iohannes plena et perfecta libertate maluit iniusta sustinere, quam iusta non dicere.

CXXVI.

Item in libro de civitate Dei.

Nam et miles cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus hic hominem occidit, nulla civitatis sua lege reus est homicidii, imo nisi fecisset, reus est imperii deserti atque contempti. Quod si sua sponte vel auctoritate fecisset, crimen humani generis effusi incidisset. Itaque unde punitur si fecisset iniussus, inde punitur nisi fecerit iussus. Quod si ita est iubente imperatore, quantum agis iubente Creatore? Qui ergo audit, non licere occidere, faciat suus sit cuius non licet iussa contemnere. Tantummodo videat, utrum divina iussio nullo nutet incerto. Nos pauperem conscientiam convenimus, occultorum nobis iudicium non usurpamus. Nemo enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Ex VI libro Burchardi Episcopi cap. XLII. Qui percutit malos in eo quod mali sunt, et habet causam interfectionis, ut percutiat pessimos, minister Dei est. Hieronymus. Homicidas et sacrilegos punire, non est effusio sanguinis. Augustinus. Quæ ista vanitas uni parcere, et omnes in discrimen adducere?

Polluuntur enim omnes uno peccante. Helias namque multos affecit morte propria manu. In novo etiam testamento Petrus Ananiam et Saphiram terrifice multavit.

CXXVII.

Augustinus de libro de penitentia.

Multi corriguntur, ut Petrus, multi tolerantur ut Iudas. Multi nesciuntur donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, et cetera. Plerique autem boni Christiani propterea tacent ut sufferant aliorum pecata quæ noverunt, quia documentis sepe deseruntur, et ea quæ ipsi sciunt, iudicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen iudici facile credenda sunt nisi quæ certis iudiciis demonstrentur. Nos vero a communione quemquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audet assumere, ut cuiquam ipse sit accusator et iudex. Cuiusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in eadem ad Corinthios epistola breviter insinuasse intelligitur, cum quibusdam commemoratis criminibus æcclesiastici iudicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim. Scripsi vobis in æpistola, ne commisceamini fornicariis. Non utique fornicariis huiusmodi, aut avaris, aut raptoribus, aut ydolorum servientibus. Alioquin debueratis de hoc mundo exire. Non enim possunt homines in hoc mundo viventes nisi cum talibus vivere, nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium convictumque vitaverint. Unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus comedens, non est inquid opus sanis medicus sed male habentibus. Non enim vocare iustos, sed peccatores. Et ideo sequitur Apostolus et adiungit. Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si quis frater nominetur aut fornicator, aut ydolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumere. Quo enim michi de his qui foris sunt iudi-

care? Nonne de his qui intus sunt vos iudicatis? De his autem qui foris sunt indicabit Deus. Auferte malum a vobis ipsis. Quibus verbis satis ostendit, non temere et quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab æcclesiæ communione, ut si præiudicium auferri non possit, tolerentur potius, ne perverse malos evitando ab æcclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur vinciat ad gehennam. Quia et ad hoc nobis in scripturis sunt exempla proposita, velut iu messe ut palea, sufferantur usque ad ultimum ventilabrum, vel inter illa retia, ubi pisces boni cum malis usque ad segregationem quæ futura est in litore, idest in fine sæculi æquo animo tolerentur. Duobus enim modis non te maculat malus. Si non consentias, et si redarguas, hoc est non communicare, non consentire. Communicat quisque quando alicuius iniquis factis in consortio voluntatis vel approbationis adiungitur, hoc ergo nos monens Apostolus ait. Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Et quia parum erat non consentire, si sequeretur neglegentia disciplinæ, magis autem inquid redarguite. Videte quemadmodum utrumque complexus est. Nolite communicare? nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est autem magis redarguito? reprehendite corripite coercete. Non enim contrarium est huic loco id quod in alio loco dicit Apostolus. Quis est tu, qui iudices alienum servum? Suo domino stat aut cadit. Noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis vel extraordinario usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem æcclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum. Alioquin illud cur dixit si quis frater nominetur, aut fornicator, aut ydolis serviens, et cetera, nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam cum sententia et ordine iudiciario, atque integritate profertur? Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sepe falso iu quoquam crimine nominantur. Non ergo illi quos monemus agere penitentiam, querant sibi comites ad supplicia, nec gaudeant quia plures invenerint sibi similes. Nam non propterea minus ardebit, quia cum multis ardebit. An forte attendendum multos etiam in ipsis honoribus

æcclesiasticis præpositorum et ministrorum non congruenter inuèro sermonibus et sacramentis quæ per eos populis ministrantur? O miseros homines qui hos intuendo Christum obliviscuntur, qui et ante tanto prædixit ut legi Dei potius obtemperetur quam imitandi videantur illi qui ea quæ dicunt non faciunt, et traditorem suum tolerans usque in finem, etiam ad evangelizandum cum ceteris misit. Sed tamen concedamus nunc non apparere homines dignos imitatione. Quisquis hoc putas, mente Deum intuere et recordare illud quod Iohannes ait. Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Attende animo tot Martyrum animarum milia. Cum enim natalicia eorum conviviis temporalibus celebrare delectat et eorum vitam sequi honestis moribus non delectat.

CXXVIII.

Idem in libro contra Parmenianum.

Si quis frater nominatur et fornicator, aut immundus, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Quod de illo dicit, cuius iam fedissima fama percrebuit. Nam hoc ipsum multi boni Christiani faciunt, de his oportet familiarius cura gerere, et a quo consortio potuerint separari, quos tali correctione corrigi posse sentiunt, vel quos omnino corrigi posse desperant, nec colloquiorum malorum contagio corrumpant. His enim adhibendus est modum et tempora servanda, ne pax violetur æcclesiæ, in qua maxime tritico parcendum est, ne simul cum zizaniis eradicetur, hinc est quod alibi dicit. Non ut eum inimicum existimetis, sed corripite ut fratrem. Hoc enim de eo dicit, qui uxorem patris habuit, quem sathanæ tradi iusserat. Quod autem cum infidelibus manducandi consensum præbuit, hoc ideo fecisse intelligitur, quia iam dixerat. De his autem qui foris sunt Dominus iudicabit. De his vero qui intus sunt, vos iudicate. Revera enim hi qui a societatis consortio remoti corrigi nolunt, sua sponte ab æcclesia exeunt. Et alibi idem Apostolus. Peccantes inquit coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant,

hoc est remove vel aliquo gradu honoris, vel a communione sacramentorum. Alias vero. Si frater est mone. Si uxor est corrige. Si subiectus est castiga. Quod potes fac. Et hæc omnia cum dilectione corrigendi, non cum odio persequendi. Idem de correctione et gratia. Si aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat, cur non etiam timorem corripimus ne aliquis inde plus pereat, neque enim dilectionis viscera maiora gestamus, quia beatus Apostolus dicit. Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite inquietos, patientes estote ad omnes videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Tunc enim potius malum pro malo reddimus, si corripiendus non corripitur, sed prava dissimulatione neglegitur. Dicit enim. Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant. Quod de his accipiendum est qui non latent. Et Dominus de non penitus manifestis peccatis. Si peccaverit in te frater tuus corripe eum inter te et ipsum solum. Verumptamen et ipse severitatem eousque perduxit correptionis, ut diceret. Si secundam non audierit sit tibi sicut etnicus et publicanus. Et quis magis dilexit infirmos quam ille qui pro omnibus factus est infirmus, et est crucifixus. Quæ cum ita sint nec gratia prohibet correptionem, nec correptio gratiam. Omnia vero hæc cum caritate fiant, quoniam caritas peccatum non facit, sed operit.

De sacramentis malorum catholicorum qui sunt intra ecclesiam.

Idem super Iohannem. Baptizet servus bonus sive servus malus. Nesciat se ille qui baptizatur, baptizari, nisi hab eo qui sibi tenuit baptizandi potestatem. Et paulo post. Non orreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister ubi est Dominus? Non decipiant te seductores. Agnosce quid docuit columba, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et infra. Dicit seductor non habens baptismum. Malus tibi dedit. Traditor nescio quis dedit. De officiali inquam non despoto, iudicem attendo. Ego a Christo baptizatus sum. Non inquid. Sed ille Episcopus te baptizavit, et ille Episcopus te communicavit. Ego inquam a Christo baptizatus sum, ego novi, docuit me columba quam

vidit Iohannes, O milve male non me dilanias. Iustos inquit non oportet esse tanti iudicis ministros. Sint ministri iusti si velint. Si fuerit superbus minister, cum zabulo computatur, sed per illum donum Christi non contaminatur, quod per illum fluit, purum est quod per illum transit, liquidum est. Puta quia lapideus est, quia ex ea fructum afferre non potest et in canali lapideo a quia nil generat sed ortis fructum affert. Spiritualis vero virtus Sacramenti, ita est ut lux, quæ et ab illuminandis pura excipitur, et si per immunda transeat non inquinatur. Quos baptizat ebriosus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter, Christus baptizat. Idem ad Emeritum donatistam. Illud non est tacendum etiam cognitos malos bonis non obesse in æcclesia, si eos a communione prohibendi, aut potestas desit aut aliqua ratio conservandæ pacis impediat.

De sacramentis hereticorum et scismaticorum.

Idem ad Vincentium donatistam. Non sacramenta christiana faciunt hereticum, sed prava dissensio. Non propter malum quod processit ex te, negandum est bonum quod remansit in te. Quod malo tuo habes si non ibi habes, unde est bonum, quod habetis. Ex Catholica enim Ecclesia sunt omnia sacramenta Dominica, quæ sic habetis a datis, quomodo habebantur et dabantur etiam priusquam inde exiretis. Non tamen ideo non habetis, quia non estis, ibi unde sunt quæ habetis. Non in vobis mutamus in quibus estis nobiscum. In multis enim estis nobiscum. Nam de talibus dictum est. Quoniam in multis erant mecum. Sed ea corrigimus in quibus non estis, ea vos hic accipere volumus quæ non habetis illic ubi estis. Nobiscum autem estis in baptismo, in simbole, in cæteris dominicis sacramentis. In spiritu autem unitatis et in vinculo pacis, in ipsa denique catholica æcclesia nobiscum non estis. Item in quarto libro contra Donatistas. Sicut urgueri videor cum mihi dicitur, ergo hæreticus dimittit peccata cum iuxta te baptizet, sic et ego urgeo cum dico. Ergo et avarus religionis simulator peccata dimittit? Si per vim sacramenti, sicut ille, ita et ille. Si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim sacramentum et in malis

hominibus Christi esse cognoscitur. Item in lib. V contra Donatistas. Sicut ficti veraciter conversi recipiuntur, nec tamen eorum baptisma reprobatur, sic et illa, quæ scysmatici vel hæretici non aliter habent, nec aliter agunt quam vera æcclesia cum ad vos inveniunt non enim damus sed potius approbamus. Item in eodem. Ita ergo ne foris sicut nec intus quisquam ex parte diaboli est potest vel in se vel in quoquam maculare sacramentum quod Christi est. Idem ad Donatistas. Vos ergo mutamini ex ea parte qua dissentiebatis, quamvis sacramenta quæ habetis, cum eadem sint in omnibus, sancta sint. Nam sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis approbantur a nobis ne forte cum vestram pravitatem corrigere volumus, illis misteriis Christi quæ in vestra pravitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus iniuriam. Neque enim Saul depravaverat unctionem quam acceperat, cui unctioni tantum honorem rex David pius Dei servus exhibuit. Idem in sermone Pentecostes cuius initium est. Propter adventum. Unus homo linguis omnium gentium loquebatur. Ecce etenim et hic unitas æcclesiæ commendatur per totum orbem diffuse. Qui ergo habet Spiritum sanctum, in æcclesia est quæ loquitur omnium linguis. Quicumque præter hanc æcclesiam non est, non habet Spiritum sanctum. Et infra. Attendite ergo fratres in vestro corpore et dolete eos qui de æcclesia præciduntur. In membris nostris quandiu vivi sumus cum sani sumus, implent omnia membra sua officia. Si unum membrum dolet aliunde, compatiuntur omnia membra. Tamquam in corpore est, dolere potest. Iam vero si membrum præcidatur de corpore numquid sequitur ipsum? Et tamen membrum agnoscitur. Quid est? digitus est, manus est, brachium est, auris est. Præter corpus habet formam, non habet vitam. Sic et homo ab æcclesia separatus. Quæris ab illo sacramentum? invenis. Quæris baptismum? invenis. Quæris symbolum? invenis. Forma est, nisi intus spiritus vegetetur, frustra foris de forma gloriatur. Karissimi multum Deum commendat unitatem. Idem super Iohannem. Spiritus est qui vivificat. Spiritus enim facit viva membra, nec viva membra Spiritus facit nisi quæ in corpore quod ve-

getat ipse Spiritus invenerit. Nam spiritus est in te o homo, quo stas ut homo sis. Numquid vivificat membrum, quod separatum invenitur a carne tua? Idem in sermone Pentecostes, cuius initium est. Adventum Spiritus sancti. Ne putaretur consequens est, ut quisquis Baptismum Trinitatis habuerit, habeat etiam Spiritum sanctum propterea in ipsa unitate facta est tanta distinctio, ut inveniamus quosdam baptizatos Spiritum sanctum postea meruisse, cum ad illos in Samariam venissent Apostoli, quibus absentibus fuerant baptizati. Alios ante baptismum, sic loquente Petro Cornelium et eos qui cum illo erant. Super alios mox baptizatos, sicut super illum spadonem cui Phylippus evangelizavit Christum. Super alios manuum impositione Apostolorum, sicut maxime super plurimos. Super alios nullo manum imponentes. Cunctis orantibus sicut hac die, cum essent in uno conclavi CXX animæ cum Apostolis. Super alios nec aliquo manum imponente, nec aliquo orantes, sed verbum Dei cunctis audientibus sicut super Cornelium et domesticos eius. Hæc itaque distinctio in acceptione Spiritus sancti satis nos instruit. Ne habere continuo Spiritum sanctum putemus, quos habere baptismum non negamus. Idem in eodem. Recte intelligitur, quamvis eos baptismum Christi habere fateamur, hereticos non accipere vel scysmaticos Spiritum sanctum, nisi adhæserint unitati per consortium caritatis. Quisquis vero ut ait Apostolus spiritum Christi non habet, hic non est eius. Idem in alio eiusdem festivitatis, qui ita incipit. Hoc videtis in altari. Ita fratres ideo dantur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem. Corpus Christi suus intelligere Apostolum audi dicentem fidelibus, Vos estis Corpus Christi. Audis corpus Christi et respondes Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Idem frater in Iohannem omelia XX^a VI^a. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum. Sed aliud est sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Et post pauca. Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur. Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad

visibile Sacramentum. Qui manducat intus non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente. Idem in eadem. Christus non manet in Christo et in quo non manet Christus proculdubio nec manducat eius carnem nec sanguinem bibit, etiam si tante rei sacramentum ad iudicium sibi manducet et bibat. Item in XX° VII°. Non scandalizemur etiam si multi modo nobiscum manducant et bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.

CXXVIIII.

In ead. super Amos.

Odit Deus sacrificia hæreticorum et a se proicit et quotienscumque sub nomine Domini fuerint congregati detestatur fetorem eorum et claudit nares suas. Odissea autem, et proicere, et non odorari humana loquitur similitudine, ut nos affectum Dei nostris sermonibus cognoscamus. Et si holocausta obtulerint, ut videantur ieiunare, dare helemosinas, pudicitiam polliceri, que holocausta sunt vera, non ea suscipit Dominus. Non sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita causasque diiudicat. Et non ea quæ offeruntur, sed offerentium respicit voluntatem. Gregorius in ultimo moralium. Hereticorum sacrificia accepta Deo esse nequeunt, nisi pro eis universalis æcclesiæ manibus offerantur. Augustinus ut ait Prosper. Veri sacrificii locus extra Catholicam ecclesiam non est.

CXXX.

Idem super epistola ad Ephesios.

Si Dominus ea iubet quæ non sunt adversa scripturis sanctis, subiciatur domino servus. Si vero contraria præcipit, magis obediat spiritus quam corporis domino. Et infra. Si bonum est quod præcipit imperator iubentis exequere voluntatem. Si malum, responde, obedire oportet Deo magis quam hominibus.

CXXXI.

Ex epistola Domni Petri Episcopi.

Inter cetera mala quæ nostris temporibus insolenter emergunt ut ipsas quoque æcclesias violenti homines opprimant, ac prædia vel quælibet bona sacri iuris invadant, nonnullos movet utrum ecclesiarum rectores expetere vindictam debeant, ut malis mala movet sæcularium reddant. Nam plerique mox ut eis ius infertur iniurie, ad indicenda bella protinus insiliunt armatorum cunneos instruunt, sicque hostes suos arrius forte quam læsi fuerant ulciscuntur. Quod mihi plane videtur absurdum, ut ipsi Domini sacerdotes attentent quod tribui vulgaribus prohibentur, et quod verbis impugnant, operibus asserant. Quid enim magis Christianæ legi probatur esse contrarium, quam redhibitio læsionum? Ubi quæso est quod Dominus dicit. Si quis tibi quod tuum est tulerit ne repetas? Si tulerit tibi tunicam da ei pallium? Si enim nobis non licet eadem ipsa quæ nobis sunt oblata repetere, quomodo pro his licet ultoriæ retributionis vulnus inferre? Et post pauca. Sacerdos itaque qui in regno cælorum vult esse magnus, sit in populo prævius ut quod voce sequentibus dictat, primus ipse vivis operibus impleat. Unde et omnis pravi intellectus occasio toleretur primus ille inter æcclesie sacerdotes non ait. Domine quotiens peccaverit frater in fratrem, dimittet ei, sed potius omnium sacerdotum causa in una sui persona constituens, Domine inquid quotiens peccaverit in me frater meus dimittam ei? Cumque sibi responderetur usque septuagies septies indulgendum, nullum iam reservando sacerdotibus universali mandato relictum videtur ambiguum. Luca etiam Evangelista testante docemur, quia Domino Hierusalem properante, discipuli præcedentes intraverunt urbem Samaritanorum ut illi pararent. Cumque illos Samaritæ nullatenus recepissent, commoti Iacob et Iacob et Iohannes humanitate dictante dixerunt. Domine vis dicamus ut ignis descendat de cælo et consumat illos sicut Helias fecit? Mox conversus increpavit illos dicens. Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas

perdere sed salvare. Ubi mox subditur. Et habierunt in aliud castellum. Ac si non lingua sed opere loqueretur. Date locum ire, vel potius quod ipse dicit. Si vos persecuti fuerint in una civitate fugite in aliam (*). Vita plane quam Salvator noster gessit in carne, non minus quam prædicatio Evangelii nobis est, et proposita tenendæ regula disciplinæ. Sicut ipse ergo cuncta mundi furentis obstacula non per districti examinis ultionem, sed per invictam superavit inconcusse patientie magestatem, ita nos decet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quam vel arma corripere, vel ledendi lesionibus respondere, præsertim cum inter regnum et sacerdotum propria cuiusque distinguantur officia, et ut armis exutantur sæculi, et sacerdos accingatur gladio spiritus quod est verbum Dei. De sæculi namque principe Paulus dicit. Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. Azarias rex quia sacerdotale usurpavit officium, lepra perfunditur. Et sacerdos arma corripit, quod utique laicorum est quod meretur, nam et David icciroo ante evangelium evangelicæ vixisse creditur, quia non modo Semei vel Saul sed et plurimis indulsisse suis hostibus invenitur. Ex quo et ceteris sanctis patribus nonnulla hic exempla perstringerem, nisi vobis incomparabiliter notiora quam mihi hæc et similia certa tenerem. Plane quis non videat quam sit inhonesta confusio, ut quod agendum æcclesia denegat impudenter ipsa committat? Et cum aliis prædicet patientiam, infederabilem ipsa contra nocentes accendatur ad iram? Contigit enim hoc facienti quod Apostolus dicit. Ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Vel illud potius quod ad Romanos ait. Quod autem alium doces, teipsum non doces? Quod prædicas non furandum, furaris, quod dicis non mechandum mecharis? Quod abhominaris ydola sacrilegium facis? Et præcipue quod his præsto subiungitur, sacerdoti congruere videtur. Quod in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum

(*) *In codicis margine legitur:* Notandum quod hoc caput et sequens prohibet clericos pugnare sed humanum auxilium expetere concedit eis cap. XVI. XXII. XXVII. LI. LXI, LXII. LXVIII. LXXVIII. CVII. CVIII. CXIII. CXIIII. in primo libro CCXXXVI.

inhonoras? In lege quippe Dei sacerdos non inmerito gloriatur, qui locum ministerii ad prædicanda legis mandata sortitus est. Sed per prævaricationem legis Deum inhonorare convincitur, cum scita legalia transgredi non veretur. Dumque aliud agit aliud prædicat, quantum in se est omnes ab eiusdem legis observatione perturbat. Sicut Dominus scribis et phariseis dicit. Ve vobis qui abstulistis clavem scientiæ, sed ipsi non introistis, et alios intrare prohibuistis. Et revera qua fronte, qua libertatis audacia sacerdos in dissidentium confederatione sudet, cum ipse suis sororibus non indulgeat veniam, sed efferatur implacabiliter ad vindictam? Inter omnes virtutum gemmas quas Salvator noster attulit duas insignius rutilare monstravit, per caritatem scilicet et patientiam. Per caritatem namque Dei filius de celo descendit. Per patientiam diabolum superavit. His muniti virtutibus et fundatores Apostoli æcclesiam condiderunt et propugnatores eius sancti Martyres diversa supplicia pertulerunt. Si ergo pro fide qua universalis vivit æcclesia nusquam ferrea arma corripi conceditur, quo modo pro terrenis æcclesiæ facultatibus loricate acies in gladio debachantur? Et si sancti viri cum prævaleut hereticos ydolorumque cultores non perimunt, quomodo pro rerum vilium detrimento fideles fidem gladio impetat quem secum Christi redemptum sanguinem non ignorat? Ad hoc si quis obiciat bellicis usibus leonem frequenter se implicuisse pontificem, verumtamen sanctum esse, dico quod sentio, quoniam nec Petrus ob hoc apostolicum obtinet principatum quia negavit, nec David icciroo prophetice meruit oraculum, quia thorum alienum invasit, cum bona vel mala non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debeant qualitatibus iudicari. Numquid hoc legitur egisse vel litteris docuisse Gregorius qui tot violentias a Longobardorum est feritate perpessus? Numquid Athanasius bellum Arrianis se suamque ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma sanctorum quispiam legationem insurrexisse Pontificum? Causas igitur æcclesiastici cuiuscumque negotii, leges dirimant fori, vel sacerdotalis edicta concilii, ne quid gerendum est in tribunalibus iudicium,

vel exententia debet prodire pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione bellorum.

CXXXII.

Item exempla cuiusdam ex sacris scripturis deflorata.

Sicut indecens est transpositio infulas pedibus, et calciamenta usurpare capitibus, ita non omnia omnibus sed singula singulis sunt ascripta personis. Ideoque clerici terminos suos non transeant et limitum transgressores aliena non invadant. Nam Oza cum arcæ Domini succurrisset, ilico cedidit: et quia alienum officium arripuit, temerarius expiravit. Hinc etiam Saul spiritu inmundo arreptus est, quia sacrificium ut sacerdos optulit. Hinc tribus Chore periit, et Ozias rex lepra percussus est, quia officium turificandi assumpsit. Hinc est quod Dominus cum disciputos ac turbas emulos patientes esse ad omnia instrueret, ultionem eis prohibuit quam secularibus iudicibus non negavit. Non venerat legem solvere, sed adimplere. Unde Apostolus de terreno indice ait. Non sine causa gladium portat. Dei minister est, vindex in ira ei qui male agit. Cumque Iohannes Baptista percontaretur a militibus quid eis facere expediret, calumnias et iniurias prohibuit, sed stipendiis compætentibus ad imitationes malorum militare concessit. Verum sunt quidam qui sic impie pii, ut dicant nullum gladio debere puniri, nec pœnam mortis criminibus adhiberi. Similes his qui ob virginitatis privilegium nuptias reprehendunt. Et cum iuxta Apostolum non sit potestas nisi a Deo, Deo convincitur resistere, qui vult potestatum legibus obviare. Ambrosius supra psalmum Beati immaculati clamante dum ait. Nonne innocentes tradis exitio, qui liberas ab interitu reum multorum exitia cogitantem? Hinc Augustinus super Iohannem. Si possunt mali persecutionem facere bonis, propter nomen Christi, cur non possunt persecutionem pati a bonis propter nomen Christi? Hinc Hieronymus, homicidas et sacrilegos punire, non est effusio sanguinis. Item Innocentius Papa. Dum legum atrocitas in impios exercetur, erit dictator immunis. At alii Idumei et Damasceni

sanguinem sitientes, ita sunt nimium iusti atquo crudeles, ut etiam sacerdotibus concedant armis ulcisci, et præliorum consiliis inmisceri. Et infra. Aliud fuit antiquis sacerdotibus concessum, aliud novis abnegatum. Levitæ non numerabantur ad prælium. Sed quoniam sacrificium cruoris cum coniugio sacerdotali obsolevit, orta pace quam fecit uterque unum sacramenta significantia caritatis et pacis fiunt per manus sacerdotum, et ideo absurdum est eos litigatores fieri, aut prælia exhortari. Unde cum Dominus a Iudeis caperetur, et Petrus Malchi aurem abscideret ferire prohibuit, et ad formam omnium sacerdotum quorum prior erat, etiam pro seipso capi arma carnalia prohibuit. Hinc Apostolus. Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem. Hinc Ambrosius. Non tela quærunt ferrea, non arma milites Christi. Ubi cum dicit non quærunt, aperte demonstrat eos non debere Christianos ad arma ortari. Domino idipsum de Iudeis sententiæ, cum dicit ad Pilatum. Si regnum meum esset de hoc mundo: ministri mei decertarent ut non traderer iudeis, propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Hinc Gregorius Papa cum dicat se potuisse Italiam a Longobardis eripere si vellet Christianorum necibus aspirare, in registro inquid. Quia Deum timeo, in morte cuiuslibet hominis me misceri formido. Item Augustinus in expositione psalmorum. Video plane mira opera, cotidianas violentias, circum regionum cellionum sub presbyteris et episcopis, ducibus circumquaque volitare, et terribiles fustes israelites vocari, qui homines qui nunc vivunt cotidie vident et sentiunt. Machariana video tempora, de quibus invidiam faciunt, et plurimi non viderunt, et nemo nunc videt, et quisquis ea vidit catholicus potuit dicere. Si servus Dei esse vellet, in Domino confideret. Idem super Iohannem ad Iudeos. Si non voluistis Christum occidi, si non insidiati estis, si non vobis tradendum pecunia comparastis, si non comprehendistis, vinxistis, adduxistis, non eum a vobis interfectum esse iactate. Hinc psalmista. Filii hominum dentes eorum arma et sagitta et cetera. Hinc Leo Papa de Priscillianistis hereticis a principibus occisis. Profuit Dei iusta districtio, quæ etsi sacerdotali contenta iudicio

congruonte refugit ultiones quærere, tamen christianorum principum constitutionibus adiuvatur. Hinc Nicolaus Primus Papa. Sancta æcclesia mundanis legibus non constringitur, gladium non habet nisi spiritualem. Hinc Iohannes Papa ad Andelbergam imperatricem excusat Iohannem Episcopum Aretinum de militia dicens. Nimium veretur, et certe iure formidat contra professionem sui ordinis sæcularem militiam exercere. Et infra. Tractare de armis, et terram defendere præliis, terrenæ est potestatis, cui non restitit Christus, nec militiæ Romanæ regis filius tributa negavit. Qui militat Deo, non implicat se negotiis secularibus. Unde Ambrosius in libro officiorum. Sacerdotis vel ministri sit prodesse, si fieri potest omnibus, obesse nemini. Denique si non potest subveniri alteri nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuvari quam gravari alterum. Ideoque in causis pecuniariis intervenire, non est sacerdotale, in quibus non potest fieri quoniam frequenter alter ledatur qui vincitur, quam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus, posse autem solius est Dei. Nam in causa capitis nocere ei quem iuvare debueras periclitantem, non sine peccato est gravi. In causa autem pecuniæ odia quærere, insipientiæ est, cum pro salute hominis graves frequenter fiant molestiæ, in quo etiam periclitari sit gloriosum. Proposita igitur forma in sacerdotis officio teneatur, ut nulli liceat ne lacessitus quidem et aliqua offensus iniuria. Idem Ambrosius in eodem. Bellicosarum rerum studium a nostro officio iam alienum videtur, quia animi magis quam corporis officio intendimus, nec ad arma iam spectat usus noster sed ad pacis negotia. Idem in IIII° libro officiorum. Non videtur quod vir christianus iustus et sapiens quærere sibi vitam aliena morte debeat, ut pote qui etiam si armatum latronem incidat, ferientem referire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. De quo in Evangelii libris, aperta et evidens sententia est. Reconde gladium tuum. Omnis enim qui gladio percusserit, gladio perimetur. Quis latro detestabilior, quam persecutor qui venerat ut Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorum

defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare. Item super psalmum LVI. Noli attendere inermes manus, sed ad hoc armatus inde processit gladius unde Christus occidetur. Item in libro Patriarcharum. Dominus Ihesus mittens ad evangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, et ut incentiva litis, et instrumenta eriperet ultionis. Augustinus in libro de fide et operibus. Et Finees sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit. Quod utique degradationibus et excommunicationibus significatum esse faciendum hoc tempore, cum in æcclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus. Et infra. Idem deflorator. Cumque Salvator etiam defensione suæ personæ arma prohibuerit Petro, pro minoribus causis aperte clericis non debere uti armis innotuit.

CXXXIII.

Beda in hystoria Anglorum libro III.

His temporibus Reges Anglorum nobilissimi, Osviv provinciæ Nordan Hymbrorum, et hæc Berect Cantuariorum, habito inter se consilio quid de statu æcclesiæ Anglorum esset agendum, intellexerat veraciter Osviv quamvis educatus a Scottis, quia Romana esset Catholica et Apostolica Æcclesia. Assumpserunt cum electione et consensu sanctæ æcclesiæ gentis Anglorum virum bonum et aptum Eperatium presbyterum nomine Iughar dum de clerico Deusdedit episcopi, et hunc antistitem ordinandum Romam miserunt. Quatinus accepto ipso Episcopatus gradu catholico, per omnem Britanniam remiserunt Domino excellentissimo filio Suiu Regi Saxonum, Vitalianus Episcopus servus servorum Dei. Et infra. Verumptamen gerulo harum vestrarum literarum vestris missis, reliquias beatorum Apostolorum Petri et Pauli et sanctorum martyrum Laurentii, Iohannis et Pauli et Georgii atque Pancratii fecimus dari. Nam et coniugi vestre nostræ spirituali filiæ direximus, per præfatos gerulos crucem, et clavem auream habentes de sacratissimis vinculis beatorum Petri et Pauli Apostolorum.

CXXXIIII.

Ex libro vitæ Iohannis Chrisostomi.

Beatissimus Innocentius Papa Romanus audiens beatum Chrisostomum tanta ac talia mala pertulisse ab inimicis suis, valde contristatus est, et quantum licuit ei canonicis ictibus incuriosum imperatorem cum pessima imperatrice, et cunctos superstites adversarios eiusdem beati Iohannis durissime feriit, hoc est excommunicavit acerrime, apostolica anctoritate beati Petri per proprias iubens epistolas segregari eos a cunctis cælestibus sacramentis. Quosdam ex ipsis ex hoc satisfacientes post reconciliavit, et ut describeretur ac recitaretur in orationibus nomen sancti Iohannis cum nominibus episcoporum sedis suæ mandavit, atque ad eandem sedem satis reverendum corpus eius cum timore magno et honore multo revocari præcepit.

CXXXV.

Ex ystoria Anastasii bliviothecarii Romanæ Ecclesie.

Mundi anno $\overline{V}$DCCCLVI. Divinæ Incarnationis anno CCCLVI orthodoxi accesserunt ad Valentinianum per Hypatium episcopum Heracliæ, deprecantes quos fieri conventus præciperet, super correctione dogmatis omousio. Ad quos Valentinianus, mihi inquit cum subiecto populo, de huiusmodi negotiis curiose agere fas non est. Ut ergo videtur vobis sacerdotibus facite. Convenientes apud Lapsacum, et duobus illic mensibus commorati novissime irrita facere, quæ ab Eudoxio, Zachatio Constantinopolim sunt patrata, tenendamque fidem apud Seleuciam expositam decreverunt. Sed impius Valens, quæ apud Lapsacum gesta sunt destruxit, et Episcopos qui ibidem convenerant exilio religavit. Interea Liberius Papa Romanus et Athanasius et Samosatensuus Eusebius, qui Iobiani præcepto ab exilio fuerant revocati, in orthodoxo sermone vigebant, nec non et Hierosolimitanus Cyrillus et alii orthodoxi propugnatores.

CXXXVI.

Ex eadem.

Sane Thesalonicensi Episcopo communicante ob metum imperatoris Anastasii Timotheo Constantinopolitano episcopo, qui concilium Calcedonense anathematizaverant, XL episcopi Hyllirici et Greciæ convenientes in unum, per professionem in scriptis factam ut a proprio metropolitano discesserunt, et Romam mittentes Romano Episcopo communicare in scriptis professi sunt. Et paulo post. Cum Dioscurus iunior manus impositionem accepisset, recesserunt multitudines rusticorum dicentes. Quia nisi secundum quod continent canones sanctorum Apostolorum fiat, non recipietur Episcopus. Principes enim inthronizaverant eum. Item post aliqua. Sexto imperii Iustiniano, Iohannes Papa Bizantium venit, et invitatus ab Epyfanio Patriarcha non consensit, usque quo Epyfanio præsideret ut pote Papa Romanus.

CXXXVII.

In eadem.

Mundi anno VI CCXVII Divinæ Incarnationis anno DCCXVII anno imperii Leonis VIIII° Gregorius III Papa Romanæ præst Æcclesiæ. Quo videlicet anno, cepit impius imperator Leo depositionis contra sanctas imagines facere verbum. Quod cum didicisset Gregorins Papa Romanus, tributa Romanæ urbis prohibuit, et Italiæ, scribens ad Leonem epistolam dogmaticam, non oportem imperatorem de fide facere verbum, et novitaté violare antiqua dogmata æcclesiæ catholicæ, que a sanctis patribus sunt prædicata. Et infra. In seniori vestro R. Gregorius sacratissimus vir Apostolicus, et Petri verticis Apostolorum consessor, verbo et actu coruscans, removit Romam et Italiam necnon et omnia tam rei publicæ, quam ecclesiasticæ iura in Hesperiis, ab obedientia Leonis et imperii sub ipso constituti. Et paulo post. Sane Gregorius sacratissimus præsul Romanus quemadmodum prædixi, Anestasium Constantinopolitanum Episcopum ùna cum libello abiecit. Leonem per epi-

stolas tamquam impie agente redarguens, et Romam cnm tota Italia ab illius imperio recedere faciens. Insaniens ergo tirannus contra venerabiles ymagines persecutionem extendit, et contra Papam, atque recessum Romæ ac Italiæ seviebat. Ea vero quæ dicuntur patrimonia S. Apostolorum in Sicilia, quæ ab olim Ecclesiis auri dimidium et tria conferebant talenta publicæ rationi exolvi præcepit.

CXXXVIII.

Item in eadem.

Predictus itaque Papa Stephanus vi pressus, et crudelitate Haistulfi coactus, simul et iam ab ipso adhortatus est ire in Franciam, et facere quæcumque posset. Veniens vero Pipinum provehit, virum in omnibus probatissimum, qui præerat tunc quoque rebus post regem, et debellaverat Arabes. Et occidit etiam principem eorum Abderachman, et multitudinem haud facile innumerabilem iusta Rhodanum fluvium, et amatur a gente non solum propter hoc, sed et propter alia præcipua gesta et præficitur genti non ignobiliter primus. Solvente scilicet eum a peiurio in regem commisso eodem Stephano. Qui et totondit decessorem eius regem, et in monasterio cum honore et requie circumscripsi.

CXXXVIIII.

Ex epistola quam Episcopi Antiochiæ congregati scripserunt Dionisio urbis Romæ et Maximo Alexandrinæ Episcopis sumptum ex historia Rufini.

Necessarium nobis visum est Paulum Episcopum Antiochenum resistentem Deo, nec acquiescentem vere fidei abici et abiurari. Alium vero pro ipso æcclesiæ catholicæ constitui episcopum Donnum nomine virum omnibus boniis *(sic)* ornatum. Indicavimus autem vobis, ut sciatis ad ipsum vos scribere debere, et ab ipso communionis scripta suscipere. Donno igitur in episcopatu subrogatu, et Paulo sacerdotio absciso, et communione, cum de domo æcclesiæ nollet exire interpellatus imperator Au-

relianus, religiose satis de hoc sanctæque decernit his præcipiens æcclesiæ domum tradi, quibus Italiæ sacerdotes et Romanus Episcopus scriberent. Et ita prædictus Paulus ad cætera mala etiam hoc dedecoris acquisivit ut manu publica de æcclesia pelleretur. Et tunc quidem talis erga nos erat Aurelianus. Processu vero temporis inmutare propositi sui bonum cepit, et malis consiliis depravatus, persecutionem erga Dei ecclesias meditari, eousque vindicatus quod dictatis iam litteris et scriptis, cum sola superent subscriptio, divina dextera interveniens suscriptionem nefande dexteræ deturbaverit. Morte subita condempnatur, quod epyorum sanguine censebat, ut ostendere Deus quia non cum voluerit tyrannus cruciamur, sed cum probaverit ipse corripimur.

CXL.

Item ex historia Pauli diaconi quam subnexuit hystorie Eutropii lib. XIIII.

Dum Attila rex Hunnorum Romam obsessurus, eo loco quo Mincius fluvius influit Padum castrametatus esset vir sanctissimus primus Leo Papa ad eum accessit. Qui cum ad regem barbarum ingressus esset cuncta ut optaverat obtinens, non solum Romæ, sed etiam totius Italiæ salutem reportavit. Territus namque nutu Dei Attila fuerat, nec aliud Christi sacerdoti loqui valuit, nisi quod ipse peroptabat. Fertur itaque post discessum Pontificis interrogatum Attilam a suis, cur ultra solitum, tantam reverentiam Romano Pontifici exhibuerit, quoniam inquid pene ad omnia quæ ille imperasset obtemperavit. Tunc regem respondisse, non se eius qui advenerat personam reveritum esse, sed alium virum iuxta eum in abitu sacerdotali astantem vidisse, forma augustiore, canitie venerabili, illumque evaginato gladio sibi terribiliter mortem minantem nisi cuncta quæ ille petebat explesse. Et infra. Mortuo Valentiniano III quem Transila miles Æthii cum XXX annis imperium rexisset, peremit Maximus apud urbem imperium invasit, et post duos menses a Romanis in campo martio occisus est. Et continuo Gensericus Vvaidælorum rex navibus

ex Africa advectus, urbem omni præsidio vacuam obtinuit, occurrente sibi eodem sancto Leone episcopo extra portam. Cuius supplicatio ita eum Domino iuvante linivit ut cum omnia in eius potestate essent tradita, ab igni tamen et cæde atque suppliciis abstineretur. Quinta decima interim die, secura et libera scrutatione, ab omnibus opibus suis Roma vacuata est annis a sua condicione mille CC et VIII evolutis.

CXLI.

Ex IV libro ystoriæ ecclesiasticæ cap. XXVII.

Gordiano cum per VI annos Romanum gubernasset imperium, Philippus una cum filio suo Philippo successit. De hoc traditum nobis est quod Christianus fuerit, et in die Pasche, idest in ipsis vigiliis cum interesse voluisset, et communicare misteriis, ab Episcopo loci non prius esse permissum, nisi confiteretur peccata sua, et inter penitentes staret, nec ullo modo sibi copiam misteriorum futuram, nisi prius per penitentiam culpas quæ de eo ferebantur plurimæ deluisset. Fertur igitur eum libenter quod a sacerdote imperatum fuerat suscepisse, divinum sibi inesse metum, et fidem religionis plenissimam rebus et operibus comprobans. Anno imperii sui VII cum filio Philippo a Decio occiditur.

CXLII.

Ex XI libro eiusdem hystoriæ.

Cum apud Thessalonicam seditione exorta, quidam ex militaribus vir impetu fuisset populi furentis extinctus, Theodosius imperator repentini nuntii atrocitate succensus, ad ludos Cirnenses invitari populum, eique ex improviso circumfundi milites atque obtruncare passim quosque occurrisse gladio iubet, et vindictam dare non crimini sed furori. Ob hoc cum a sacerdotibus Italiæ argueretur, agnovit delictum, culpamque cum lacrimis professus, publicam penitentiam in conspectu totius æcclesiæ exegit, et in hoc sibi tempus ascriptum absque

regali fastigio patienter implevit. Quibus omnibus illud quoque mirabiliter abiecit, leges sanxit in posterum, ut sententiæ principum super animadversione prolatæ, in diem tricesimum ab executoribus differentur, quo locus misericordiæ, vel si res tulisset penitentiæ non periret.

CXLIII.

Ex chronica Victoris Episcopi Tunnesis Africe quam subiesse (*sic*) chronice Prosperi.

Gibbo V. C. Consule. Anastasius imperator Constantinopoli synodum congregat, et Theodoro Mopsuesteno, et Theodoreto Cypri, et Hybæ Edesseno Episcopis, et Leoni Romano Episcopo et eius thomo atque Chancedonensi synodo, inferre anathema persuasit. Et infra. Messala V. C. Consule Constantinopoli iubente Anastasio imperatore sancta Evangelia tamquam ab idiotis Evangelistis composita reprehenduntur atque emendantur. Et infra. Boetio V. C. Consule. Vitalianus comes Patricioli filius, fidei Catholice subversionem, et synodi Chalcedonensis damnationem, remotionesque orthodoxorum episcoporum, atque successiones hereticorum cognoscens, virorum fortium validam manum congregat, et imperatori Anastasio rebellat. Felice V. C. Consule Vitalianus comes Ypathium nepotem Anastasius principis Magistrum Romanæ militie congressione facta XL et V virorum ex romana militia peremptis, vivum capit, et vinculis æreis vinctum in custodia caveæ ferree trudit. Et infra. Senatore V. C. Consule Vitalianus comes cum manu valida barbarorum Constantinopolim veniens, in Sostene sedit. Quod non aliter postulatus pacem Anastasio permittit nisi prius defensores synodi Chalcedonensis religatos exilio sedibus propriis reddat, et Romanæ ecclesiæ cunctas Orientis ecclesias. Et infra. Agapito secundo et Magno Conss. Anastasius imperator intra palatium suum tonitruorum terrore fugatus, et coruscationum iaculo percussus, in cubiculo quo absconsus fuerat moritur, et cum ignominia absque consuetis exequiis actum illum ducitur.

CXLIIII.

Valentiniani Theodosii Archadii cap. L.

Continua lege sancimus nt nullus Episcoporum, vel eorum qui æcclesiæ necessitatibus scrvimini ad iudicia sive ordinariorum iudicium protrahantur, habent illi suos iudices, nec quicquam his publicis commune cum legibus.

CXLV.

Ex II libro institutorum imperatoris Iustiniani cap. L.

Nullius autem sunt res sacre et religiose et sanctæ. Quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est. Sacræ sunt, quæ rite et per pontifices Deo consecrata sunt. Veluti edes sacre et dona, quæ rite ad ministerium Dei dedicata sunt. Quæ etiam per nostram constitutionem alienari et obligari prohibuimus excepta redemptione captivorum. Si quis vero auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum. Locus autem in quo sacre edes edificate sunt. Sanctæ quoque res veluti muri et porte, quodammodo divini iuris sunt, et ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia pena capitis constituta sit in eos qui aliquid in muro deliquerint.

CXLVI.

Ex I lib. cap. Karoli et unici imperatoris.

Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini æcclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per electionem clerici et populi, secundum statuta canonum de propria diocesi, remota personarum et munerum acceptione, ob vite meritum et sapientiæ donum eligantur, ut exemplo et verbo sibi subiectis usque quaque prodesse valeant.

CXLVII.

Item ex eodem.

Quia iuxta sanctorum patrum traditionem novimus res æcclesiæ vota fidelium esse, et pretia peccatorum, et patrimo-

nia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa Deo opitulante conferre tentamus, tamen ut ab æcclesiasticis de non dividendis rebus æcclesiæ, suspicionem dudum acceptam penitus amoveremus, statuimus, ut neque nostris neque filiorum, et Deo dispensante successorum nostrorum temporibus ullam penitus divisionem aut iacturam patiantur.

CXLVIII.

Imperatores Gratianus et Valentinianus et Theodosius Melitio PP. Placet rationabiliter consilii tenore perpenso districta moderatione perscribere, a quibus specialiter necessitatibus æcclesiæ urbium singularum habeantur immunes. Prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus cælestium secretorum dedicata sordidum nimium fece vexentur. Nichil extra ordinarium ab hac, super inducti cuiusve flagitetur. Nulla translationum sollicitudo gignatur. Postremo nihil præter canonicam illationem quam adventiciæ necessitati sarcina repentina poposcerit eius fluctionibus ascribantur. Si quis contravenerit, post debitæ ultionis acrimoniam quæ erga sacrilegos iure promerenda est, exilio perpetuo uratur. Dat. VIIII K. Iunii. Ravennæ.

CXLVIIII.

In cap. Karoli Imp.

Volumus atque præcipimus, ut omnes nostræ ditione auxiliante Deo subiecti, tam Romani quam Franci, Alamanni, Baioarii, Saxones, Toringi, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Guascones, Beneventani, Cotthi, Hispani ceterique omnes subiecti nobis quocumque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam quam ex XVI° Theodosii imperatoris libro capite videlicet XI° ad interrogata Ablavii ducis quam illi et omnibus perscriptam misimus, inter nostra capitula pro lege tenenda, consultu omnium fidelium nostrorum posuimus, lege cuncti

perpetua teneant. Idem. Quicumque literas habens sive petitor fuerit vel initio litis, vel decursis temporum curriculis sive cum negotium peroratur, sive cum iam ceperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ legis antistitis, illico sine aliqua dubitatione etiam si alia pars refrangatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in iudicio copiosæ proscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat et promit sacrosanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ quæ prætorio iure vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmetur. Nec liceat ulterius retractare negotium quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam ab uno Episcopo licet peribitum omnes iudices indubitanter accipiant. Nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud enim est veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ pertulerit, hoc nos edicto salubri firmamus, et perpetua lege tenendum censemus.

CL.

Ex codice Iustiniani Imperatoris const II.

Imperator Leo Augustus Erithrio PP. Omnes qui ubique sunt, vel posthac fuerint orthodoxe fidei sacerdotes et clerici, cuiusvis gradus sint monachique in causis civilibus ex nullius pænitus maioris minorisve sententia iudicis ad extranea iudicia pertrahantur, aut provincia, vel loco aut regione quam habitant exire cogantur. Et infra. Præterea nullis executor vexare contumeliis clericos ullos, nullis impulsionibus molestare, nullis exprobare conviciis, aut corporalibus iniuriis fatigare conetur. Hi qui huiusmodi aliquid aggressi fuerint, post amissionem cinguli et patrimonii, ultima protinus animadversione plectendi. Privilegiis sane singulis quibuscumque sacrosanctis æcclesiis orthodoxe fidei et xenodochiis, sive ptochiis tam generaliter quam specialiter attributis perpetuo perseverandis, nullus eas earumque sacerdotes, aut clericos cuius-

libet gradus, aut monachos, vel ptochiis aut xenodochiis orthodoxæ fidei deputatos, extraordinariis muneribus præcipimus prægravari. Eas enim sarcinas onerum quam plerisque personis diversa ratione permittimus, inponi beatissimis viris nostro sæculo inconveniens esse iudicamus. Præterea ne cui temeritas sua lucrativa concedatur et impudens calumniantium frenetur audacia, iubemns quotiens hi qui sacerdotes, seu clericos, sive monachos, ceterosquo superius designatos, in iudicio præposita actione convenerint, si causa cognita convincti fuerint sine iuxta eos et legitima petitione pulsasse, omnes eis expensas, sumptusque quos ab exordio ceptæ controversiæ ipsorum, vitio tolerasse eos constiterit, redhibere cogantur, ut hac saltem censure iustitie formidini revocati, improbas si duæ conflictionibus occupati acqniescant a tam insopitis clamoribus iurgiorum magistra deinceps necessitate retinere. Dat. II Non. Aprilis.

Ex eodem Constit. II. Imperator Constantinus Felici Episcopo inter cetera. Divi Principis idest nostri genitoris statuta, multimoda observatione caverunt, ut clerici privilegiis pluribus redundarent. Itaque extraordinariorum munerum a prædictis necessitas atque omnis molestia conquiescat. Ad parangariam quoque præstationem non vocentur, nec eorumdem facultates atque substantie, omnibus clericis huiusmodi prærogativa succurrat. Dat. VIII Id. Decembris.

Ex eodem. Constitutione eadem. Imperatores Valens Gratianus Augusti ad Cataphroniam. Presbyteros, Diaconi, Subdiaconi, Exorciste, Lectores, Ostiarios etiam personarum munerum experte esse præcipimus. Dat. III Non. Martii.

CLI.

Ex libro novellarum primo const. VII tit. XXV.

Non liceat pecuniæ datione Episcopum fieri. Is antem qui consecrat eum, admonere aut prædicare ei debet quod si non observaverit canones sanctos, et Deo alienus erit et religiosis Episcopis non connumerabitur. Nam canones patrum vim legum habere oportet. Sin autem aliquis pecunias dederit, eoque

modo creatus Episcopus fuerit, non solum ipse sed etiam qui consecravit eum inter episcopos non erit, sed pecunia vel res datæ consecrationis causa, sacrosanctis æcclesiis addicantur. Sive Episcopus sive clericus est qui dedit. Si autem qui accepit, non solas res amittat, sed etiam gradum atque honorem clericatus. Similiter autem et si laicus sit qui pecuniam, vel rem accepit, et ipsas amittat, et aliud tantum quantum accepit, pene nomine sanctæ æcclesiæ præstare compellatur. Sed et si magistratum gerat, et in magistratum esse desinet, et exilio irrevocabili condempnabitur. Si autem aliquis Presbyter aut Diaconus constitutus pecunia data ad episcopatus apicem pervenerit, non solum Episcopus esse desinet, sed etiam priorem gradum presbyteri vel diaconi amittat. Consecratio autem Episcopi fiat omnem ante populum christianitatis, ut sit facultas unicuique si velit contradicere. Et paulo post. Quod si is qui contradixit calumpniator probatus fuerit, vel contradictionis iudicium deseruerit, et peregerit causam, prohibeatur sacra communione in omni vita sua ab eo qui consecravit Episcopum.

CLII.

Item ex lib. eodem VI cap. CCCC.XXVIII.

Ante omnia illud observari sancimus ut nemo sub præstatione auri vel alterius rei Episcopus consecretur. Et propter hoc qui dat et qui accipit, et qui mediator factus est, sacerdotio vel clericatus honore removeatur. Quod autem pro ea causa datum est, illi ecclesiæ vendicetur, cuius sacerdotium voluit. Si autem laicus erit qui per hanc causam aliquid accepit, vel mediator rei factus est ea quæ data sunt in duplum plus ab eo exigantur æcclesiæ vendicanda. Non solum autem ea quæ data sunt vindicare præcipimus, sed omnem cautionem super hoc quocumque modo expositam et pignorum obligationem et omnem aliam qualemcumque actionem cessare sancimus, ut ille qui promissionem accepit, non solum cautionem reddere, sed et aliud tantum quantum cautio continet conveniatur ecclesiæ dare. Item ex libro eodem constit. II. Imperator Leo Arma-

sio pp. Si quemquam vel in ac urbe regia, vel in cæteris provinciis quæ in toto orbe diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum provehi Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis sententia sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotii pretii venalitate mercetur. Quantum quisque mereatur, non tantum dare sufficiat estimetur. Profecto enim quis locus tutus, et quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritati, aut vallum fidei providemus, si auri sacra fames penetrabilia veneranda proserpit? Quid denique cautum esse poterit, aut securum si sanitas incorrupta corrumpatur? Cesset Altaribus imminere profanus ardor avaritie, a sacris aditis repellatur peculiare flagitium. Ita castus et humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut locorum quæcumque pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Non pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Sola illi suffragetur necessitas excusantis. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Cum sane quisquis hanc sanctam et venerandam antistitis sedem pecunie interventum subisse, aut is qui alterum ordinaret, vel eligeret accepisse detegitur, ad instar publici criminis et lese magestatis accusatione proposita, a gradu sacerdotis detrahi. Nec hos solum deinceps honore privari, sed perpetuo quoque infamiæ dampnari decernimus, ut quos facinus coinquinat et æquat, utrosque similis pæna comitetur. Data VIII Idus Martii Conss. Zenone et Mauro.

CLII. *(sic)*

Ex legibus Caroli et Hludovici Imperatoris.

Pervenit ad nos quod quædam æcclesiæ ac monasteria, decessorum nostrorum inmunitates habentia, multas infestationes patiantur, a quibusdam, nec per easdem inmunitates ullam defensionis tuitionem habere valeant, propter hoc quod ab inmunitatum temeratoribus dicatur, non plus inmunitatum nomine complecti, quam claustra monasterii vel æcclesiæ. Cæ-

terræ quoque quamvis ad easdem æcclesias vel monasteria pertineant, extra inmunitatem esse. Propterea volumus atque decernimus, ut omnes intelligant, non solum claustra monasterii, vel æcclesiæ, atque ædificia ecclesiarum sub inmunitatis defensione consistere, verum etiam domos, villas, septaque villarum, et piscatoria manu facta, et quicquid fossis aut sepibus, vel aliquo clausuræ genere præcingitur, eodem inmunitatis nomine contineri, et quicquid huius munimenta adversus earumdem ecclesiarum, vel monasteriorum pertinentia a quolibet homine nocendi vel damnum ferendi causa, spontanea voluntate committitur, in hoc facto inmunitatis iura fracta iudicentur. Quod vero in agris, vel campis, ac silvis quæ sine laborationibus sunt et nullomodo munitione cinguntur, casu sicut solet fieri, a quibuslibet hominibus aliquod damnum factum fuerit, quamvis idem ager, vel campus, vel silva ab ecclesiam vel monasterium præceptum inmunitatis habentia pertineant, non tamen in hoc inmunitas fracta vindicanda est. Ideoque non DC solidorum compositione, sed secundum legem quæ in eodem loco tenetur, is multandus est, qui scandalum vel dampnum in tali loco fecisse convictus fuerit.

CLIII. *(sic)*

Ex legibus Francorum Regum.

Si quis Episcopo aliquam iniuriam aut iniustam dehonorationem fecerit, de vita componatur, et omnia quæ habere visus fuerit, ecclesiæ cui præest socientur, et nobis in triplo bannus noster, idest LX solidos persolvatur, aut ipse in servitio vel fisco nostro serviturus semper societur, usque se redimere in triplo iuxta uuerigeldum suum potuerit. Sancta enim æcclesia in sacerdotibus constat, iccirco magna pœna pletendi sunt, qui Episcopis, Presbyteris, Diaconis iniuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio eorum ad Christum pertinet. Igitur sanguis effusio in æcclesia facta, cum fuste, si presbyter fuerit, in triplo componatur. Due vero partes eidem presbytero, III* æcclesiæ profredo, et insuper bannus noster. Similiter de diacono iuxta compositionem eius, et de subdiacono,

et reliquis clericis iuxta compositionem, et bannus noster. Similiter per omnia de ictu sine sanguinis effusione, et insuper bannus noster. Et qui non habet unde persolvat, dedat se in servitium æcclesiæ, usquedum totum debitum persolvat. In eisdem. De presbytero, et de uniuscuiusque ordinis clero secundum suam compositionem in triplo persolvatur, et bannus noster si aliqua iniusta vis eis illata fuerit. In eisdem. Presbyter vulneratus aut cesus si mortem evaserit, vitæ compositio cedat presbytero. Si vero mortuus fuerit, altari cui serviebat pars una, altera Episcopo, III° parentibus solvatur.

CLV. *(sic)*

Item ex eisdem legibus cap. XXVII.

Qui subdiaconum occiderit CCC solidis componat, qui diaconum CCCC solidis, qui Presbyterum DC. Qui monachum CCC solidis componat. Item in eisdem cap. III. Volumus ut pro ecclesiastico honore, et pro illorum reverentia sacerdotes advocatos habent.

CLVI.

In Evangelio. Nolite condemnare et non condempnabimini. In quo enim iudicio iudicaveritis iudicabimini. Si scitis quod ego misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condempnassetis innocentem. In actibus Apostolorum. Non est consuetudo Romanorum donari aliquem hominem, priusquam is qui accusat presentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Iohannes Evangelista. Karissimi nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus qui ex Deo sit, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Iacobus. Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam, superexaltet autem misericordia iudicium. Paulus ad Titum. Sine præiudicio nichil facias in aliam partem declinando. Clemens. Omnes legum divinarum violatores, et sacrarum institutionum perturbatores ecclesiastica indignos regula, et sancta communione iudicamus. Anacletus. Transgressores sponte legis suæ apostata nominantur. Omnis enim apostata

refutandus est, ante reversionem suam, non in accusatione recte agentium, aut testimonio suscipiendis. Accusationes sacerdotum nonnisi ab idoneis et probatissimis viris, qui et suspicionibus et sceleribus careant fieri debent. Idem. Omnis oppressus libere sacerdotum si voluerit appellet iudicium. Idem. Deteriores sunt qui doctorum veritas moresque corrumpunt his qui substantia aliorum prædiaque diripiunt, et ideo iuste infames sunt, et merito ab ecclesia extorres fiunt. Evaristus. Accusatorum sacerdotum discutiatur suspicio, fides, temeritas, vita, vanagloria, inimicitia, cupiditas. Idem. Absque certa probatio quisquam non credat. Alexander. Accusatores Episcoporum perpetua notantur infamia, et exilio digni iudicantur finitimo. Idem. Pessimum est da suspicione, aut extorta confessione quemquam iudicare. Idem. Si quis erga Episcopum vel actorem Ecclesiæ quamlibet querelam habere iustum crediderit, nisi prius primates aut alios adeat iudices, quam ipsum a quo se læsum estimat, conveniat familiariter, non semel sed sepissime. Si autem secus egerit, communione privetur. Idem. Talione meretur qui fratribus foveam parat. Item idem. Crucifigunt Dominum qui eum in sacerdotibus suis persecuntur. Xystus. De inimicorum dono prodeuntibus, non est credentibus. Culpantur qualiter circa fratres æger, intra quam huius sedis rectoribus placere cognoverint. Telesphorus. Accusatores et accusationes quas leges sæculi non admittunt et nos summovemus. Pius. Qui iussa Apostolicæ Sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur. Eleuther. Proditoris nec vox nec calumnia audiatur. In provincia in quam consistit ille qui pulsatus suas exerceat actiones. Iudicantem oportet cuncta rimari et ordinem rerum plena inquisitione discutere. Interrogandi ac proponendi adiciendique præbita patientia ab eo, ut ibi actio ambarum actionum limitata sit pariter. Victor. Quam vera sint, non tamen credenda, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio convincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. Zepherinus. Accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant finitivam, quam apostolica fulti auctoritate, aut reum se esse profiteatur, aut per innocentes et

regulariter examinatos testes convincantur. Absens nemo iudicetur. Nullum sententia ante suo iudice dicta constringat. Duodecim iudices Episcopus accusatus si necesse est eligat. Ad suorum primo conventum Episcoporum causa audiatur, finis vero eius causæ ad Sedem Apostolicam deferatur. Iudices conveniant ubi sunt testes singulorum qui oppressi sunt. Calistus. In accusatione sacerdotum non recipiantur, et in testimonio dubii habeantur, quorum fides, vita et libertas nescitur. Per quamcumque scripturam testimonium testes non proferant, nec de aliis causis testimonium dicant, nisi de is quæ in præsentia eorum acta esse noscuntur. Accusatoris consanguinei adversus extraneos testimonium non dicant, nec familiares, vel de domo prodeuntes, nec accusatores vel testes suspecti recipiantur. Fabianus. Qui non probaverit quod obiectam penam, quam intulit ipse patiatur. Si quis iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat. Pulsatus ante suum iudicem causam dicat. Accusatus non alibi quam in foro suo audiatur. Peregrina iudicia salva in omnibus apostolica auctoritate prohibemus, quia indignum est ut ab externis iudicetur, qui provinciales et a se electos iudices debet habere, nisi fuerit appellatum. Cornelius. Nullus sacerdotum causam suam alieno committit iudicio, nisi ad sedem Apostolicam fuerit appellatum. Stephanus. Neganda est criminatis, licentia criminandi priusquam se crimine quo premuntur exuerit. Infames eas personas dicimus, qua statuta æcclesiastica contempnunt, fures, sacrilegos, capitalibus criminibus irretitos, sepulchrorum violatores, qui adversus patres armantur, incestuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bello fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, et ut facultates æcclesiæ abstrahunt, et qui fratres accusant, et non probant, et omnes pro suis sceleribus ab æcclesia pulsos, et quos ecclesiasticæ et sæculi leges infames pronuntiant, hos non ordines nec servos ante libertatem, nec digamos, vel qui curiæ serviunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem, vel intelligentiam, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur. Accusationes quas

leges sæculi summovent et nos summovemus, suprascripta nulla accusatio suscipiatur. Eos anathematizatos esse quos Episcopi sui scriptis anathematizaverunt, aut eorum statuta anathematizant. Absens nec accusatori nec accusari potest. Accnsatus accusatori non respondeat priusquam a suo iudice regulariter vocetur, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Felix. Intra IIII vel V aut VII menses iuxta possibilitatem accusatus fuerit dentur indutie. Si accusatorum persone in iudicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere non tamen criminales vel ecclesiasticas voluerint. Infamis persona nec procurator, debet esse vel cognitor. Eutichianus. Quisquis ille est qui crimen intendis, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodie similitudine habita tamen dignitatis estimatione patiatur. Nec fore sibi licentia noverit mentiendi, cum calumpniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. Infames sunt, qui ad magos sortilegosque cucurrerint. Nulli infami aut sacrilego liceat adversus religiosum Christianum testimonium dicere, vel qualibet actione impetere, vel inscriptione. Gaius. Expoliatis omnia sunt legibus redintegranda, quæ eis ablata sunt. Alioquin nullum crimen eis obici potest. Et indutie illis post integram restaurationem anniversariæ post VI menses cum indulgendæ sunt, ut sua omnia absque impedimento distant. Marcellinus. Non licet imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra divinitatis mandata præsumere. Quære supra in hoc eodem libro cap. XXX. Marcellus. Qui sponte Romanam sedem conveniunt Episcopis absque ulla custodia, aut excommunicatione, vel dampnatione libere ire concedatur. Omnia comprovincialia negotia per sanctam Romanam Æcclesiam sunt retractanda, si huius Ecclesiæ Pontifex præceperit. Eusebius. Episcopis oppressis prius oportet omnia legibus redintegrari. Tantum temporis spatium Episcopis indulgeatur, quanto exspoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad synodum vocarentur. Qui aliena invadis non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Silvestor. Nulli omnino clerico licere causam

in publico examinare, nec ullum clericum ante iudicem laicum stare placet. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat. Clericus inferioris ordinis non det aliquam accusationem adversus potiorem. Iulius. Infames esse censemus, omnes qui suam aut Christianam prævaricantur legem, aut canonica postponunt auctoritate. Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum. Merito nos causa respicit, si silentio faveamus errori. In re dubia nunquam iudicetur certa sentia (*sic*). Iudices alii esse non debent, nisi quos impetitus elegerit. Quere in I libro cap. XVIII. Nullum iudicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Non credatur accusatori, absente adversario, ante utriusque discussionem. Felix. De indutiis minus quam VI menses non repperi, quia et laicis hæc indulta sunt. Indutie non sub angusto tempore, sed super longo spatio concedende sunt, ut accusati se pleniter armari valeant. Nullæ causæ a iudicibus æcclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur, aut quæ proibitæ esse noscuntur. Nec a communione prohibeatur accusatus, nisi ad electorum iudicium canonice convocatus, infra III aut VI vel plures menses venire distulerit. Excommunicati, homicidæ, maledici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos, magosque cucurrerit, nullatenus accusationem vel testimonium sunt admittendi. Iudices et accusatores tales esse debent, qui omni careant suspicione, et ex radice caritatis suam desiderent promere sententiam. Damasus. Iudas quia non est præsentialiter damnatus, non est eiectus. Nisi canonice fuerit episcopus vocatus suo tempore licet venerit ad conventum, nisi sponte voluerit, suis non respondebit insidiatoribus. Per se sint accusatores, per se testes, per se iudices. Ante perscriptiones nemo debet iudicari, nec dampnari. Primo semper fiat inscriptio ut talione calumpniator accipiat, quoniam sæculi leges hæc eadem retinent. De quibus omnibus vera semper fiat æquitas, quatinus accusationis et testificationis et iudicii mercedem per veritatem gestorum consequi valeant. Criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est, salva tamen in omni-

bus apostolica auctoritate. Syricius. Nec accusationes, nec testimonia ullus per scripta potest perferre nec de aliis negotiis quicumque testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Similiter qui accusare alium elegerit, præsens per se, et non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Innocentius. Aliene ecclesie clericum ordinare aut iudicare nullus usurpet. Quotiens probi a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire. Bonifatius. Confitetur de omnibus quisquis se subterfugere iudicium dilationibus putat. Si adesse neglerit (*sic*) dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Leo. Sedis Apostolice moderatio ac temperantia servant ut serius agat cum obduratis et veniam cupiat præ correptis. Quæ patefacta sunt querere, quæ perfecta sunt retractare, et quæ diffinita sunt convellere. Quod aliud est quam de adeptis gratiæ non ferre? Cum ad nostrum iudicium Lupicinus provocasset, inmerito eum pendente negotio a communione videmus esse suspensum. Quia universe viæ domini misericordiæ et veritas, cogimur ad sedem secundum apostolicæ pietatem, ita nostram temperare sententiam ut utrutinato pondere delictorum, quod constat unius esse mensuræ, quædam definiamus toleranda, quedam penitus amputanda. Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referende sunt, quam ad desides neglegentes doctores. Hylarius. Quod quis commisit illicite, aut a decessore invenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit. Simplicius. Priviligium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Gelasius in regesto. Convenit ut in alio aliquo cogatur inpactus is qui sponte facere quæ sunt recta contempserit. Constat eum qui cælestem militem pulsat, non nisi eius forum debere sectari. Gregorius Iohanni Larisseo episcopo, capite XLVI. Qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, vel comunionem capere sit dignus altaribus. LXXVII. De accusatione episcopi Corinthiorum clam pacata cum clericis ea quæ sunt dicta indiscussa manere non patimur ne fortasse horum sit corparata concordia. Quod si quod absit non

ex caritate sed ex præmio facta constititur maiori emendatione plectendum est. LXXVIIII. In rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium. Grave satis et indecens est, ut in re dubia certa dicatur sententia. XCIII. Sinodorum sententias sequentes, minores culpas quæ negantur ulcisci recusamus. Presbiteri qui in obiectis sibi capitulis contumaciter respondere temptaverint, volumus ut eis post II et III admonitionem tuam ministerium sacri interdicas officii. CXCIIII. Qui pro deferenda accusatione sacros ordines acceperit, eisdem ordinibus privatus esse atque ita sicut depositi sunt volumus permanere, nec unquam sub qualibet excusationis specie in sacros ordines revocari decernimus. Nam nimis indignum est, ut honore quem non ex meritis sed pro sceleris perceperc fungantur, sed in ordine locoque suo unde ad sacros ordines promoti fuerant volumus revocari. Commoda vero sua secundum locum et ordine in quo quisque eorum est, sicut erat solitus accipere, ita accipiebat. Illi confessioni credendum est, quam subtilitas examinis eicit ex hoccultis. Ea vero quam vehemens afflictio extorquet, agit super equitate, ut noxium se fateatur innoxius. Illi solent manibus excedere, qui in sensu et lingua deficiunt. Turpe est defendere quod prius non constititur iustum esse. Nulla ratione patitur, ut in his quæ pro utilitate generalitatis aliquis impendis, aliquod sustineat iniuste dispendium. CCIII. Accusatum symoniacum necesse habuimus summopere per scripta nostra prohibere, ne missarum sollemnia celebrare debuisset, donec quod esse verius potuissemus addiscere. Personis religiosis si forte ut assolet aliqua quomodolibet fuerit nata suspicio, et electorum desideraverint forte iudicium, subvia executione eligendi fas habeant cognitores ne actor apud suspectum litigando videatur præiudicium sustinere. CCLXXXIII. Ne qua de his quæ dicta fuerant in te suspicio remaneret, ad plenissimam te satisfactionem ad sacratissimum corpus beati Petri distracta fecimus sacramenta præbere. Qui non corrigit resecanda committit. CCCLXI. Si quis contra quemlibet clericum causam habuerit, ipsius episcopum adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certe ab ipso iu-

dices deputentur. Ad personam in primo loco positam respicit, quicquid a minori committitur, nisi sollicite cognoscatur. Gregorius comonitorium Iohanni defensori eunti Hyspaniam. Quere retro in libro IIII capitulo LXXV, LXXVI, LXXVII. Hysidorus. Leges sæculi habent, ut accusatis primo permittatur res familiares eorum libere et diutius ordinare, tum deinde respondere obiectis. Antiochenum concilium, capito XIIII. Cum episcopus a suis comprovincialibus iudicatus, ab aliis innocens ab aliis reus estimatur, metropolitanus a vicina provincia alios episcopos convocet, ut cum eis et suis coepiscopis controversiam tollat. Calcedon. cap. VIIII. Clericus adversus clericum habens negotium, apud episcopum proprium vel consilio eiusdem apud quos ambo voluerint iudicentur. Alioquin correptioni subiaceant. Quod si adversus proprium vel adversus alterum episcopum causam habent apud synodum provinciæ. Vel si clericus aut episcopus adversus metropolitanum, apud primate diocescos iudicentur. Item concilium Calced. Clericos aut laicos accusantes episcopos aut clericos adcusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutatur opinio. Cartagin. cap. VIII. Qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem adversus maiorem natum non habeat accusandi. Item in eodem cap. XVIIII. Quis episcoporum accusatur, ad primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator. Nec a communione suspendatur cui crimen intenditur nisi ad causam suam dicendam electorum iudicium die statuta litteris evocatus minime occurrerit, hoc est infra spatium mensis, ex ea die qua eum litteras accepisse constiterit. Quod si aliquas veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem integram habeat facultatem. Verum tamdiu post mensem secundum communicet, donec purgetur. Si autem ad concilium universale anniversarium occurrere noluerit, ut vel ibi causa eius terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse iudicetur. Tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parrochia communicet. Accusator autem eius si nunquam diebus cause dicendo defuerit, a communio-

ne non removeatur. Si vero aliquando defuerit subtrahensæ, restituto in communione episcopo, ipse removeatur a communione accusator. Ita tamen, ut nec ipsi adimatur facculta causæ peragendæ si se a diem occurre non potuisse probaverit. Illud vero, ut cum agere cœperit in episcoporum iudicio, si fuerit accusatori, persona culpabilis ad arguendum non admittatur, nisi proprias cansas, non tamen ecclesiasticas asserere voluerit. Item in eodem cap. XX. Si presbiteri vel diaconi fuerint accusati, adiunctis ex vicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petirint (*sic*) idem una secum in presbiteri nomine VI, in diaconi III, ipsorum causas discutiant, eadem dierum et dilationum, et a comunione remotionum, et discussione personarum, inter accusatores et eos qui accusantur forma servata. Reliquorum autem clericorum causas, etiam solus episcopus loci agnoscat et finiat. Item in eodem cap. XXX. Placuit, ut accusatus vel accnsans in eo loco unde est ille qui accusatur, si metuit aliquam cum temerarie multitudinis, locum sibi eligat proximum qno non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur. Affricanum concilinm cap. LXIII. Si autem fuerit provocatum, eligat qui provocaverit iudices, et cum eo ille contra quem provocaverit, ut ab illis deinceps nulli liceat provocare. Item in eodem, cap. LXXXVIIII. A iudicibus autem quos communis consensus elegerit, non liceat provocare, et quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle iudicibus obtemperare, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det litteras ut nullus ei communicet episcopornm, donec obtemperet. In eodem cap. XCVI. Omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda. Item in eodem cap. XCVII. Quotieus cumque clericis ab accusatoribus multa crimina obiciuntur, et unum ex ipsis de quo prius egerint probare non valuerint, ad cætera iam non admittantur. Item in eodem cap. XCVIII. Testes ad testimoninm non admittendos, qui nec accusationem admitti præcepti sunt, vel quos accusator de sua domo produxerint. Ad testimonium autem intra annos XIIII ætatis suæ non admittantur. Ex collectionibus Adriani papæ ad Agil-

Rannum. Nec litigantibus iudex prius sua sententia obviet, quam ipsi nichil habeant quod proponant. Et tandiu actio ventiletur, quousque rei veritas inveniatur. Frequenter interrogetur ne quid forte prætermissum est quod anecti conveniat. Indutiæ enim non modicæ ad quærendum dentur nequid præpropere a quacumque parte agatur, quia per surreptionem multa proveniunt, nihil tamen absque legitimo accusatore fiat. Iudex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat finitivam, quam aut reus se ipse confiteatur, aut per idoneos testes convincatur. Clericus sive laicus crimine vel lite pulsatus, non alibi quam in foro suo audiatur. Appellante non habeat afflictio ulla aut detentionis iniuriose custodia. Liceat etiam in causis criminalibus appellare. Nec appellandi vox denegetur ei, quem in supplicium sententia destinarat. In criminalibus causis nec accusator per aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defensare permittitur. Omnis qui falsa aliis intulerit, puniatur et pro falsitate ferat infamiam. Si quando in causa capitali, vel in causa status interpellatum fuerit, non per procuratores sed per ipsos est agendum. Qui in alterius fama in publico scripturam aut verba contumeliosa confinxerit, et repertus scripta non probaverit, flagellum, et qui primus invenerit rumpat si non vult auctoris facti causam incurrere. Si quis iratus crimen aliquod cuilibet temere obiecerit, convicium est, non accusatio. Sed si permisso tractandi spatio, id quod iratus dixit per scripturam se probaturum fateatur, ut si forte resipiscens post iracundiam quod dixit iterare ac scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur. Si quis contra sua professionem vel suscriptionem venerit, si clericus fuerit deponatur. Si laicus anathemizetur. Libat Deo prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Maius periculum est iudicantis, quam eius qni iudicatur. Si aliter testes discuti non possit, separentur ab invicem, et singulariter inquirantnr. Qui innocentes ad principes vel ad iudices falso accusare convincti fuerint, si clericus fuerit degradetur, si laicus communione privetur. In Exodo. Non suscipies vocem mendacii, nec pro impio dices falsum testimonium, nec sequeris turba ad fa-

ciendum malum nec iudicio plurimorum acquiesces sentiæ (*sic*) ut auro devies, pauperis quoque non misereberis in negotio, nec declinabis in iudicio eius. Ne accipias munera quæ excecant etiam prudentes et subvertunt verba iustorum. Peregrino molestus non eris. In Levitico. In iudicio non consideres personam pauperis, nec honores vultu potentis. Æquum iudicium sit inter nos, sive civis, sive peregrinus peccaverit. In Numero. Ad unius testimonium nemo condempnabitur. In Deuteronomio. Nulla erit distantia personarum. Ita enim audietis parvum ut magnum nec accipietis cuiusquam personam quia Dei est iudicium. Iudices et magistros constituere in omnibus tuis per singulas tribus tuas ut iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non stabit testis unus contra aliquem. Quicquid illud peccati est, sed et in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Si steterit testis mendax contra hominem accusans eum prevaricationis, stabunt ambo quorum causa est ante Deum in conspectu sacerdotum et iudicum. Cumque diligentissime perscrutantes, inveniunt falsum testem dixisse mendacium contra fratrem suum, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, ut audientes ceteri metum habeant, et nequaquam audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente restitues. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur homo ille et auferes malum de medio Israel, ut nullus deinceps intumescat superbia. Maledictus qui pervertit iudicium advene, pupilli et viduæ. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. IOB. Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Causa quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui et de dentibus illius auferebam prædam. OSEE. Misericordiam et iudicium custodi, et spera in Deo tuo semper. Odite malum, et constituite in porta iudicium si forte misereatur Dominus reliquiis Ioseph. Indicabo tibi homo quid sit bonum aut quid Dominus requirat a te, utique facere iudicium et iustitiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Non pervenit usque ad finem

iudicium quam impius prævalet adversus iustum. Zacharias. Hoc dicit Dominus exercituum. Iudicium verum iudicate et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo, et viduam, et pupillum, et advenam, et pauperem nolite calumniari. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris, et unusquisque malum ne cogitetis contra amicum suum in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odi dicit Dominus. Esaias. Principes tui socii furum, omnes diligunt munera secuntur retributiones, pupillo non iudicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos. Ve qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. Ve qui iustificaut impium pro muneribus, et iustitiam iusti auferunt hab eo. Ve qui condunt leges iniquas ut opprimant in iudicio pauperes et vim faciant causæ humilium populi mei. Salomon. Facere misericordiam et iudicium, magis placent Domino quam victimæ. Et iterum. Multi datis in auri casus, et facta est in specie illius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium. Ve illi qui sectantur illud. Gregorius in . . . XVIIII, vel minus. Ad proferendam sententiam nunquam præcipites simus nec temere indiscussa iudicemus. Nec quælibet mala audita nos moveant, nec passim dicta sine probatione credamus. Maiora crimina tarde credenda sunt cum audiunt et citius punienda cum veraciter agnoscuutur. Ambrosius in II lib., off. Nichil opinionem immo fidem gravat, quam si in iudicando potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, divitem excuses reum culpæ. Augustinus. Omnes causæ prius per auctoritatem veritatis ventilandæ sunt. Quæ sint, cuius sint, quomodo sint, quales sint. Docte, aut indocte. Parve aut magne, note vel ignote. Longi temporis, vel parvi, aut antiqui hostis consuetudine reperte sunt, hæc omnia iudex cum equitate discernere debet. Hieronimus super Amos. Convertistis in furorem iudicium. Convertit in furore iudicium, qui iratus iudicat, et dicente Domino, non accipies personam in iudicio, et in alio loco Non misereberis pauperis in iudicio; et quia Dei iudicium est, ille irata ad iu-

dicandum mente descendit, immo cum causam nesciat, nec iudicii noverit veritatem, ante præiudicat quam debeat ferre sententiam, fructumque iustitiæ dulcissimum vertit, in amaritudinem. Quicumque igitur consanguinitate, vel amicitia, vel odio in iudicando ducitur pervertit iudicium Christi.

Ex decreto Alexandri Papæ.

Reeccistis (*sic*) mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis supra. Quid enim aliud est reicere mandatum Dei, quam privato iudicio, consilio humano novis rebus constituendis liberius delectari? Unde scriptum est. Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Et Apostolus. State et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Innocentius. Pernicies revocata in iudicium, gravius et sine penitentia condempnatur. Idem. Quod pro remedio a necessitate temporis statutum est, constat prius non fuisse, ac revisse regulas veteres, quas ab apostolis aut apostolicis traditas æcclesia romana custodis, custodiendasque mandat his qui eam audire consueverit. Ergo quod necessitas pro remedio repperit, cessante necessitate, debet utique cessare quod pariter urgebat. Cælestinus. Si studere cæperimus novitati, traditum nobis a patribus calcabimus ordinem, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Non est minor tradentis officio custodia traditorum. Gelasius. Si deinceps sinitur mansura perversitas, non est benignitas remittendis sed consentientis annuntiatio. Sic non potest perversitas comunicatores suscepto perversitas non adprobari, sic non potest refutari perversitas, complice sectatore perversitatis admisso. Prisca igitur pro sui reverentia maneant constituta, quia ubi nulla vel rerum, temporum perurguet angustia, regulariter convenit custodiri. Canonum paternorum vetus forma servetur, nec contra eos ulla ratione prævaleat quod pro accidentis defectus remedio providetur, non adversus scita maiorum, nova lege proponatur. Agatho ad VI synodum. Si in hoc seculo condempnatis parcatur sicut ipsi quibus parcitur nullum in Dei iudicio sentiunt parcendo beneficium, ita parcentibus non minimum

ingerit pro illicita compassione periculum. Iohannes VIII. Non minus mala consuetudo ut ait Sardicense concilium quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est.

CLVIII.

In Can. Apostolor. cap. X.

Si quis cum excomunicato saltem in domo simul oraverit communione privetur. Iohannes evangelista. Qui non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, nec ave dixeritis ei. Qui enim dicit illi ave, comonicat operibus eius malignis. Paulus ad Titum. Hereticum hominem post primam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui eiusmodi est, et delinquid proprio iudicio condemnatus. Antiocenum concilium capite II. Si quilibet ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, privetur communione, tamquam qui regulam confundit ecclesiæ. Carthaginense capite XXVIIII. Qui tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem presumpserit, ipse in se damnationis iudicetur protulisse sententiam. Affricanum capite XLVI. Excommunicatorum qui intra annum cansam suam purgare contempserint nulla eorum vox postea penitus audiatur. Deinde cap. C. Quamdiu excommunicato non communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus ne dicat in quenquam, quod aliis ducumentis convincere potest. Calixtus. Excommunicatos a sacerdotibus nullus recipiat, ante utriusque partis excommunicationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, vel potu, aut osculo communicet, nec averis dicat. Quicunque vero in his quod aliis prohibitis eis scienter communicaverit, iuxta apostolorum institutionem et ipse simili excommunicationi subiaceat. Gelasius. Quicumque igitur intra anni spatium civiliter sive publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint ipsis audientiæ clausisse auditum videantur. Quod si ab ostinato animo sine communicatione defuncti fuerint, nos

eorum causam iuxta beati Leonis sententiam divino iudicio servantes, quibus vivis non communicavimus, mortuis communicare non possumus. Sine quæ ante audientiam communicare temptaverit, donec per penitentiam reatum defleant, ac communionem nullatenus reducantur, excepto mortis interitu. Achatius modum servare debuisset, ut antequam se Petro communione misceret per sedem apostolicam posceret examinare eum, et legitimâ purgatione purgari, cum non examinandi aut recipiendi eum habuisset pontificum. Cum itaque sine me vis non habuerit vel absolvendi aut recipiendi, huiusmodi rite personam nec purgatam legaliter nec regulariter constat esse. Postquam Hachatius communionis aliene factus est, non potuit nisi catholica et apostolica mox societate præcidi, ne per eum si vel paululum cessaremus nos quoque videremur subisse contagia impiorum. Leo universis archiepiscopis Italie. Misimus ad vos litteras, quibus docuimus presbiterio Eutichen esse nudatum et a nostra communione sive monasteriis esse depulsum, ut cognoscentes quod circa illum actum est, omnibus episcopis sub vobis degentibus manifestis illius impietatem ne ad eum quasi ad orthodoxum, vel per litteras, vel per aliquam coniunctionem loquantur. Gregorius Natali episcopo. De excommunicationis articulo qui tamen interposita condicione gradu secundo vel IIII° iam ut ita dicam ex necessitate subiuncta est inmerito querimini, cum apostolus dicat. Impromptu habentes ulciscionem inobedientiam. Iohannes VIII in concilio Ravennati cap. XII. Cure sit omnibus episcopis excommunicatorum omnino nomina, tam vicinis episcopis quam suis parrochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus æcclesiæ cunctis venientibus inculcare, quatinus in utraque diligentia excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus excludatur, et excusationis causa omnibus auferatur. Augustinus episcopus legatus Numidie provincie in concilio Cartaginensi cap. VIIII. Dixit, hoc statuere dignemini ut si quis forte merito facinorum suorum ab ecclesia pulsi sunt, et sive ab episcopo, sive a presbitero fuerint in communione suscepti, etiam ipse pari cum eo crimine teneatur obnoxius, refugientibus sui

episcopi regulare iudicium. Ab universis episcopis dictum. Omnibus placet. Ex tomo pontificali. Nastasius natione romanus sedit annos I. menses XI. dies XXIIII. Et multi presbiteri et clerici eregerunt se a communione ipsius, eo quod sine consilio eorum communicasset diacono thessalonicensi, qui communis erat Acathio, et quia occulte voluit revocare Acathium et non potuit, quia nutu divino percussus est Acathius.

CLVIIII.

Ad presbiteros contra concilium Ariminense.

Arriani graviorem blasphemiam quam ceteri intulerunt. Sed quia a multis hoc gestum est, putatur bene commissum. Quasi vero multitudo crimen excuset, aut non maiorem ruinam faciat turba peccantium. Denique et in cataclismo cum totum orbem vitiis oppressum pluviarum ruina dilueret, tota cum domo sua Noe solus pereuntibus ceteris meruit evadere quia solus Deum bene vivendo fecerat pium, quem contrarium ac mundo iratum provocaverat inmanitas delictorum. Sic et in Sodomis cum omni libidine monstruoso in nature dedecus ebullissent, cum inmutata secundum illos vice cæli, sicut illi usum nature mutaverant, ygneo ymbre extingui meruerunt. Qui incendium Loth cum domo sua quia solus immunis fuerat a crimine, solus meruit evadere. Nec terruit eum tantarum urbium magnitudo, nec populorum multitudo, sed causa permovit. Sic et inter CCC pseudo prophetas qui de mensa regis cotidie cruditabant, falsa proferentes turas solus Micheas qui per veritatem teneret inventus est, Helias quoque post multa persecutionem regis et regine, DCCCL falsis sacerdotibus occisis populum de errore revocavit, et tantum meruit, ut curru igneo raperetur.

CLX.

Iudicium quorundam graviorum criminum cuius consideratione adverti potest iudicium cæterorum.

De his qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter oblationem facultatum, aut præter periculum vel aliquid

huiusmodi, quod factum est sub tyrannidæ Licinii, placuit synodo quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benivolentia commodari. Quicumque ergo veraciter penitudinem gerit tribus annis inter fideles audientes habeantur, et VI annis omni se contritione deiciant, duobus annis sine oblatione populo in oratione communicent.

De laicis qui Deum negaverunt ex concilio Niceno cap. XI.

Quicumque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstraverunt. Deponentes militiæ cingulum, postmodum vero ad proprium vomitum sunt elapsi, ita ut quidam et pecunias tribuerent, et beneficiis militiam repeterent. In decem annis post trihennii tempus, quo intra audientes erunt in afflictione prima maneant. Et in his omnibus propositum et speciem pænitentiæ convenit explorare. Quot quot metu et lacrimis atque patientia vel bonis operibus rebus ipsis conversionem suam non simulationem demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes tum demum fidelibus in oratione communicent. Postmodum vero licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicunque vero indifferenter tulerunt, et habitum introeundi ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus inpleant.

De his qui diversis causis aliquid ritu gentilitatis peregerunt ex concilio Ancirano cap. IIII.

De his qui sacrificare coacti sunt insuper et cænaverunt in ydolo, quicumque eorum cum ducerentur lætiori habitu fuerunt, et vestimentis pretiosioribus usi sunt, et preparatæ cænæ indifferenter participes extiterunt, placuit eos inter adientes uno anno constitui, succumbere vero tribus annis. In oratione autem communicare biennio et tunc perfectionis gratiam pervenire. Quotquot autem ascenderunt templa veste lugubri, et recumbentes per omne tempus flevere discubitus, si compleverunt pænitentia triennii temporis, sine oblatione suscipiantur. Si autem non manducaverunt, biennio subiecti pænitentiæ, tertio anno sine oblatione communicent, ut perfectionem qua-

driennio consequantur. Penes episcopos autem erit potestas modum conversionis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adicere. Antea omnia vero præcedens eorum vita et posterior inquiratur, et ita eis impertiatur humanitas.

De his qui propter timorem ritus gentilium peregerunt ex eodem cap. V.

De his qui minis tantum cessere pænam, aut privatione facultatum territi aut de migratione sacrificaverunt et hactenus pænitudinis neglegentes, neque conversi nunc huius concilii tempore semet obtulerunt, conversionis suæ consilia capientes, placuit usque ad magnam diem eos inter audientes suscipi, et post magnam diem eos inter audientes suscipi, et post magnum diem triennio pænitentiam agere et postmodum duobus annis sine oblatione communicare. Et tunc demum. VI annis completis ad perfectionis gratiam pervenire. Si vero quidam ante hanc synodum suscepti sunt ad pænitentiam ex illo tempore initium eis sexennii computetur. Si quod autem periculum, vel mortis expectatio, aut ex infirmitate aut ex aliqua occasione contigerit his sub definitione statuta communione integretur.

De his qui in locis idolorum manducaverunt, ex eodem cap. VI.

De his qui festis diebus gentilium in remotis eorum locis convivia celebrarunt, cibosque proprios deferentes ibidem commederunt, placuit post penitentiam biennii eos suscipi. Utrum vero qui cum oblatione, singuli episcoporum probantes vitam eorum, et singulos actus examinent.

De his qui frequenter ydolis immolaverunt ex eodem cap. VI.

Si qui II° et III° sacrificaverunt coacti, IIII^or annis pænitentiæ subiciantur. Duobus autem aliis sine oblatione communicent, et VII anno perfecte recipiantur.

De his qui aliis sacrificandi causas attulerunt, cap. VIII.

Quotquot non solum ipsi deviaverunt, sed etiam insurrexerunt et compulerunt fratres, et causas præbuerunt ut cogerentur, hi per triennium quidem locum inter audientes accipiant. Per aliud vero sexennium pænitentiæ subiciantur acriori, et alio anno communionem sine oblatione percipiant, ut perfectionem expleto decennio consequantur. Inter hæc autem et eorum vita pensanda est.

De omicidio ex eodem cap. II.

Qui voluntariæ homicidium fecerint, penitentiæ quidem iugiter submittant se, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur. De homicidiis vero non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pænitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quiuquennii tempus éxplere.

Ex eodem concilio.

De mulieribus quæ fornicantur, et partus suos necant, vel quia agit secum ut utero conceptus excutiant, antiqua quidem finitio usque ad exitum vitæ eas ab ecclesia removet, humanius autem nunc diffinimus ut eis X annorum tempus secundum præfixos gradus pænitentia largiatur.

Ex concilio Eiiberitano cap. VI.

Delator si quis extiterit fidelis, et per delationem eius aliquis fidelium fuerit præscriptus vel interfectus, placuit eum non nisi in finem accipere communionem. Si lèvior causa fuerit, intra quinquennium accipere communionem poterit. Si cathecuminus factus fuerit post quinquennium admittatur ad baptismum.

Ex concilio Ancirano.

Si cuius uxor adultera fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, VII annorum pænitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus.

Ex concilio Africano cap. LXVIIII.

Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri iungantur, sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint ad pænitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgarunt.

De adulterio ex VII libris Augustini ad Pollentium.

Non est aliquod exortemur eos, qui reconciliari coniugibus adulteris penitendo nisi ad custodiendam continentiam. Quoniam mulier alligata est quandiu sive mechus, sive castus vir eius vivit. Mechatur si alteri nupserit. Et vir alligatus est, quamdium sive mecha, sive castā uxor eius vivit. Mechatur autem si alteram duxerit, hæc namque alligatio quandoqnidem non solvitur, etiam si per repudium coniunx a casto coniuge separetur. Multo minus solvitur, si non separata mechetur, ac per hoc non eam solvit nisi mors coniugis non in adulterium coruentis sed de correpto exeuntis. Quapropter si recesserit mulier ab adultero, et ei reconciliari non vult, maneat innupta. Et si dimiserit vir adulteram mulierem, et eam non vult recipere nec post penitentiam, custodiat continentiam. Et si non ex voluntate eligendi potioris boni, certe ex necessitate vitandi perniciosi mali.

Ex concilio Neocesar. cap. II.

Mulier si duo fratribus nupserit usque ad mortem abiciatur. Verumtamen in exitu propter misericordiam, si promiserit quod facta incolumis huius coniunctionis vincula dissolvat, fructum pænitentiæ consequatur, et communio ei concedatur. Quod si defecerit vir aut mulier, in talibus nuptiis, difficilis erit penitentia in vita permanenti.

Ex concilio Ancirano cap. XVI.

De his qui irrationabiliter versati sunt sive versantur, et qui cum pecoribus et masculis se coinquinaverunt, quotquot

ante XXV annos etatis talem crimen commiserunt, XV annis exactis in pænitentia, comunionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in ac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem et vita eorum si vel tempore penitudinis extiterit, et ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his exerc criminibus ad agendam pænitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem post XX annos ætatis uxorem habentes in hoc peccatum prolapsi sunt, XXV annis penitentiam agentes, ad orationis communionem recipiantur. In qua quinquennio perdurantes tunc oblationis sacramenta percipiant. Quod si uxores habentes, et trascendentes LV annum ætatis delinquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

Ex epistola Papæ Leonis ad Theodorum episcopum Foroiuliensem.

De remedio pænitentiæ et quod absolutio penitentium per manuum impositionem episcoporum, cum supplicationibus fiat, propter quod necesse est ut reatus peccatorum ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur, etiam si periculo mortis urguente statim post acceptionem penitentie et reconciliatio subsequatur. Multiplex misericordia Dei ita lapsis humanis subvenit, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per penitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ. Ut qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condempnantes, ad remissionem criminum pervenirent. Sic divinæ voluntatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat optineri. Mediator Dei et hominum Dominus Ihesus Christus hanc præpositis æcclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus penitentiæ sanctionem darent, et eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui itaque operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab illis adest dicendo. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus et cætera. Ut si quibus per servitutem vestram bono ordine et grato impletur effectu, non ambigamus per sanctum Spiritum nobis fuisse donatum. Si autem aliquis eorum pro quibus Domino

supplicamus quocumque interceptus obstaculo a munere indulgentiæ presentis exciderit, et prinsquam ad constituta remedia perveniat temporalem vitam humana condicione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Necesse est ergo nos eorum qui obiecerint merita actusque discutere, cum Dominus noster cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotum implere non sunt, suæ justitiæ reservaret. Ita potestatem suam timeri nolens, ut hic error omnibus prosit, et quod quibusdam tepidis aut neglegentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. Idem in eadem. His autem qui in tempore necessitatis et periculi urguente instantia, præsidium pænitentiæ et mox remedium reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio neganda. Quia misericordiæ Domini nec mensuras possumus ponere nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur venire moras conversi. Dicente Domino per prophetam. Cum conversus fueris ingemueris tunc salvus eris. Et alibi. Dic iniquitates tuas prior ut iustificeris. Item. Quia apud Dominum misoricordia et copiosa redemptio. In dispensandis itaque donis Dei non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lacrimasque negligere. Cum ipsa penitendi afflictionem ex Dei credamus inspiratione concessam. Dicente apostolo. Ne forte det illis Deus penitere ut resipiscant a diaboli laquæis a quibus capti tenentur ad ipsius voluntatem. Item in eadem. Oportet ergo unumquemque christianum conscientiæ suæ habere iudicium, ne de die in diem differat converti ad Dominum, nec satisfactionis sibi tempus in vitæ suæ fine constituat, quem periculose ignorantia humana concludit, ut ad paucorum horarum spatium se reservet incertum. Et cum possit pleniori satisfactione indulgentiam promereri illius temporis angustias oligat, in quo vix inveniat spatium vel confessio pænitentis, vel reconciliatio sacerdotis. Item in eadem. Ita ergo talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis pænitentiæ, nec communionis gratia denegetur si eam amisso vocis officio per indicia integri sensus querere conprobentur. Quod

si ita aliqua egritudine fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant et sub præsentia, significare non valent, testimonia circumstantium fidelium illis prodesse debent, simul tamen et reconciliationis beneficium consequantur.

Ex decretis PP. Innocentii cap. VII.

De penitentibus autem qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla intervenit egritudo V. feria ante pasca eis remittendum, Romane æcclesie consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere estimando delictorum, sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrimas corrigentis ac tunc iubere demitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in egritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus paschæ relaxandum, ne de hoc seculo absque communione discedat.

Ex concilio III Felicis PP.

Cumrandum vero maxime, et omni cautela est providendum ne quis fratrum coepiscoporum nostrorum, aut etiam presbiterorum in alterius civitate, vel diocesi penitentem, vel sub manu positu sacerdotis, aut eum qui reconciliatum esse dixerit, sine episcopi vel presbiteri testimonio et litteris aut in parrochia presbiter, aut in civitate episcopus suscipiat. Quod aliqua desimultione eglectum *(sic)*, culpam tangit etiam clericorum qui locis in quibus hoc curandum fuerit commorautur. Et paulo post. Sicut novi aliquid et quod præterire non potuit fuerit revelatum, secundum beatum Paulum apostolum, tacente priore fidenter insinuet, quia Spiritus sanctus ubi vult spirat, maxime cum causa sua tractetur. Nec nos pigebit audire et si qua sunt omissa non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare.

Ex cr. PP. Siricii cap. V.

De his vero non incongrue, dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam qui peracta pœnitentia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et ad volutabra redeuntes et

militie cingulum et ludicras voluptates et nova coniugia et inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incerti nemo autem generat post absolutionem filii perdiderunt. De quibus quia iam suffugium non habent pænitendi, id duximus decernendum ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur sacre mysteriorum celebritati quamvis non merecantur intersint, a Domini autem mense convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, ipsi sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant quatinus ab oscenis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quando carnali fragilitate ceciderunt viatico munere cum ad Dominum ceperunt proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam et circa mulieres quæ se post pænitentia talibus pollutiouibus devincxerint servanda esse censemus.

CLXI.

Iuramentum futuri imperatoris.
Hoc sacramentum invenit scriptor huius libri in Saxonia in monasterio quod dicitur Luineburg.

Domno Iohanni papo XII. Rex Otto per nos mittit, et iurat per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum et per beatum lignum vivifice crucis, et has reliquias sanctorum quod si permittente Deo Romam venerit, sanctam Romanam ecclesiam et eundem domnum Ioannem papam rectorem ipsius exaltabit secundum suum posse, si vivum invenerit. Sin autem eum qui legabiliter illi succedet. Et nunquam vitam, aut membra, neque ipsum honorem quem habet, et qui eum habiturus est sua voluntate, aut suo consensu, aut suo consilio, aut sua exhortatione perdet, neque ipse, neque aliquis successorum eius. Et in romanum placitum, aut ordinationem faciet de omnibus quæ Papæ et Romanis pertinet, sine consilio domni Papæ. Et quicquid de terra sancti Petri ad eius potestatem venit vel veniet, Romanæ æcclesiæ restituet. Cuicumque autem regnum italicum committet, iurare faciet illum, ut adiutor sit domno Papæ et successoribus eius ad defendendam terram sancti Petri secun-

dum suum posse. Sic adiuvet Deus eundem domnum regem Ottonem et hæc sancta evangelia et hæc sacrosancta sanctuaria.

Iuramentum Heinrici.
Ex IIII libro PP. Gregorii VII cap. VI.

Ego rex Heinricus de murmuratione et disensione quam nunc habent contra me archiepiscopi et episcopi, abbates, duces, et comites ceterique principes regni teutonicorum et alii qui eos in eadem dissensionis causa secuntur, infra terminum quem dominus papa Gregorius constituerit, aut iustitiam secundum iudicium eius, aut concordiam secundum consilium eius faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit. Quo transacto ad peragendum idem paratus ero. Item si idem domnus papa Gregorius ultra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte, et quos costringere potero ab omni lesione vite, et membrorum eius, seu captione, tam ipse, quam qui in eius conductu vel comitatu fuerint, seu qui ab illo mittentur, vel ad eum de quibuscumque terrarum partibus venerint, in eundo, et redeundo, vel alicubi morando. Ne que aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu quod contra honorem suum sit. Et si quis eis fecerit, cum bona fide secundum meum posse illud adiuvabo. Si me Deus adiuvet et hæc sancta evangelia. Actum Canusie, V. kal. Feb. ind. XV, anno Domini nostri Iesu Christi M. LXVII, præsentibus episcopis Umberto Prænestino. Giraldo Ostiensi Cardinalibus Romanis. Petro tituli sancti Chrisogoni, et Conone tituli sanctæ Anastasie, et Romanis diaconibus Gregorio et Bernardo et subdiacono Umberto. Item ex parte regis interfuerunt Bremensis archiepiscopus et episcopi Vercellensis et Osnabrugensis et abbas Cluniacensis et multi nobiles viri.

Item aliud. Ex eodem reg. lib. V cap. LXVI.

Ab hac hora et deinceps ego ill. fidelis ero per rectam fidem beato Petro apostolo eiusque vicario Domno pape ill., qui nunc in carne vivit, et successoribus eius meliorum cardinalium electione intrantibus. De ordinatione vero ecclesiarum

et de terris vel censum quem Constantinus imperator, vel Karolus sancto Petro dederunt, et de omnibus ecclesiis vel presidiis, quæ apostolice sedi ab aliquibus viris vel mulieribus aliquo tempore sunt vel fuerint oblata, vel concessa, et in mea sunt, vel fuerint potestate, ita cumveniam cum Papa, ut periculum sacrilegii non incurram, et Deo sanctoque Petro adiuvante Christo dignum honorem et hutilitatem impendam, et eo die quo illum prius videbo, fideliter per manus meas miles sancti Petri et illius efficiar. Si me Deus adiuvet et hæc sancta evangelia.

CLXII.

Iuramentum episcoporum qui in Romana Æcclesia consecrantur et ab ea Pallium accipiunt. Ex reg. pape Alexandri.

Ego Guibbertus Ravennas archiepiscopus ab hac hora in antea fidelis ero Sancto Petro, sancteque Romanæ æcclesiæ, et domino meo Papæ Alexandro, suisque successoribus electione meliorum cardinalium intrantibus. Non ero in consilio neque in facto, ut vitam perdant aut membra, et aut capti sint mala captione. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut per nuntios suos, sive per litteras nulli manifestabo ad eorum damnum me sciente. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum, et defendendum, savo (*sic*) meo ordine. Legatum Romanum, eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum venire non differam, nisi præpeditus canonica excusatione, vel præpeditione. In nataliciis apostolorum eorum limina visitabo, aut per me, aut per nuntium meum nisi apostolica licentia remaneam. Sic me Deus adiuvet et hæc sancta evangelia.

Iuramentum eius qui deponitur.
Ex registro VII pape Gregorii pag. XVIIII lib. III.

Ego Guibertus promitto omnipotenti Deo, et beato Petro Apostolorum principi, quod in quocumque tempore legatus Apostolicæ sedis directus a domno ill. papa, vel ab aliquo successorum, suorum item romanorum pontificum ad me venerit,

infra terminum quem idem legatus constituerit mihi, raveunnantem archiepiscopatum omni sublata occasione, vel fraude dimittam. Et cum bona fide studebo, quatenus æcclesia illa secundum Deum ordinetur, nichil lacturus (*sic*) me sciente per me aut per aliquam personam a me summissam, unde eadem æcclesia, vel clerici eius meo studio vel amalitia, lesione, vel detrimentum accipiant, neque aliquo inveniam studio, ut Romano legato resistatur. Si me Deus.

Iuramentum eius qui dicit se non potuisse venire ad synodum. Ex V. libro eiusdem cap. XVII.

Ego Manasses Remensis archiepiscopus pro superbia non dimisi, quod non veni ad synodum Augustudunensem, ad quam me vocavit legatus domni Papæ ill. Itaque si vocatus nuntio vel litteris apostolice sedis fuero, nullo malo ingenio et nulla fraude me subtraham. Sed veniens diffinitioni et iudicio huius æcclesie fideliter obediam. Quod si domino Papæ ill. vel successori suo placuerit me de obiectis ante legatum suum respondere, idem per omnia faciam. Thesauros vero et ornamenta et predia Remensis æcclesiæ mihi commissæ, ad honorem ipsius ecclesiæ fideliter tractabo, et ad resistendum iusticie ea non alienabo, neque aliquo studio inveniar ut Romanæ legationi resistatur. Si me Deus.

Iuramentum comitis provinciæ. Ex VIII lib. eiusdem cap. XXVI.

Ego Berirамnus Dei gratia comes provinciæ ab ac hora deinceps, fidelis ero sancto Petro et tibi domino meo Papæ Gregorio et sanctæ Romanæ æcclesiæ et cunctis successoribus tuis qui per meliores cardinales intraverint. In nullo vestro damno, vel sancte Romanæ æcclesiæ me sciente consentiam. Si me Deus. Preterea pro missione peccatorum meorum et parentium meorum offero, concedo, dono omnem honorem meum, quantum ad me iure parentum meorum pertinet omnipotenti Deo, et Apostolis eius Petro et Paulo, et domino meo VII Papæ Gregorio, et prephatis successoribus eius, ita ut quidquid eis placuerit, deinceps de me et de toto honore meo sine ulla contradictione faciant. Æcclesias autem omnes quæ in mea pote-

state sunt in eorum potestate omnino dimitto et ad ordinandas ea secundum Deum meum pro meo posse fideliter adiuvabo.

Ex libro Romanorum Pontificum qui vocatur diurnus.

In nomine Domini Dei salvatoris nostri Iesu Christi. Anno sanctæ incarnationis eius M. ill. Promitto ego ill. episcopus sanctæ æcclesiæ ill. vobis beato Petro Apostolorum principi vicarioque tuo beatissimo Papæ domino meo ill. eiusque successoribus per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum Trinitatem inseparabilem, et hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem et puritatem sanctæ fidei catholicæ exhibere, et in unitate fidei Deo operante persistere in qua omnis christianorum salus esse sine dubio comprobatur, et nullo modo contra unitatem communis et universalis æcclesiæ suadenti quippiam consentire, sed ut dixi fidem, et puritatem meam, atque concursum tibi utilitatibusque æcclesiæ tuæ cui a Domino Deo data est potestas ligandi solvendique, et prædicto vicario tuo atque successoribus eius per omnia exhibere. Promittens festinare pariter omni annisu, ut semper pax quam Deus diligit inter romanam rempublicam et nos, hoc est gentem Langobardorum conservetur, et nullo modo contra agere, facere, quippiam adversum promitto, quatenus fidem meam in omnibus sincerissimam exhibeam. Quod si quod absit contra huius promissionis meæ seriem, aliquid facere quolibet modo, aut ingenio, vel occasione temptavero, vel contra catholicam legem, reus inveniar æterno iudicio, ultionem Annaniæ Saffire incurram, qui tibi etiam beato Petro de rebus propriis fradem facere, et falsa dicere presumpserunt. Hunc autem indiculum sacramenti ego ill. episcopus manu propria suscripsi, atque positum supra sacratissimum corpus tuum, sicut superius legitur Deo teste et iudice præstiti sacramentum quod servare promitto.

Sinodus habita in Constantinopolis sub Nicolao papa de Ignatio patriarcha. Actio I.

Residente Michahele augusto, et residentibus ad dexteram eius vicariis apostolicæ sedis, Radualdo Portuensæ episcopo et Zacharia Anaguino episcopo et cæteris archiepiscopis et epi-

scopis, ad sinistram vero multis ex amplissimo senatum. Imperator dixit. Oportuerat quidem de Ignatio nullam iam fieri questionem, qui pro manifestis culpis depositus est, sed honorantes sanctam romanorum æcclesiam et sanctissimum papam Nicholaum in vicariis suis, permittimus quæ de eo sunt iterum ventilare. Item. Paulus episcopus Cesariæ Cappadociæ dixit. Sententia synodi data est contra Ignatium, et in ecclesia nostra ille iam causam non habet et questionem non venit, sed propter honorem sancti Petri et sanctissimi et universalis Papæ Nycolai renovari causam eius, et iudicari placet omnibus nobis. Apocrisarii Papæ dixerunt. Nos locum tenentes Domini nostri Nicolai Papæ, secundum auctoritatem sanctorum patrum Sardicensis concilii volumus venire Ignatium ante nos, et renovare iudicium eius. Item. Paulus episcopus Cesariæ Cappadoxiæ dixit. Ab æcclesia nostra non debet vocari Ignatium. Placet autem æcclesiæ nostræ propter honorem principis apostolorum et domini Papæ Nycolai, facere quod vobis videtur. Apocrisarii Papæ dixerunt. Nos quos facimus, auctoritate canonica facimus. Nequando quæratur se bonam causam habere, propterea volumus renovare iudicium. Item. Ignatius apocrisarii dixit. Ante interrogationem præiudicastis me. Apocrisarii dixerunt. Quomodo? Ignatius dixit. Quia vos cum sitis episcopi sedetis, stante me, qui sum patriarcha. Apocrisarii dixerunt. Quoniam in iudicio es, et nos quidem quamvis episcopis simus, locum tamen apostolici throni tenemus. Ignatius dixit. Et ego thronum habeo Iohannis Apostoli et Andreæ qui primum vocatus est discipulus Christi. Apocrisarii dixerunt. Sed non invenimus resedente in throno. Ignatius dixit. Si iusti iudices estis, reddere mihi thronum meum debetis, et sic iudicare. Item apocrisarii dixerunt. Accusatus es apud apostolicam sedem. Ignatius dixit. Me presentem accusaverunt Romæ vel absentem? Apocrisarii dixerunt. Hoc malum est tibi, quia cum accusatoris est Romæ, scripsit tibi Benedictus Papa ut responderes. Tu vero neque per te ipsum, neque per alium dignatus es respondere. Venimus ergo perscrutari causam tuam, iuxta traditionem sanctorum patrum et canonum. Item apocrisarii dixe-

runt. Ad adiutores Ignatii, recipitis iudicium nostrum. Responderunt ita. Qui hoc non recipit, nec apostolos recipit. Apocrisarii dixerunt. Licet nobis et potestatem habemus ab Apostolico et imperatore iustum iudicare iudicium. Responderunt. Antequam præiudicaremur multum desideravimus sanctitatem vestram, nunc si placet Deo ultionem requirimus. Item. Adiutores Ignatii dixerunt. Vox personam apostolorum habetis, sic iudicate nunc, quasi rationem reddituri. Item. Apocrisarii dixerunt. Nostis quod omnes dampnati potestatem habent revocare causam suam. In conspectu Papæ, ut ille mittat qui iudicet negotium illorum, et si iuste damnati sunt ut maneant. Si vero non ut emendetur. Item. Apocrisariis dixit Ignatius. Nos in iudicium revocavimus, quasi potentes, et habentes canonicam auctoritatem. Item. Apocrisarii dixerunt Ignatio. Cum irate reclamavit Rome Zacharias episcopus, et Benedictus Papa misit tibi epistolam ut imperator eum dicto mitteret apocrisarios ad apostolicam sedem, et rursum veniet idem Zacharias episcopus cum aliis quibusdam ut utriusque partis in conspectu Papæ ventilaretur negotium, et hic quidem venit, tu vero nequaquam misisti. Ignatius dixit, et quo mense recipi epistolam Papæ, responderunt nescimus. Ignatius dixit. Iulio mense recepi epistolam, post VIIII aut X eiectus sum, et quando habui mittere? Item Iohannes prospatarius dixit. Consuetudo est apud nos, putoque apud vos sit, ut quando moritur patriarcha, convocat imperator omnes episcopos, et sacerdotes, et abbates, et diaconos. Ite et decernite quæ Deus suggesserit vobis et afferte mihi vestrum decretum. Vadunt igitur et vestigant et quemcumque elegerint nuntiant imperatori et tunc annuerit ordinari et sic suscipiunt eum. Item Ignatius dixit. Domnus Tharasius pater a femina promotus est. Imperator dixit. Ne dicas feminam. Etenim femina imperante factus est domnus Methodius et domnus Tharasius. Item apocrisarii dixerunt. Quoniam iam transiit dies et tardior hora est, placet imperatori et nobis locum tenentibus Papæ ut hodie quiescamus et volumus ut parasceve veniat iterum ad nos Ignatius, ut respondeat ad obiecta. In iudicium eum vocamus.

Actio II.

Apocrisarii dixerunt. Fratres ecce secundo misimus ad Ignatium, ut coram nobis veniat, et terminetur negotium eius, et refutavit venire. Nos autem vocamus eum, causam eius renovare volentes iuxta canonicam auctoritatem et traditionum patrum. Item Paulus episcopus Cesareæ Cappadociæ dixit. Ecclesia nostra propter reverentiam sanctorum Apostolorum et sanctissimi Papæ Nicolai, ut renovetur iudicium Ignatii consentit. Item Apocrisarii dixerunt. Et si de illo iudicium vestrum factum est, nos tamen quia personam Apostolici habemus, per canonicam auctoritatem revocare eius iudicium volumus. Item. Theophilus episcopus Laodiciæ dixit. Synodus non habet grave si causa eius renovetur, sed et ecclesiastici et cives gaves (*sic*) gaudent de potestate vestra et renovationem iudicii. Apocrisarii dixerunt. Credite fratres quoniam sancti patres decreverunt in Sardicense concilio, ut habeat potestatem Romanus Episcopus renovare causam cuiuslibet episcopi, propterea nos per auctoritatem quam diximus eius volumus investigare negotium. Theodorus episcopus Laodiciæ dixit. Et æcclesia nostra gaudet in hoc, et nullam habet contradictionem aut tristitiam. Item Theodorus episcopus dixit. Ignatius non solum nos sed et vestram auctoritatem contempnit, et de nobis quidem aliquam abet rationem, sed contra potestatem vestram quam excusationem vel rationem habebit, qui vocatus iam non secundo non venit aut audiretur in conspectu vestro, quoniam ergo contempsit vos, ut iusti iudices et potestatem beati Petri habentes adiuvante æcclesiam nostram. Apocrisarii dixerunt. Quia iam secundo a nobis vocatus non veni. Si III° vocatus non venerit, iustum est ut secundum canones faciamus in eum. Sancta Synodus dixit. Iustum est. Item. Amphilogius episcopus Ciziclii dixit. Sancta Chalcedonensis Synodus in eadem die primam et secundam vocationem fecit contra Dioscorum. Item. Apocrisarii dixerunt. Novimus quia ternam vocationem debet habere, et IIª et IIIª facere in una die non est bonum. Nos iuxta consuetudinem no-

stræ Romanæ ecclesiæ facere volumus. Item. Apocrisarii mandaverunt Ignatio. Dignare adesse ut cooperante Deo negotium tuum diligenter investigatum iusto et recto iudicio terminetur, consulit igitur sanctitati tue mediocritas nostra, ut secundum canonica auctoritatem, et Romanæ æcclesiæ consuetudinem, inexcusabiliter et omni occasione remota venias ad synodum nostram multe enim accusationes contra te facte sunt in Romana æcclesia apud beatissimos pontifices Benedictum et Nicholaum. Unde iustum visum est nobis occultum vulnus per auctoritatem canonicam curare cauterio. Item Apocrisarii mandaverunt Ignatio. Miramur quod expetis nos iurare evangelia. Quando apocrisarii Romanæ æcclesiæ in Synodo iurare expetiti sunt, ut in nos modo iuremus. Nos iuramentum cum sacerdotes simus usque ad horam hanc, per gratiam Dei et disciplinam sancti patris nostri Papæ Nicolai neque iuramus, neque iurabimus pro magno vel parvo negotio. Et si in ceteris petitiones vestras complevimus, hoc neque sanctitatem tuam decet expetere, neque nos facere. Item. Apocrisarii dixerunt. Nos pro iniuria nostra Ignatium coudempnare non possumus sed pro culpis suis si ei fuerint aprobatæ. Item Theodorus episcopus Laodiciæ dixit. Ecclesia nostra alias consuetudines habet quam vestra. Sed imperator sanctus voluntati vestræ obsequitur. Apocrisarii dixerunt. Nos iuxta consuetudinem nostram iudicare non volumus sed iuxta canonicam auctoritatem et constitutionem Romanæ æcclesiæ.

Actio III.

Apocrisarii dixerunt. Nostis fratres quod transactis diebus ante pascha causam Ignatii terminare nequivimus. Unde præcepimus eum, hodie nobis occurrere et sanctitatem vestram convenire. Si igitur placet vobis veniat Ignatius. Episcopi dixerunt. Iustum est ut veniat. Item Bardas patricius dixit. Vos iusti iudices estis a magno et iusto iudicio emissi, cuius personam habetis. Item. Apocrisarii dixerunt ad accusatores Ignatii. Ex parte vestra quidam venerunt Romam reclamantes contra Ignatium. Accusatores dixerunt. Ita. Et tunc pauperes e-

rant, et passi persecutionem. Ille vero quare non misit habens potentiam et virtutem, quomodo venit Zacharias episcopus nostis. Nunc vidistis in humanitatem eius quomodo contempnunt Apostolicum et hanc synodum sanctam. Item Apocrisarii dixerunt. Volebamus retractare primum iudicium et iudicare Ignatium, iuxta morem canonicæ constitutionis, ille vero a conspectum nostrum dediguatur venire. Quid dicitis? Episcopi dixerunt. Oportebat eum adesse et respondere obiectis. Quod si noluerit, legantur canones. Item Iguatius dixit. Ego non appellavi Romam, nec appello. Quod vultis iudicare. Apocrisarii dixerunt. Potestatem habemus canonicam, sicut missi et universalis Papæ. Ignatius dixit. Date litteras Papæ quas misit mihi. Apocrisarii dixerunt. Litteras tibi non misit. Ignatius dixit. Propterea vos non recipio iudices. Apocrisarii dixerunt. Recipere nos debes quouiam missi sumus ab eo et iuste te iudicare debemus. Ignatius dixit. Quæ institia est quia litteras mihi non attulistis? Quia vero litteras mihi non adduxistis, nec ego recipio vos. Quamvis et litteras haberetis sicut missos a Gaudentio et Innocentio recipere vos habui. Apocrisarii dixerunt. Ab universali Papa Nycolao missi nec minus a Gaudentio et Innocentio mittimur. Neutro et horum sanctissimus Papa noster est minor, sed sicut apostolici throni, ita et virtutum successor est, et præcepta eorum complere volumus et canones custodimus, ot apostolicam auctoritatem habemus ad negotium tuum. Item Ignatius dixit. Et sine iudice fit iudicium? Apocrisarii dixerunt. Nos et sancta synodus iudices sumus. Ignatius dixit. Si haberetis litteras ad me, utique vos recepissem. Apocrisarii dixerunt. Nosti quod tempore Benedicti Papæ, venerunt episcopi Romam reclamantes contra te multa et gravia, et misit Apostolicus epistolam tibi, ut de parte tuam mitteres aliquos, et non fecisti. Ignatius dixit. Quod videtis contigit mihi ideo non potui mittere. Item Ignatius dixit. Recipiant eos ad quos litteras attulerunt. Imperator dixit. Accipe litteras Papæ ut iudiceris ab eis, et recepi eos imperium nostrum et omnes æcclesia iudices. Item Iohannes protospatharius dixit. Dixit Ignatius non iudicor, quia iudices missi non estis. A magno iudice Papa Roma-

no. Item non misit iste Lazar R. ut depositionem quam iniuste fecerat confirmaret. In illo iudicem recepit Romanam æcclesiam et modo non recipit. Item Apocrisarii dixerunt. Quare non recipis nos cum miseris ad Benedictum Papam requirens romanum iudicium. Ignatius dixit. Sicut ivit Paulus et Athanasius Romam et iudicati sunt, si invenissem ego alterum Iulium, venissem utique et iudicarer ab eo. Apocrisarii dixerunt. Si volueris Romam venire invenies gratia Dei alterum Iulium. Item Imperator dixit. Ego vos iudices abeo et omnis ecclesia iudices vos et sanctissimum Papam recipit. Item Bardas patricius dixit. Precepit nos dicere sanctus imperator, quoniam ego vos iudices recipio et omnes episcopi et sacerdotes potestatis nostre, et gloriosos magnates, et sic habemus vos sicut eum qui misit vos quoniam ille dignitatem et potestatem dedit vobis, quasi si ipse sit presens sic nos computamus et excipimus. Apocrisarii dixerunt. Gratias agimus Deo quia imperator et vos et omnes venerabiles episcopi recipiunt nos iudices et dominum Papam. Item Apocrisarii dixerunt ad episcopos. Recipitis nos et qui misit nos Papa. Episcopi dixerunt. Recipimus vos et eum qui misit vos, et interrogati tertio, responderunt. Recipimus. Item Apocrisarii dixerunt. Iudicare et si potes recipere thronum tuum recipe. Si vero non potes recede. Ignatius dixit. Potestis mihi reddere ullum? Apocrisarii dixerunt. Si rationem habes in vita Apostolici et imperatoris præsume.

Actio IIII.

Paulus episcopus Cesareæ Cappadocie dixit. Apostolicus et universalis Papa misit vos iudices ad locum istum, ut inquiratis negotium Iguatii, et ecclesia recepit vos secundum verbum illius, et non contradicit de renovatione iudicii eius. Item Zacharia episcopus. Ego veni Romam et reclamavi apud sanctitatem Papæ, quod Ignatius sine electione intravit in æcclesiam et eiecit episcopum Syracusanum, et alios duos fecit pro eo. Item Synodus dixit. Omnes novimus quoniam sine causa eiecit episcopos istos Ignatius, et alios fecit in locis eorum. Apocrisarii dixerunt. Quoniam Ignatius nullam causam ostendere

potest, et sancta synodus novit et dicit episcopos, sine ratione eiectos, ecce et nos potestate utentes sanctæ Romane æcclesiæ, iuxta præceptum Nycolai beatissimi Papæ qui habet curam omnium ecclesiarum et præcepto eius et auctoritate, innocentes eos et veros episcopos et habemus et computamus, et eorum iniuxtam damnationem ut irritam et infirmam respuimus, et omnino cassamus. Sancta Synodus dixit. Gloria Deo qui non relinquit virgam peccatorum super sortem iustorum. Isti inculpabiles erat, isti præiudicati erant. Item Bardas Patricius dixit. Nichil differt sive vos sive spiritus Papæ Ignatium sentiam (*sic*) proferat. Nos enim vos ut personam illius habentes recipimus. Item Apocrisarii dixerunt. Canon secundum Silvestri docet, ut episcopus non condemnetur nisi in LXXII testibus, vultis recipere canonem sancti Silvestri. Paulus episcopus Cesareæ Cappadocie, dixit. Recipimus. Theodorus episcopus dixit Laodiciæ. Iuxta consuetudinem nostram V vel X vel VII testes ad condempnationem cuiuslibet sufficiunt. Sed quoniam iudicium vestrum est. Synodus nostra et in hoc cedit voluntati vestræ. Item præcepit sancta synodus ingredi testes, et poni evangelium in medio synodi ut ibi iurarent. Et obliti sunt patricii VIII, et alii de senatu usque ad LXXII. Patricii dixerunt. Apud nos non est lex ut iuremus. Neque enim iuraverunt aliquando patricii. Item Bardas patricius dixit, præcipit divinus imperator noster, ut omnia quæcumque requiritis faciamus et calcamus ordinem nostrum propter expletionem vestram, et propter honorem ei qui misit vos beatissimi Papæ quoniam patricii iurare non solent. Nos vero propter vos iurabimus, et stetit Ignatius iuxta evangelium ut reciperet testium iuramenta, et ceperunt iurare. Item episcopi dixerunt. Nos dicimus quoniam Apostolicus hic per vos est præsens, et quod vos facitis, et ille facit. Item iudicautibus apocrisariis quoniam depositione dignus est Ignatius. Accedens Procopius subdiaconus ex precepto apocrisiorum tulit pallium de collo eius, et albam, et amictum, et eiectus est a synodo. Et post æc synodus exclamavit. Nicolao Papæ et Ph. patriarchæ multos annos. Apocrisariis Papæ multos annos.

Actio I. Synodi Constantinopolis habitæ, CCC. octoginta III patrum pro Photio patriarchæ. Sub VIII Iohannis pape, temporibus Basilii Leonis et Alexandri augustorum.

Residente synodo cum Photio patriarcha, Petrus diaconus et Probus notarius dixit Petrus religiosissimus presbiter cardinalis et locum tenens sanctissimi Papæ Iohannis senioris Romæ et cum eo Paulus Anconitanus episcopus et Eugenius Ostiensis episcopus adsunt deferentes ebdomadas Sanctissimi Papæ Iohannis totis patribus. Deo gratias. Ingrediantur. Et cum ingressi essent facta ex more oratione, Photius, patriarcha amplexatus est et osculatus Petrum presbiterum et eos qui cum eo erant. Item Petrus presbiter dixit. Visitat vos Apostolus Petrus et inclinat se sanctitati vestre sanctissimus universalis Papa Iohannes. Item presbyter conversus ad synodum dixit. Sumus et comministri, multum inclinat se vobis, visitat vos sanctissimus Papa Iohannes. Item. Sicut benignus pater requirit filios suos et bonus pastor oves suas, sic sanctissimus Papa Ioannes per epistolas suas et vicarios visitare vos et erudire non cessat, volens uniri sanctam Dei æcclesiam et fieri unum ovile et unum pastorem. Item Zacharias metropolitanis Calcedonæ dixit. Scismatici ipsa romanorum ecclesiam iam per multum tempus libertate decoratam et dignitatem potentiæ diffamatam, contendunt ad servitutem adducere, et ad epticiorum humilitatem inclinare, quomodo enim dicunt, ea quæ Papa Nicolai sunt et Adriani recipimus. Nobis enim hec placent. Quæ vero Iohannes non recipimus, queritur? quando illi quod voluntati nostre obsecuti sunt, hic vero contraria facit. Immo quæ ipse vult, et nos sequi compellit, hoc vero quid aliud est, nisi pontificalibus Romanorum non obedire sed ipse summos et mirabiles sacerdotes suis voluntatibus inclinare. Si illa recipiunt placita vestra quæ et illis primitus placuerunt, quæ vero non placent illis, et similes placeant vobis, et si canonica et desuper inspirata dicatis qui propriam voluntatem anteferre contendit, nonne apertissima inania teneat? Festinate, igitur karissimi et laborate, et sanctam Dei Romanorum æccle-

siam ab indigna et barbari sensus ernite servitute et usque nunc vobis illicitam contumeliam et maculam abicite, et gloriam vestram et claritatem communi æcclesiarum pace resumite. Item P. Presbiter dixit. Quod sanctissimus Papa Iohannes Photium patriarcam fratrem et sacerdotem habet, ipsa quæ hab eo missa est pontificalis stola testatur. Propter hoc enim misit eam illi ut omnis homo cognoscat, quod fratrem eum habet et comministrum. Et hec dixisset surgens reddit patriarca missam a Papa Iohannem sacerdotalem stolam, pallium albam planetam, et sandalia. Sancta Synodus dixit. Si præcepit sanctitas vestra, videamus hic per singula. Et accipiens Petrus Cardinalis et qui cum eo erant religiosissimi episcopi et cæteri Romani explicuerunt in conspectu synodi. Photius Patriarca dixit. Christus Deus noster qui nubibus operit cælum, et naturam indutus est nostram ipse fratrem et comministrum nostrum et spiritualem patrem papa Iohannes in præsenti vitæ firma salute tuta custodia muniat, et in futura nuptiali veste indutum dignum illum beato sponso ostendat. Item. P. presbiter dixit. Audite omnes quod dicit sanctus papa Felix. Si quis inventus fuerit resistens Sanctæ Dei æcclesie, habens in omni manifestatus, primum quidem amoneatur ab episcopo suo et si non emendaverit tum det sancta synodus contra eum sententiam, sic et nos habentes quod potestatem apostolico Papa primum commonebimus et si noluerint obedire abscidemus eos sicut putrida membra ne et cæterum corpus quod sanum est pereat.

Actio II.

Residente Photio patriarcha et consedentibus vicariis apostolicæ Sedis, nec non et apocrisariis Alexandrinæ ecclesiæ, et Antiochene, et Hierosolomitane cum cunctis episcopis et presbiteris. Photius patriarea dixit, gloria magnitudo et gratiarum actio sit Domino Deo nostro in secula seculorum. Et cum synodus respondisset amen, cantaverunt quidem apocrisarii Papæ lingua latina laudes.

Item Iohannis pape, Basilio Leoni Alexandro augustis.

Unanimitatem et pacem in ecclesia vestra fieri cupientes, per apocrisarios et sacras epistolas vestras ad Romanam misistis æcclesiam pro certo scientes non neglegenter eam cooperantem in bonum, sicut et antecessores vestri piissimi imperatores, cognoscentes beatum Petrum capud esse omnium æcclesiarum, sicut omnes synodice constitutiones et sanctorum patrum decreta testantur. Item. Scripsisti nobis, dilectissimi filii, ut apostolica compassionis viscera aperientes, omnes qui in ecclesia quæ apud vos est canonicis correptionibus subiacent recipiamus, pacique et unanimitati studentes, ipsum domnum, Ph. Archiepiscopum communicantem nobis ad summam sacerdotii dignitatem et honorem patriarchatus restituamus, ne diutinus æcclesia Dei in scismate et scandalo conturbata permaneat. Nos vero petitionem vestram ut iustam et Deo placentem amplexi, et oportunum tempus quod diu desideramus nos invenisse gavisi, misimus apocrisarios nostros voluntatem vestram complere, quamvis pietas vestra ante quam invenirent, ipsum virum preoccupaverit violenter restituere. Quod tamen et nos libenter recipimus. Et quamvis hæc faciendi potestatem habentes, non tamen ex potestate nostra eum restituere volumus, sed et apostolicis decretis et paternis constitutionibus testimonia proferimus, non leges æcclesiæ antiquitus datas solventes, sed in quibus earum diligentia incumvertibiliter observatas ecclesiæ corpus evellit, et dissipat, ad utilitatem eius omnia reducere cupientes. Synodus enim Nicena secundo capitulo dicit, quoniam frequenter sive ex necessitate, sive aliquolibet modo transgredi contigit homines æcclesiasticos canones, et Papa Gelasius dicit. Quoniam ubi necessitas non est, incumvertibilia maneant sanctorum patrum decreta. Et sanctissimus Papa Leo in eodem spiritu præcipit dicens. Ubi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum patrum statuta. Ubi vero necessitas fuerit ad utilitatem ecclesiæ, quæ potestatem habet ea dispenset. Ex necessitate secundum apostolum fit mutatio legis. Et Felix Papa. Contemplari oportet, quod ubi occurrerit necessitas, sepe constitutiones patrum

transgredimur. Et Carthaginensis synodus XXXV cap. dicit. Præcipimus ut clerici donatistarum rursus in ecclesiam recipiantur, quamvis primum a synodo depositi fuerint. Synodus etiam synodum solvit, propter unitatem, et pacem ecclesiæ. Et Innocentius Papa V. capite dicit. Qui promoti sunt a Bonoso hæretico, recipiantur, ne scandala in ecclesia pollulent. Non solum autem pro heresi depositis Apostolica sedes paci ecclesiastice studens adiutorii manum porrexit, sed et orthodoxis sacerdotibus et patriarchis ad eam confugientibus, sicut et nunc Photius fecit usitata miseratione subvenit. Nostis quod magnum Anastasium Alexandrinum episcopum et Cirillum et Polocronium Hierosolomitanum et Iohannem quem caritas vestra grisostomum vocat et Flavianum a synodo depositos, apostolica sedes in pristinum honorem restituit. Si igitur quia donatistis et bonos ordinatos ab hominibus orthodoxæ æcclesiæ a synodo plenaria sequestrati ab alio synodo recipiuntur et catalogo sacerdotum habentur, ne æcclesia diminutionem vel divisionem patiatur, quanto magis ortodoxæ fidei viros et immaculatæ vitæ non oportet contempnere, et a pristinum honorem revocare. Sicut apostolica sedes hæc semel accipiens claves regni cælorum a primo et magno pontifice Ihesu Christo, per principem apostolorum Petrum, dicente ad eum tibi dabo claves cælorum, et quæcumque ligaveris super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveris super terram erunt soluta et in cælo, habet potestatem universaliter ligandi et solvendi, et secundum Hieremiam evellendi et plantaudi, et propter hoc nos eiusdem potestate principis apostolorum Petri utentes, cum omni æcclesia mandamus vobis et sanctissimis fratribus nostris patriarchis Alexandriæ, Antiochiæ, et Hierosolimarum, et ceteris episcopis, et omni plenitudini Constantinopolitane ecclesie secundum petitionem vestram Fotium patriarcam fratrem et consacerdotem nostrum nos in comunionem recipere. Item recipite cum sine excusatione, nullus excuset pro synodo contra eum peractis. Nullus sanctorum prædecessorum meorum Nicolai et Adriani sententias contra eum causetur. De ipso surrectum est illis. Nullus coutra eum sub-

scriptiones nostras occasione scismatis habeat. Omnia enim ut infecta et irrita facimus, et quæcumque sunt contra eum in manibus principis apostolorum ponimus, et per eum in humeris Iesu Christi Agni Dei qui tollit peccata mundi. Item. Et hoc confirmare nos volumus, ut post mortem Photii fratris nostri nullus ex dignitate mundana, ad pontificalem honorem ascendat, sed ex presbiteris cardinalibus eiusdem æcclesiæ, vel ex diaconibus aut ex aliis sacerdotibus qui sub ecclesia Constantinopolitana consistunt. Item erimus nos pro pace æcclesiæ sollicititi Photium fratrem nostrum recipimus sicut et Adrianus Papa Tharasium, nullus computet in canonicum usum privilegia paucorum communem legem non faciunt. Si quis vero tale quod amodo præsumpserit facere, sine venia erit. Item. Prohibemus ne frater noster Photius patriarcha vel aliquid de successoribus eius ordinationes in Bulgaria faciat, vel pallium mittat. In aliæno fundamento nullus ædificare debet. Predecessor enim noster Nicholaus petitione principis Bulgariæ Michahelis, gentem illam doctrinis apostolicis erudivit, et per religiosos episcopos baptizavit et ecclesiasticos canones et ordinem et queque ad religionem christianam pertinent tradidit. Item P. presbiter dixit. Dominus dicit. Si peccaverit in te frater tuus c. e. i. te et i. s. Si a. te. vel c. f. t. Si vero te non a. a. t. a. u. vel d. Si vero non audierit, dic æcclesiæ. Quod si æcclesiam non a. sit t. s. e. et p. Ità et nos faciemus. Primum quidem rogabimus et commonebimus eos qui discordant a nobis, cum vestra religione. Et si non obaudierint, aggrediemur eos duriori via. Faciet timor in eis, quod benivolentia non fecit. Si vero nec sic audierit nos, secundum præceptum Domini nostri Papæ Iohannis vindictam faciemus in illos. Item Pr. dixit Fotio. Sanctissimi Papæ Iohannis epistola præcipit, ut omnes divisi episcopi congregentur et consequantur ante misericordiam et compassionem, et qui prius ordinati sunt, recipiant propria sede, qui vero posterius habeant de ecclesiis eorum victum et vestimentum, donec vel easdem thronos, vel alios sortiantur. Item P. presbiter dixit. Hoc scribitur in communitorio Papæ ut in Bulgaria pallium non mittatis, neque or-

dinationem faciatis. Photius patricius dixit. Nos tertium iam annum in sacerdotali throno habentes, neque pallium misimus; neque ordinationes aliquas fecimus ibi. Item P. presbiter dixit. Gregorius dialogus episcopum Dalmatiæ propter accusationes quasdam expellens, iterum in proprium thronum restituit, et Zachariæ episcopo a Nicholao Papa deposito, Adrianus Papa propriam æcclesiam reddidit. Item. His exemplis instructus Papa Iohannes reddit sanctitate tue proprium thronum. Photius patricius dixit. Gratias ago Deo, et sanctissimo Papæ nostro Iohanni.

Iohannes papa episcopis sub Constantinopolitana æcclesia. Actio III.

Rogamus fratrem sanctitatem vestram, ut regione Bulgarie quam Deus per intercessionem apostoli Petri, et laborem sanctissimi Papæ Nicolai convertit, nobis reddatis. Item Iohannes papa apocrisariis suis. Venientibus vobis Constantinopolim ubi præcepit imperator manere. Cum vero ante eum veneritis his verbis salutantes eum epistolam dabitis. Inclinat se spiritualis pater vester imperio vestro domnus Iohannes apostolicus papa potestatem vestram per singulos dies in orationibus suis Deo commendans. Item. Si voluerit imperator antequam logantur epistole cognoscere capitula legationis vestræ, sic respondebitis ei. Si placet imperio tuo, audiantur episcopi. Si vero quesierit, quod e epistolæ continent, respondebitis ei, inclinationes pietati tuæ, et æcclesiasticæ pacis plenitudinem. In crastinum visitabitis Photium patriarcham, et redentes illi epistolam nostram salutabitis eum decenter his verbis, inclinat se tibi domnus noster Iohannes Papa apostolicus, et vult habere te fratrem et sacerdotem. Item. Precipimus ut Photius patriarcha veniat coram vobis in synodum, et recipiat eum omnis ecclesia secundum præceptum litterarum nostrarum recipietis autem eum et vos in comunione, ut gratias agat Deo et sanctæ Romanæ æcclesiæ. Item. Surgentes dicite. Photi præcopit domnus noster Papa ut omnes sive episcopi, sive presbiteri, sive quilibet alii, qui usque modo noluerint communicare

vobis, studio vestro uniantur æcclesiæ Dei et vobis. Cum igitur venerint, recipietis eos sicut filius pater et ammonebitis eos ut propter pacem æcclesiæ Dei una nobiscum unianimi æcclesiæ et recipiatis Photium patriarcham. Quicumque vero ex eis prius ordinati sunt, recipiant sedes suas. Qui vero posterius, ab ipsis episcopis victum et vestimentum sufficienter accipiant. Item. Illos qui discordie student et ad unitatem æcclesiæ et fratrum nolunt reverti post secundam communionem vestram et synodi, a comunione et ecclesiastico ordine suspendite. Item. Cum fratri nostro Patriarchæ Photio in synodo interdicite ne pallium in Bulgaria mittat, vel ordinationem in ea faciat. Quod si fecerit, canonice illum corripiemus. Item. Videte ne de præceptis nostris ad dexteram vel ad sinistram declinare velitis, quia locum et potestatem nostram quam nobis pro pace ecclesiæ dedimus habetis. Item. Et subscriptiones epistole. Martinus Narniensis episcopus. Dominicus Tiburiensis. Florus. Gaudericus. Stephanus. Leo. Petrus. Walbertus. Gregorius episcopus sive Candidæ.

Actio IIII.

Photio presbiter dixit. Quia omnia quæ pacis sunt completa habemus, bonum est ut vobiscum et cum Photio patriarcha missarum sollempnia celebremus. Sancta synodus dixit, hoc bonum est et Deo acceptum, fiat voluntas vestra.

Actio V.

Præcepit sancta et universalis synodus, ut quicumque de Italia episcopi, cleri et laici in Asia, Europa vel Libia degentes a sanctissimo Papa Iohanne suspensi excommunicati vel depositi fuerint, habeant eos et sanctissimus Photius patriarcha suspensos excommunicatos vel depositos. Item. Apocrisarii dixerunt. Hanc potestatem sanctissimus Papa Iohannes dedit Photio patriarche, ut abeat potestatem convertendi et non penitentes eiciendi. Item, et Petrus presbiter dixit. Universalis et apostolicus Papa Iohannes hanc potestatem a principe apostolorum Petro accipiens dedit Photio patriarche potestate ligandi et

solvendi. Item apocrisarii Papæ dixerunt. Hoc nequaquam apud nos habetur, ut quicumque de pontificali ordine ad monachorum penitentium descenderit vitam, ulterius possit ad pontificatum reverti. Item. Præcepit sancta synodus ut quicumque de pontificali dignitate ad monachorum vitam et pœnitentiæ descenderit locum, nequaquam iam ad pontificatum resurgat. Monachorum enim vita subiectionis verbum habet, et discipulatus. Non docendi, vel presidendi, vel poscendi alios. Item subscriptiones et subscripserunt apocrisarii Papæ et post eos cuncti episcopi.